BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
G
77
NAPOLI

XXI
G
77-78

Digitized by Google

INNOCENTIJ
T V B A

A V C T O R E

D. IOANNE BAPTISTA
P A S C H A L I
ARCHIPRESBYTERO CAVENSI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INNOCENTIJ
T V B A

Myſticam Iericho iniquitatis ſexagintaquinque Propoſitionibus extructam funditus euertens.

P A R S P R I M A.

Commentariorum in trigintatres ex Propoſitionibus ab Innocentio XI. anno 1679. proſcriptas.

O P V S

Ab Archipresbytero Cathedralis Eccleſiæ Cauen̄

D.r IOANNE BAPTISTA
P A S C H A L I

S. Theol. & V. I. D. ac Prothonotario Apoſtolico magna animi conſtantia, à compluribus annis ſuſceptum, ſummaque induſtria, & labore ad finem vſque redactum: Eccleſiaſticis omnibus, ac ijs præſertim, qui animarum curam gerunt, Iuris vtriuſque prudentibus, Morum Theologiæ, reliquiſque Diuinarum Literarum Profeſſoribus apprimè vtile, ac neceſſarium.

C L E M E N T I
PONTIFICI MAXIMO XI.
D I C A T V M.

Pertinet ad Conventum S. Mariæ Carmeli [illegible]

NEAPOLI. Typis Nicolai Abri. M. DCC. VI.

S V P E R I O R V M P E R M I S S V.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO, AC BEATISSIMO PATRI,

ET DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

IOANNES BAPTISTA PASCHALIS

CAVEN. ARCHIPRESBYTER

Salutem plurimam in Chriſto Mundi Saluatore, ac ſempiternam Fęlicitatem precatur.

PRimis ſemper in Votis habui hoc votum; imò fuit hoc vnicũ votum, BEATISSIME PATER, dum hos Commentarios in Propoſitiones à fel. mem. Innocentio XI. fulguritas ederem, Tibi Chriſti Vicario, illique in auctoritate, zeloque puritatis doctrinæ, morumque honeſtatis ſucceſſori, deuouere. Quod enim in Deo ſuſpici-

cimus, in Te quoque veneramur, Religione, Pietate, Iuſtitia Maxime. Poſſem vtcumque percenſere Tuæ illuſtris Albanæ Familiæ nobilitatem, quæ ex Epiro in Italiam tranſuecta, Vrbini in Vmbria, Bergonii in Cęnomanis in Patritium ordinem coaptata & honoribus aucta, ſellas curiles, atque omnium Magiſtratuum decora obtinuit; ſeù potius tot clariſſimis viris auxit decorem ſuum, honeſtiſſimaſque Vrbes dignitate, atque ornamentis decorauit. Et in ipſa Orbis Vrbe Tuus Auus Horatius inſigni Senatoris dignitate decoratus, tredecim annorum curſu multa gloria, & ſplendore adminiſtrauit. Iucundum eſſet magna aliorum nomina recenſere, niſi vnus Tu Clemens omnium ad Te oculos raperes, omnes quippe norunt præſtantem animi tui virtutem docuiſſe Te, in priuata ſorte maximum Terrarum Orbis Imperium mereri: in ſummi Sacerdotij comitijs delatum vltrò recuſare, in ſuprema rerum omnium poteſtate ſic moderari, vt meritò ad communem fęlicitatem, ad Chriſtianæ Reipublicæ columen difficillimis hiſce temporibus ſeruatus fuiſſe Diuina prouidentia, ac clementia videaris. Enim verò Maxime Sacrorum Antiſtes, ijs ornatis eximijs moribus, ijs mores illuſtras præclaris geſtis, vt longè, latèque diffuſa, ac Terrarum Orbem peruagata omnibus æquè admirationi, atque exemplo, præſidio, atque incitamento eſſe debeant. Tu Vrbini natus egregia Stirpe, domeſticis exemplis admonitus, non in vmbra, & otio tibi deliteſcendum putaſti, rectà tuum iter ad virtutem contuliſti: commendationem ineuntis ætatis ab ijs litteris duxiſti, quibus imbui ad humanitatem ſolet adoleſcentia: tantum verò in ijs

pro-

Digitized by Google

profeciſti, quantum nos docent publica Græcę, Etruſcæque eloquentiæ monumenta, quibus tui nominis memoriam conſecraſti. Nullam diſciplinarum Tibi reliquam feciſti, quin ſumma ingenij alacritate perluſtrares. Nullum quippè fuit naturæ arcanum, quod Tibi non aperuerit Philoſophia, nulla rerum diuinarum ſcientia, quam non hauſiſti è puris Theologorum fontibus, nulla ſacri, ciuiliſque Iuris dicendi peritia, quam à legibus non acceperiſti. Age verò, quæ ſolertia in Conciliorum placitis euoluendis, quæ ſolicitudo in percipiendis Patrum ſententijs, quæ induſtria in indagandis ab vltima antiquitate Sacrorum Annalibus? Ijs diſciplinis ornatus in præſtantiſſima Religionis ſede, in ea ſapientiſſimorum luce, bello voluptatibus indicens; naturæ dicto non audiens, ſed virtutis, ſtatim omnes omnium ordinum ciues ſummo Tibi amore deuinxiſti; deque Tua Religione, Pietate, conſtantia vitæ, æquanimitate omnes maxima admiratione detinuiſti. Dein Reipublicæ, quæ diutius carere noluit tuarum virtutum præſidio non defuiſti; in munere verò ciuium vtilitatem, eoſque fines tuis virtutibus deſcripſiſti, quibus communis ſalus continetur; In Sabina, Vrbis-Veteris, Reatinaque Præfecturis, ita es ſumma cum laude integrèque verſatus, vt commotam de Te expectationem, non ſolum ſuſtinueris, ſed quam ampliſsimè ſuperaueris. Magna rerum à Te tunc exhibita exempla proferre, eaque etiam, quæ in Vrbanis Magiſtratibus geſsiſti, linqueo. Illud tacitus nullo modo præterire poſſum, quod cum ſæpè Egenorum crimina, irrogata multa plectenda Tibi forent, diuino quodam conſilio prouidiſti, ne pœna-

na-

Digitized by Google

narum remiſsione labefectaretur legum ſeueritas, neuè legum ſeueritate Reis quidquam mali ad egeſtatem accederet; ſiquidem cum legibus in eos animaduertiſſes, de Tuo pęnę extimationem in Ærarium intuliſti. Et mirabitur quiſquam ſi Te tam eximia, ſingularique virtute præditum; vix dum in Aulam reuocatum, Vicariamque Iuris dicendi Prouinciam in ampliſſimo Principis Apoſtolorum Templi Collegio obtinentem, Innocentius XI. diffiicillimo, ampliſſimoque muneri Apoſtolicarum Epiſtolarum conſcribendarum, quas Breues vocant, præfecerit? In eo gerendo ea Facundia, Grauitate, Prudentia, Fide, Religione, adeoque omnes induſtriæ, & ſapientiæ neruos intendiſti, adeò probaſti operam tuam, vt citò ſint Tibi meritorum præmia perſoluta. Nam Alex. VIII. æquiſſimus meritorum æſtimator, Te adhuc florentem ætate, præclariſſimo Romanæ Purpuræ decore honeſtauit. Auctus hiſce honoribus, viſus es etiam augeri ſumma quadam agendi facultate, ſplendoremque dignitatis, facinorum multitudine, & gloria ſuperare, cum ne Tibi, otium quidem otioſum fuerit; Nullum enim in ampliſſimam Chriſtianæ Reipublicæ Sedem, in Principem Religionis locum, ex clariſſimis totius Orbis Regionibus negotium vllum delatum fuit, quod Tibi datum non fuerit, non obieris ſumma induſtria, virtute explicaueris, auctoritate confeceris. Nec quidquam ardui, & illuſtris maximis Pontificibus Innocentio XI. ſub finem Imperij, Alexandro VIII. & Innocentio XII. in Regni adminiſtratione accidit, de quo non fueris ſententiam rogatus, ſuffragium non tuleris tuis ſapientiſſimis conſilijs Pontificum mentes

non

non iuuaueris. Domeſticas Ciuium difficultates, profligataſque fortunas non ſolum officio ſuſtentaſti, ſed re familiari ſæpè illis es quam liberaliſſimè opitulatus. Quid mirum, ſi ſingularis Tui animi præſtantia, rerum eximia geſtarum copia, dignitas morum, atque amplitudo mentis, quibus iam diu merueras altiſſimum honoris gradum, in eam voluntatem ſacrum clariſſimumque Terrarum Orbis Senatum, vel inuitum adduxere, vt Tibi Chriſtianæ Reipublicæ nouis magniſque difficultatibus oppreſſæ, veluti vnico feſſis rebus præſidio Imperium deferret? Expauiſti; inde collectis viribus oraſti, inſtaſti, argumenta concinnaſti, vrſiſti, lacrymis obteſtatus fuiſti, ne Tbi in ampliſſimo omnium præmio ſupplicium tam graue conſtituatur. Non tamen Senatorum mentes afflatas conciliatrice animorum Diuini Spiritus aura, ſtuporeque oppreſſas à ſententia dimouiſti; quin confirmaſti, dignior tum Imperio cum recuſabas. Denique Religione obſtrictus, conſcientia territus à rerum diuinarum Myſtis, poſt ſupplicationes indictas pugnans, ac renuenti ſimilis, Regni habenas moderandas ſuſcepiſti; nullamque Tibi moram feciſti, quin ſtatim ad procurandam Rempublicam animum adijceres, quam ne oborta inter potentiſſimos Principes diſſidia concuterent, ac labefactarent, omni ſtudio, ſapientia, virtute ad conciliandam pacem incubuiſti, quibus officijs eorum animos non delinuiſti, quibus non ſtuduiſti precibus frangere, auctoritate componere? Verum periclitandæ prius erant armorum vires, tentanda belli fortuna, ne ſi repente omni tumultu compoſito, ſedatiſque ſocialibus diſcordijs tenuiſſemus placidiſſimum

Digitized by Google

otium, noſtra illud fœlicitate, non Pontificis ſapientiæ partum videretur. Floreſcet quidem, ò vtinam longas non habeat moras! Floreſcet Tua auctoritate, ac præſtantiſſimorum Principum temperantia lætiſſima quies, eximiumque opus non niſi vnum acceptum referemus pacificatori Clementi Pontifici. Interim dum ardet bello Europa, ad conciliandum Mortalibus Immortalem Deum omnia ſtudia pietatis, ac Religionis confers, ſtrenuamque adhibes vſque curam, vt ab irato Numine tela ærumnarum extorqueas. Scimus te ſummo labore diuina ſemper obire negotia, ſedulitate curare ſacra, Fide preces ad Deum effundere, præſidium afflictæ, perditæque Reipublicæ implorare, opem ferre dirutis Terręmotibus Ciuitatibus. Scimus Te infimæ plebis hominum pedes, ad Sacra Religionis monumenta adeuntium, abluere, tuis manibus alimenta præbere; concuſſa valetudine miſeros ope, ac cibo recreare, mortem obeuntibus conferre Diuina Fidei myſteria. Scimus Te ampliſſimæ dignitatis inſignibus, & ornamentis decoratum à ſuperiori loco, incredibili vi, doctrina, eloquentia docentem Populos, profligantem vitia, virtutes reuocantem, extruentemque complures præclaras Homilias, in quibus in omnibus magnum Leonem æmularis. O diu deſideratam, ac tandem redditam Chriſtianis muneribus maieſtatem! O ſanctiſſima vetuſtatis exempla! O antiquæ Religionis imagines! Auxit enim, uerò humilitas Tua Summi Sacerdotis dignitatem, ac maior luce perfundit; dum tantus fuit ſplendor, vt illicò noctem cuiuſdam ex infauſto grege aberrantium a Sanctiſſima noſtra Religione diſſipauerit, qui in humili, ac ſponte

te abiecto Clemente vidit, non niſi à vera Fide arcanam illam virtutem oriri poſſe, quæ miro nexu demiſsionem cum amplitudine conſociaret. Et quiſquam inficias ibit, quid in euertendis erroribus ſapientia, doctrina, auctoritate, perfunctus ſis, qui tanto ſolo morum exemplo perfeceris? Nuperrimè edidiſti conſtitutionem contra quoſdam à Fide extorres, qui non ſine graui Apoſtolicæ Sedis iniuria, maximòque totius Eccleſiæ ſcandalo, Fideique detrimento non ſunt veriti: Ad obedientiam Apoſtolicis Conſtitutionibus aduerſus Janſenianam hæreſim debitam non requiri, vt quis Janſeniani libri ſenſum in quinque Propoſitionibus damnatum, interius vt hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (vt ipſi vocant) ſilentium teneatur; quin eò impudentiæ deuenere, vt aſſerere non dubitauerint; Formulæ ab Alex. VII. præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab ijs, qui interius non iudicant, in Janſenij libro doctrinam hæreticam contineri. Nec Tuus zelus Fidei virtuſque hunc ſolum ſpectant, ſed ad colligendas vndequaque aberrantium greges, ad deſtruendas impias Religiones Diuino quodam munere Te donatum Reipublicæ fuiſſe crediderim; amor namque ornamentorum virtutum, quas immortalis Deus in Te congeſſit, beneuolo perduellium ſermone celebratus ad omnes ipſorum Prouincias peragrauit. Annonæ ſtudes, Immunitatis, Libertatis, Juriſdictionis Eccleſiaſticæ cuſtos es, ac vindex. Honores, & gradus non diſtribuis affectui, ſed virtuti. Dignitatibus viros defers, non dignitates viris; vt eſſent præmia virtutis, non dona fortunæ. Æquus omnibus, ſed non

æqualis; ea ipſa bonitate, qua cum priuatus ageres, facilem Te omnibus præbes, comitate condis grauitatem, beneuolentia excipis mortalium obſequia: Te igitur, qui ſemper glorioſus eris propter cumulatas, vel potius quaſi innatas virtutes deprecor, vt hilari (vt ſoles) animo, acceptare, digneris munuſculum hoc, quod Tibi genibus flexus, ſubmiſſoque pectore do, dico, & conſecro, tanquam pignus meæ humillimæ obſeruantiæ, ac Tua Benignitate, qua flagras, tueri, & conſeruare, vt ſi non de Auctore, tamen de Tali, ac tanto Patrono vbique poſſit ſuo iure gloriari. Vale Beatiſſime Pater plurimum in Chriſto Domino Noſtro Saluatore, iterumque Vale ſoſpes ſemper ac fęlix: meumque erit deſideria colligere, ac nuncupare vota pro tua ſalute: ab ea enim ſalus Reipublicæ pendet, in iſto omnium præſtantiſſimo beneficio, quo iam donati omnes fuimus ab Immortali Deo: in Optimo ſcilicet, Principe munus omne, Terrarumque Orbis fęlicitas continentur.

Digitized by Google

ARCHIDIACONVS CAVEN.

STVDIOSO, AC BENEVOLO LECTORI.

S. D.

IAm undique vides mi Lector, totum Orbem reſonare armis; Nil ergo mirum; ſi Promeritus Archipresbyter noſter, Reuerendiſſimi Cauenſis Capit. ornamentum, Innocentij Tuba myſticam Iericho iniquitatis ſexagintaquinque Propoſitionibus conſtructam, vt præſto ad diuinum eſſet imperium, ibi in ſacris litteris, Sit vobis locus ille in anathema, verè funditus euertit. Verum enim verò; etſi à pluribus Magiſtris huiuſmodi ſit diſſerta materia, cum tam humanarum, quàm diuinarum rerum theſaurus gemmiferus; ac indeficiens, dum Sol luſtrabit Olympum, Studioſis exiſtat; ſi veritatis ſcopum attingam, auſim dicere: Neminem in explicandis, exponendiſque Propoſitionibus antedictis amplitudine, dignitate, autboritate, dicam quoque, tam delecto iudicio, vſquemodo Auctorem noſtrum anteueniſſe. Illud perinde tibi perſuaſum velim, adeò eum lectiſſimè ſuis in præmonitionibus, totoque opere pronunciaſſe, vt totum eſſe ſolidum, totum plenum, totum vtile, totum ſuaue; totum denique maximis, certiſſimiſque ſententijs refertum: ſolidiſſimiſque dogmatibus firmatum, & factum eſſe reperies. Iam Alex. VIII. Gladium typis commiſſum euaginat pari ſolertia, induſtriaue elaboratum. Lucernam dein Tetramyxos, ideſt Theologiam Moralem in quatuor partes diſtributam. Theologiam

Scho-

Digitized by Google

Scholaſticam in octo Tomis: In quatuor dogmaticam; In totidem in Sacroſancta Euangelia Commentarios, Hieroclerologiam, ſeu de Sacro Clero; Mariologiam, & de Paſſione Domini Tractatus mirabiles; Promptuarium etiam Sacrum in quinque Tomis ordinatum, Diuino quodam conſilio, at Dei Spiritu Poſteritati iam conſecrat. Inſtitutionum inſuper Canonicarum, atque Imperialium Commentarios; In varios etiam vtriuſque Iuris titulos: nempè de Conſtitutionibus, de Legatis: & Fideicommiſſis; de Teſtamentis: adde & Promptuarium Legale in quinque Tomis; quæ in diſſoluendis difficultatum nodis cum Virdunẽſe Cauſidico referre cõfido.

Hac calca doctus, qua præmit Auctor iter.

Tractatus quoque de Beneficijs, de Contractibus, de Libertate Eccleſiaſtica, de Obligationibus, & Priuilegijs Clericorum typographo commendatos habet. Innumera ferè ſunt, & alia Opera, quæ excudenda parat, in quibus modò diſcutit, diſquirit, ac animo voluit Omnium ferè hominum Generi vtiliſſima; cognitione pariter, & vſu ſtudioſæ Iuuentutis digniſſima. Congaudeat ergo mecum, mea Cauenſis fideliſſima Ciuitas tanti Auctoris illuſtrata litteris; Noſtrateſque Scriptores (eorum tamen lumine haud obſtruſo) ad tanti Viri acceſſum, vt par eſt, aſſurgant; Cui, ſi Deus, vt velim, vitam fortunet, nec operum ſuorum Indicem conficere valeo. Tu demum mi Lector hoc tantum mihi quæſò concedito. Auctorem noſtrum ad Solum Dei Gloriam communeque vtile vigilias ſuas addicere, nulloque tempore de ſuis manibus libros deponere. Sic iterum vade ſalutatum; & Vale.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE.

NIcolò Abri Stampatore ſupplicando eſpone a V.E. come hà da ſtampare vn' Opera in più Tomi intitolata: *Innocentij Tuba, & Alexandri Gladius*, del Reu. Canonico Arciprete della Cattedrale della Caua D.Gio: Battiſta Paſchale Dottore della Sacra Teologia, e dell'vna, e l'altra Legge; però ſupplica V.E. à voler commettere la reuiſione di detta Opera à chi V.E. reſtarà ſeruita, che l'hauerà à gratia, vt Deus.

R.P. Nicolaus Squillante Præpoſitus Congregationis Oratorij reuideat, & referat. Neap.11. Decembris 1704.

IACOBVS MARIA EPISC. MASSÆ LVBREN. VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Canonicus ſuper editione Librorum Deputatus.

EMINENTISSIME DOMINE.

INnocentij Tubam à D. Io: Baptiſta Paſchale Canonico Archipresbytero Cathedralis Cauenſis, Sacræ Theologiæ, & vtriuſque Legis Doctore erudite, ſapienterque elaboratam cùm attentè perlegerim, prælo dignam cenſeo, vt vox eius (quæ vox virtutis meritò dici poteſt, cum toto conatu contra pernicioſas ſententias clamet) ad aures omnium perueniat: & ſuo ſenſu in ſana doctrina confirmet, quam optimè tuetur, & probat, Hac die 8. Ianuarij 1706.

Emin. Domin. Veſtræ.

Vmilliſſimus, & Deuinctiſſimus Seruus.
Nicolaus Squillante Congr. Orat. Præpoſitus.

Attenta ſupradicta relatione R. D. Reuiſoris. Imprimatur. Neap. 12. Septembris 1706.

SEPTIMIVS PALVTIVS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Canonicus ſupra editione Librorum Deputatus.

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

NIcolò Abri Stampatore ſupplicando eſpone à V.E. come hà da ſtampare vn'Opera in più Tomi intitolata: *Innocentij Tuba*, *&* *Alexandri Gladius*, del Reu. Canonico Arciprete della Cattedrale della Caua D. Gio. Battiſta Paſcale Dottore della Sacra Teologia, e dell'vna, e dell'altra Legge; però ſupplica V.E. à voler commettere la reuiſione di detta Opera à chi reſtarà ſeruita, che l'hauerà à gratia, vt Deus.

Reuerendus Pater Andreas Maſtellonus videat, & in ſcriptis referat.

GASCON REG. MERCADO REG. VLLOA REG.

Prouiſum per S.E. Neap.21. Aprilis 1706.

Cæteri ſpect. Reg. impediti.

Maſtellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

OPus inſcriptum *Innocentij Tuba*, à perilluſtri eruditoque viro D.Ioanne Baptiſta Paſchali Cauenſis Cathedralis Canonico Archipresbytero, Theologiæ, necnon vtriuſque Iuris Doctore, magno ſtudio elucubratum, vt ad ſalutis viam, errantes in errorum deuio, deducantur, verè Tuba, quæ ſuſcitat Mortuos. Nil in eo (quod Excellentia Veſtra iubente perbolui) Regiæ Iuriſdictioni obnoxium; quinimmò futurum ſpero, vt ad huius Sacræ Tubæ clangorem, fidelitatis memores, Populi excitati clament: *Viuat Rex in æternum*. Poteſt ergo imprimi, ſi ita Excellentiæ Veſtræ videbitur. Sic cenſeo ex Carmelo noſtro S. Mariæ de Vita die 12. Iunij 1706.

Excellentiæ Veſtræ

Humillimus, & obſequentiſſimus ſeruus
F. Andreas Maſtellonus præfati
Conuentus humilis Prior.

Viſa relatione Imprimatur, & in publicatione ſeruetur Reg Pragm.

GASCON REG. MERCADO REG. BISCARDVS REG.

Prouiſum per S.E. Neap.21. Iunij 1706.
Spect. D.R. Andreas, & Ill. Dux Lauriæ non interfuerunt.

Maſtellonus.

ELEN-

ELENCHVS

Propoſitionum proſcriptarum, & Paragraphorum, quæ in hac Prima Parte continentur.

Propoſitio I.

Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti; relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis. Excepta ex Theſibus Antuerpiæ defenſis anno 1673. ab Ignatio Maillor. pag. 5.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 9.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 16.

§. Tertius.

An ſubiaciat huic damnationi qui vtitur opinione probabili, relicta tutiore, in receptione Sacramenti? 23.

§. Quartus.

An ſtante hoc Decreto Innocentij liceat vti opinione probabili circa iuriſdictionem? 27.

§. Quintus.

Incidentia quæſita reſoluuntur. 33.

Propoſitio II.

Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem. Eſt Bonac. 49.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 51.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 59.

§. Tertius.

Quædam incidentia dubia reſoluuntur. 67.

Propoſitio III.

Generatim, dum probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus: Eſt Tamburi. 76.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 80.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 85.
§. Tertius.
Sitne licitum amplecti opinionem minus tutam fauentem libertati, non ſolum probabiliorem, aut æquè probabilem, ſed etiam minus contrariam pro lege? 91.
§. Quartus.
Eneruantur obiecta contra vtramque aſſertionem. 113.
§. Quintus.
Reſoluuntur quædam quæſita ad completam notitiam probabilitatis. 127.
Propoſitio IV.
Ab Infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. Eſt Sancij. 134.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 136.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & nonnulla inferuntur. 141.
§. Tertius.
Num incurrat damnationem ſententia communi, quæ docet, ad aſſenſum Fidei non ſufficere probabilioritatem, ſed requiri euidentiam credibilitatis? 144.
Propoſitio V.
An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. Deſumpta ex Theſibus Antuerpiæ propugnatis ab Antonio Marchant. anno 1674. 149.

Pro-

Propoſitio VI.

Probabile eſt, nè ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum. Tribuitur Antonio de Eſcobar, ſed minus benè. 150.

Propoſitio VII.

Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus. Tribuitur Azorio, & Tamburino. ibid.

§. Primus.

Prænotiotiones pro intelligentia harum trium Propoſitionum. 154.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & nonnullis quæſitis ſatisfit. 165.

Propoſitio VIII.

Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, ob ſolam voluntatem non eſt peccatum (modo non obſit valetudini) quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. Eſt Sancij. 183.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 186.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 193.

Propoſitio IX.

Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. Eſt Maioris, Almayni, Pontij, Sancij, Gaſp. Hurtadi, Auerſæ, & aliorum. 198.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 200.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum, & quædam difficultates reſoluuntur. 202.

Propoſitio X.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. Eſt Arriagæ. 209.

Propoſitio XI.
Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos. Eſt Arriagæ. ibid.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 212.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, vnàque multæ difficultates enodantur. 216.
§. Tertius.
Circa ordinem Charitatis complura reſoluantur. 236.
Propoſitio XII.
Vix in ſæcularibus inuenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui. Eſt Vaſquez, & Dianæ. 249.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis: 251.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 256.
§. Tertius.
Quædam quæſita pro integranda materia expediuntur. 265.
Propoſitio XIII.
Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum. Eſt Caſtropalai. 268.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia terminorum Propoſitionis. 269.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 272.
§. Tertius.
Reſoluuntur quædam quæſita pro maiori dilucidatione ſupradictorum. 276.
Propoſitio XIV.
Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non
qui-

quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas. Eſt ex parte Tambur. & aliorum. 283.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 284.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 286.
Propoſitio XV.
Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes diuitias inde ex hæreditate conſequutas. Tribuitur Vaſquez, Salas, & Leſſio, ſed minus benè. 288.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 289.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 290.
Propoſitio XVI.
Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe. Accepta dicitur ex quibuſdam Theſibus Antuerpiæ defenſis anno 1674. 293.
Propoſitio XVII.
Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere. Tribuitur Suario, & Azorio. Sed non benè. 204.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia iſtarum Propoſitionum. 296.
§. Secundns.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 298.
Propoſitio XVIII.
Si à poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & Fidei glorioſum conſulo: tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno. Reperitur in Theſibus Anturpianis. 311.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 312.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, 320.

Pro-

Propoſitio XIX.
Volunta s non poteſt efficere, vt aſſenſus Fidei ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Eſt Arnoldi Marchant. in Theſibus Antuerpianis. 326.
Propoſitio XX.
Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum; quem habebat ſupernaturalem. Eſt eiuſdem. ibid.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia vtriuſque Propoſitionibus. 328.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 335.
Propoſitio XXI.
Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis, immò cum formidine, qua quis formidet, an ſit locutus Deus. Eſt quorundam Recentiorum. 340.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 346.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 348.
Propoſitio XXII.
Nonniſi Fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris. Tribuitur Arriag. 350.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 351.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 352.
Propoſitio XXIII.
Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimiliue motiuo, ad iuſtificationem ſufficit. Attribuitur Ripal. 358.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 359
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 361.
Propoſitio XXIV.
Vocare Deum in teſtem mendacij leuis, non eſt tanta irre-

uerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem. Attribuitur Baunyo. 362.

Propoſitio XXV.

Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit grauis, ſiue leuis. Eſt Tambur. ibid.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionum. 364.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 373.

Propoſitio XXVI.

Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiue intergogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam (fortè aliam diem) ab ea, in qua fecit, vel quoduis additum verum, reuera non mentitur, nec eſt periurus. Eſt Sanchez ex alijs. 381.

Propoſitio XXVII.

Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis; honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. eſt Sanchez, Leandri à Sacram. Candidi, Dianæ, & aliorum. ibid.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionum. 284.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 392.

§. Tertius.

Varij caſus reſoluuntur pro practico vſu amphibologiæ. 408.

Propoſitio XXVIII.

Qui mediante commendatione, vel munere, ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt; poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis de ſimilibus poteſt exigi, quia non tenetur fateri crimen occultum. Eſt Leſsij. 416.

§. Pri-

§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 417.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 422.
§. Tertius.
Duo dubia reſoluuntur pro complemento materiæ amphibogiæ.
Propoſitio XXIX.
Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. 426.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 428.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 430.
Propoſitio XXX.
Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem; qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari, nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſtè percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat. Eſt Gaſp. Hurtadi, & aliorum. 438.
Propoſitio XXXI.
Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei. Eſt Verde. 439.
Propoſitio XXXII.
Non ſolum licitum eſt defendere defenſioue occiſiua, quæ actu poſſidemus; ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus; & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. ibid.
Propoſitio XXXIII.
Licitum eſt tam hæredi, quam Legatario, contra iniuſtè impedientem, nè vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere; ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Prębendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem: Vtraque malè attribuitur Amico. ibid.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitions. 441.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 446.

COMMEN-

COMMENTARIJ

In Propoſitiones LXV. proſcriptas à fel. rec. INNOCENTIJ XI.

PRÆLOQVIVM.

TAm fœcunda eſt Theologiæ meſſis, vt vel ſolum ſpicilegium ſufficiat ad quemcumque ditandum. Non Auctorum ambitio id efficit, vt noua in lucem eiuſmodi lucubrationum prodeant volumina, ſed materiei copia, qua quiſque ſuum penu poteſt, vt lubet, implere dummodò ſufficiat ingenium, ac labor non deficiat: & quidem maximus præſertim his temporibus in parandis Commentariis ad Propoſitiones à pluribus Summis Pontificibus proſcriptas. Sanè ſi difficillimum, Iuſtiniano docente, Legum eſt ſtudium, æquè, vel magis eſt ſtudium Theologiæ, maximè circa notitiam damnationis Propoſitionum à Summis Pontificibus Innocentio XI. & Alexandro VIII. emanatæ. Quis, cui ſanum ſinciput, ijs ſuccenſeat, qui facilius illud proprijs laboribus efficiunt, ac planius? Fateor me difficilem ſuſcepiſſe Prouinciam: aſt Dei auxilio fretus, cuius gloriam dumtaxat intendo, ac animarum Moderatorum vtilitatem, alacri animo Commentarios, hoc Volumine, in Propoſitiones LXV. à S. M. Innocentio XI. nigro lapillo ſignatas conficiendos aggredior.

Igitur præfatus Pontifex Maximus die 2. Martij 1679. poſt ſedulam, & accuratam diſcuſſionem plurimarum Propoſitionum, ac Emin. ac Reuerendiſs. Dom. Cardinalium contra hæreticam prauitatem, necnon Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, ſtatuit, ac decreuit

Digitized by Google

pro tunc Sexagintaquinque Propoſitiones, *vt iacent, vt minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas eſſe damnandas, & probibendas. Sicut eas damnauit, & probibuit, ita vt quicumq; cuiuſuis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diuiſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quocumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij probibet omnibus Chriſtifidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant. Tandem, vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeù Scholaſtici, aut alij quicumque imposterum ſe abſtineant, & vt paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tam in Libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni cenſura, & nota, nec non à quibuſcumque conuicijs contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controuertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ ſuper ijſdem Propoſitionibus iudicium proferatur.* Propoſitiones huiuſmodi LXV. & in Elencho, & in Commentarijs vniuſcuiuſque apponuntur.

Porrò quamuis conſultatio de damnabilitate earum LXV. Propoſitionum facta fuerit à Congregatione Inquiſitionis Generalis Romanæ, Decretum tamen immediatè prodijt ab Innocentio XI. vt patet ex tenore Decreti; vnde & nomine ipſius promulgatum fuit, ſicut cæteræ leges Romani Pontificis promulgari ſolent. Eſſe autem hoc Decretum Romani Pontificis loquentis ex Cathedra, ſeù vt Eccleſiæ Capitis, facilè oſtenditur ex eo, quod decernit Romanus Pontifex vt Caput Eccleſiæ, quando Decretum edit pro vniuerſa Eccleſia, illudque vult ab omnibus fidelibus indubitanter admitti. Ita *Canus lib. 6. de locis Theolog. c. 8. in reſp. ad vlt. Suarez contra Regem Angliæ lib. 1. cap. 3. num. 16. Valen. 2. 2. qu. 1. pu. 7. §. 39. Granadus 2. 2. controu. 1 tract. 7. d. 2. ſect. 1. num. 1.* & alij communiter. Atqui ſic edidit Decretum hoc, vt patet ex tenore ipſius: Ergo &c. Pontifex autem, vt nihil determinet ſine matura deliberatione, decernit in Congregatione Cardinalium pro tota Eccleſia.

Huius Decreti, quatenus prohibitorium eſt, obligationem adſtringere conſcientias grauiter, dum verſamur in materia graui, vocari in dubium non poteſt. Et quidem aliquas damnat Propoſitiones, quæ negant eſſe peccatum, quod eſt peccatum veniale: in quo qui oppoſitum operatur, peccat venialiter: qui autem docuerit nullum eſſe peccatum, neque veniale, peccabit mortaliter, quia ſuſtinere eam doctrinam, eſt materia grauis, & ſcandaloſa, vt rectè *Corella*, & alii communiter. Quatenus verò declaratorium, manifeſtat, eas Sexaginta quinque Propoſitiones

nes

Digitized by Google

nes eſſe ſcandaloſas; & inſuper declarat alias leges Canonicas, à quibuſdam malè intellectas. Pontifex autem damnans aliquas Propoſitiones in materia Iuris Canonici, manifeſtè declarat, quo ſenſu eiuſmodi leges accipiendæ, & intelligendæ ſunt. Et dicitur etiam definitio Pontificis, ſecundo modo tamen. Dupliciter enim vſurpatur definitio. Primò pro deciſione, ſeù declaratione articuli Fidei: ſecundò pro qualibet declaratione Pontificis, quam circa doctrinam tradit omninò certam, & indubitabilem. Sic *Suarez in 3.p.d.19.ſect.3.num.16.* agens de damnatione, Clementis VIII. opinionis de abſolutione inter abſentes, ait: *Eſt igitur iam dicta ſententia certa in gradu à Pontifice definito.* Et *Vaſquez tom.4.tit.3.p.9. art.4.dub.2.num.1.* de eodem argumento tractans, ait: *Antequam Clemens VIII. definiſſet, ac determinaſſet opinandi licentiam circa præſentem controuerſiam, &c.* Et ita etiam eſt definitio Pontificia hoc Decretum, quia in eo Innocentius XI. affirmat, Propoſitiones eſſe ſcandaloſas: in quo errare non poteſt: Romanum enim Pontificem in materia morum errare non poſſe, ſatis fusè propugno in *Lydio Lapide Theol. Proleg.1.* Cætera circa varias cenſuras Propoſitionum videri poſſunt ibidem. *Proleg.2.*

Hinc malè quidam (quorum nominibus parco) cenſuerunt hoc Decretum dependere ab acceptatione populorum, & non habere vim in populis, vbi non eſt acceptatum. Et quidem quatenus declaratorium certum eſt; quod non dependet ab acceptatione, quia omnis veritas eſt independens ab eo, quod acceptetur, vel non acceptetur ab hominibus. Ideò *Leſſius l.2. de iuſtit. & iure,c.20.dub.23.num.192.* impugnans *Sotum* aſſerentem Concilium Lateranenſe ſub Leone X. non eſſe receptum in ijs, quæ ſtatuit de Montibus Pietatis, rectè ait: *Vt definitio alicuius veritatis rata ſit, non eget receptione populorum; non enim veritas, quæ definitur, pendet à receptione, aut cenſura ſubditorum.* Et habet ipſa Fidelium praxis. Nam licet in aliquibus Prouincijs non ſunt acceptatæ Conſtitutiones Concilij Tridentini, nunquam tamen reſtiterunt eius declarationibus doctrinalibus, etiam in materia morum. Et primò quidem *ſeſſ.13.cap.7.* ſic legimus: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debet.* Idem repetit *can.11.* Cui declarationi omnes Fideles obſequuntur, & in praxi retinent, etiam in illis Prouincijs, in quibus Concilij Conſtitutiones non ſunt receptæ. Similes declarationes habentur *c.5.&* 8. de more circumferendi in proceſſionibus per vicos, & plateas Sacram Euchariſtiam, & de more aſſeruandi illam in Sacrario, & deferendi ad infirmos. Quas declarationes admittunt etiam Prouinciæ, in quibus eius conſtitutiones non ſunt admiſſæ. Certum enim eſt, quod obligatio huius Decreti, quatenus prohibitorium eſt, nec pendet ab acceptatione Populorum; & ita conſtat ex communi ſententia Doctorum; nam cum

Digitized by Google

Leo X. definierit, Montes Pietatis eſſe licitos, & ſimul prohibuerit defendi oppoſitam aſſertionem, id Decretum quoad vtramque partem non pendere ab acceptatione populorum docuerunt Doctores communiter. Et quidem ſuppoſita declaratione Romanæ Cathedræ, docentis ea obiecta eſſe illicita, eo ipſo manent prohibita. Ergo cum neceſſariò acceptari debeat declaratio, eo ipſo debet acceptari neceſſariò & prohibitio. Et quòd attinet ad prohibitionem docendi, & propugnandi Propoſitiones damnatas, idem dicendum eſt: eſt enim iure naturæ prohibitum docere tamquam licita ea, quæ ſunt certò illicita. Et quamuis probabile quodammodò videatur, non peccare populum, ſi ex iuſta, & vrgenti cauſa non acceptaret hoc Decretum, qua pœnale eſt, id eſt, quà imponit excommunicationem latæ ſententiæ reſeruatam contra docentes, aut propugnantes Propoſitiones damnatas; tamen abſolutè aſſero non poſſe populum non acceptare hoc Decretum, etiam quà pœnale; quia nulla eſt cauſa rationabilis ad excludendam eam pœnam excommunicationis, cum tam immane delictum, quale eſt docere doctrinam à Romana Cathedra reprobatam, ea pœna dignum ſit.

Quoniam autem Commentarii in has ſexaginta quinque Propoſitiones proſcriptas in Decreto Innocentij, quod Tubam voco, & numero, & magnitudine doctrinæ excedunt editos in Propoſitiones Alexandri VII. ne inæqualitas molis in tomis notetur, in duas partes diuidendas duxi. Vndè fit.



INNO-

Digitized by Google

INNOCENTIJ TVBÆ

PARS PRIMA

Continens Commentarios in triginta tres Propoſitiones cenſura Innocentij confixas.

PROPOSITIO I.

Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti; relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.

1 QVamuis nonnulli Moderni tradiderint indiſtinctè in adminiſtratione Sacramentorum poſſe Miniſtrum ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; tamen hanc opinionem noluit configere hoc Decretum; ſatis enim ex ſe falſitas eius patebit; voluit ſententiam abigere, cuius falſitas ante hoc Decretum non tam clarè conſtabat. Ea autem ſententia, ſeu propoſitio excerpta fuit, vt iacet, ex Theſibus Antuerpiæ defenſis anno 1673. ab Ignatio Maillor, Moralis Theologiæ Profeſſore, indeque delata ad Sanctam Sedem: neque ſcio, an in aliquo alio Auctore reperiatur integrè, aut in illo ſenſu, qui ex eius verbis depromitur.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quæſtiones aliæ verſantur circa honeſtatem, aliæ circa naturam, conditionem, ſeù validitatem actus: primæ ſunt materiæ iuris, de quibus hic non agi-*

agimus: Secundæ ſunt facti. Et quænam hæ ſint?

3 *Ex quibus titulis poteſt conſiderari prohibitio exponendi Sacramentum fruſtrationi? An ceſſet irreuerentia quando miniſter probabiliter operatur, & ſuſcipiens conſentit Sacramenti miniſtrationi probabiliter validæ?*

4 *In Baptiſmo, & ordine Sacerdotali, ac Epiſcopali ſemper eligenda eſt opinio tutior circa Sacramenti valorem.*

5 *Non poteſt ad praxim eligi opinio minus tuta circa valorem Sacramenti, quando id vetat lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi.*

6 *In caſu neceſſitatis vrgentis eligi poteſt & debet ad praxim opinio minus tuta, quando opinio tutior ad praxim deduci nequit.*

7 *Etiam opinio parum tuta; & parum probabilis in neceſſitate deduci poteſt ad praxim.*

8 *Non ſolum in neceſſitate ſuſcipientis, ſed etiam miniſtrantis quis vti poteſt opinione minus tuta in adminiſtratione Sacramentorum.*

9 *Quæ opinio dicatur minus tuta, & quæ tutior in præſenti materia?*

§ *II.*

10 *Illicitum eſt in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, etiam quoties id non vetat lex Eccleſiæ, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Et contrarium tamquam ſcandaloſum damnatur.*

11 *Exceptio illa* (quoties id non vetat lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi) *eſt diminuta. In primis ex eo, quod omittitur excipi caſus ille, quo ignoranti, vel inuito quoduis Sacramentum conferatur incerti valoris, relicto ad libitum illo, quo ſecurè eſt validum. Et peccatur tum contra charitatem, tum contra iuſtitiam.*

12 *Nullum intercedit diſcrimen hic inter inuitum, & ignorantem ſuſcipientem.*

13 *Etiam ſi ſuſcipiens conſentiat miniſtrationi minus tutæ, non ſtatim miniſtrum immunem à culpa cenſere debes.*

14 *Excipere etiam debebat propoſitio non ſolum periculum incurrendi damnum graue, ſed etiam leue.*

15 *Excipiendum erat periculum deficiendi à Fide, vel patiendi graues tentationes, ac difficultates in conſeruatione illius, quæ ex Confirmationis nullitate reſultarent.*

16 *Excipienda etiam erat conſuetudo Eccleſiæ.*

17 *Excipienda etiam erant votum, iuramentum, & præceptum perſonale, ac temporale.*

18 *In Sacramentis conferendis extra caſum neceſſitatis eſt illicitum vti ſententia etiam probabiliori, omiſſa tutiori. Et contrarium eſt etiam damnatum.*

19 *Oſtenditur, quia eadem eſt ratio proſcriptionis.*

20 *Pontifex diſpenſans, vt Epiſcopus ab vno conſecretur, non vtitur ſententia minus tuta.*

§. *III.*

§. III

21 *Quid ſentiant Doctores ante, & poſt hoc Decretum circa vſum opinionis probabilis, relicta tutiori in receptione Sacramentorum?*

22 *Non eſt rectum aſſerere, licitum eſſe vſum opinionis probabilis, relicta tutiori in receptione Sacramentorum.*

23 *Propoſitio damnata loquitur de adminiſtratione, non de receptione Sacramentorum.*

24 *Quid diſtinguendum ſit in hac materia?*

25 *Adducuntur aliquæ illationes ex præcedenti doctrina.*

§. IV.

26 *Licet vti opinione minùs probabili circa iuriſdictionem, ſi verè ſit probabilis, & non tenuiter probabilis.*

27 *Ex quibus capitibus prouenit, quod tunc miniſter miniſtrat cum iuriſdictione certa? Et primò an Eccleſia tunc certò tribuat iuriſdictionem?*

28 *Refelluntur variæ opiniones circa iuriſdictionem, propter tenuem probabilitatem.*

29 *Sententia docens in mortis articulo, vel periculo poſſe pœnitentem abſolui à quolibet Sacerdote, etiam in præſentia habentis iuriſdictionem eſt tenuis probabilitatis, niſi habens iuriſdictionem nolit abſoluere.*

30 *Si ob periculum inceperat pœnitens confeſſionem cum ſimplici Sacerdote ob abſentiam legitimi, licèt poſtea adueniat legitimus, poteſt continuari confeſſio cum primo.*

31 *Secundò Eccleſia ſupplet defectum iuriſdictionis per ratihabitionem de præſenti.*

32 *Tertio ex eo, quod omnes Sacerdotes habent certam iuriſdictionem in venialia, & in mortalia ritè confeſſa.*

33 *Sacerdotibus non approbatis ritè interdictus fuit vſus iuriſdictionis in venialia, & in mortalia ritè confeſſa.*

§. V.

34 *An incurrat hanc damnationem propoſitio docens, licitum eſſe excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ in caſu grauiſſimæ neceſſitatis?*

35 *Peccat lethaliter excommunicatus, qui conſcius excommunicationis accedit, vt abſoluatur Sacramentaliter antequam abſoluatur ab excommunicatione.*

36 *Inualidum eſt Sacramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato antequam abſoluatur ab ea cenſura, & in eius poteſtate eſt, quod ab illa abſoluatur.*

37 *Licitum eſt ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, vel aliud damnum grauiſſimum excommunicato etiam excommunicatione reſeruata ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ.*

38 *Non incurrit hanc damnationem propoſitio, ſeù opinio docens, licitum eſſe excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ in caſu grauiſſimæ neceſſitatis.*

39 *Quid*

39 *Quid autem dicendum ſit in alio caſu admiſſo* à Ioanne de Cardenas, *rem ſſiuè.*

40 *An ſententia docens, quod licitè poſſit fidelis ex cauſa rationabili petere abſolutionem Sacramentalem ab excommunicato tolerato, ſubiaceat huic damnationi?*

41 *Sacramentum Pœnitentiæ datum ab excommunicato tolerato eſt validum, ſi concurrant cætera requiſita.*

42 *Ad quæſitum num.41. reſpondetur negatiuè.*

43 *Sententia docens, quod Sacramentum extremæ vnctionis poſſit licitè, & validè conferri, etiamſi oleum non benedictum ſuperaddatur ſæpius, dummodò ſingulis vicibus fiat admixtio in minori quantitate non benedicto; non ſubiacet huic damnationi.*

44 *Opinio docens: quod licitè in praxi poſſit adhiberi pro materia extremæ vnctionis Sacrum Chriſma, ſubiacet huic damnationi.*

45 *Opinio docens, non requiri vnctionem quinque ſenſuum, ſed ſufficere in vnico, & in qualibet parte corporis, ſubiacet huic damnationi.*

46 *Quæ ſint materia damnationis in Sacramenti matrimonij confectione?*

47 *Non eſt materia, damnationis huius propoſitionis ea, quæ ſpectant ad matrimonium iam contractum, ſed ſolum ea, quæ ſpectant ad matrimonium contrahendum.*

48 *Quando in quæſtione facti, & ex coniecturis vtrinque probabilibus reſultat purum dubium vincibile, non licet contrahere matrimonium; benè verò, ſi reſultet dubium inuincibile.*

49 *In quæſtione iuris, ſi opinio ſit tenuis, vel dubiæ probabilitatis, ſi praxi exponatur, ſubiacet huius propoſitionis damnationi.*

50 *Quando circa valorem matrimonij ſunt opiniones verè probabiles, quæ verſantur circa valorem contractus pendentem à iure humano, ex Eccleſiæ approbatione reſultat valor certus matrimonij.*

51 *Probatur ex duplici principio certo, nempè ex conſuetudine Eccleſiæ, & fauore matrimonij.*

52 *Matrimonium celebratum iuxtà opinionem probabilem, eſt indiſſolubile & ex parte contrahentium, & ex parte Eccleſiæ.*

53 *Deducuntur variæ opiniones, quæ non ſubiacent huic damnationi.*

54 *Subijcitur huic damnationi opinio aſſerens, matrimonium inualidum poſſe reualidari etiamſi alter coniux ſit inſcius nullitatis.*

55 *Adducuntur aliquæ practicæ cautelæ ad reualidandum matrimonium in caſu neceſſitatis.*

56 *An in dubio poſitiuo circa impedimenta iure diuino, & naturali dirimentia, certus ſit valor matrimonij ex diſpenſatione iuris Eccleſiaſtici?*

57 *Præfertur opinio affirmatiua.*

58 *Reſoluitur quæſitum cum reſponſione negatiua Auctoris.*

§. PRI-

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Quæſtiones alias verſari circa honeſtatem actus, quæ ſolet vocari materia iuris, & alias circa naturam, conditionem, ſeù validitatem actus, quæ dici ſolet materia facti: Quæſtiones circa honeſtatem actus verſantes dicuntur illæ, in quibus quæritur, an hæc, vel illa actio ſit licita, & honeſta, itaut abſque peccato fieri poſſit: putà an vir ſexagenarius teneatur ad ieiunium Eccleſiaſticum? an Clericus voluntarie diſtractus in recitatione Horarum Canonicarum ſatisfaciat? an in die feſto licitum ſit pingere, ac huiuſmodi. Quæſtiones verſantes circa validitatem, naturam, ſeu conditionem actus: hoc eſt, circa materiam facti, cenſentur illæ, in quibus de aliquo horum quæritur, putà, vtrum Baptiſmus aquâ roſacea collatus ſit validus? vtrum hæc, vel illa medicina ſit infirmo profutura? an hæc pars litigantium in iudicio habeat iuſtam cauſam? In quarum prima quæritur de validitate actus, ſiue Baptiſmi, in ſecunda de natura, ſeù virtute medicinæ, & in tertia de conditione cauſæ. Eſt autem inter quæſtiones prioris, & poſterioris generis notabile diſcrimen, ſiquidem honeſtas actus, proximè dependet totaliter à prudenti iudicio operantis, cui ſi actus eſt conformis; hoc ipſo bonus eſt, ac honeſtus, ſi difformis, malus. Ratio eſt, quia conſcientia eſt proxima regula actionum humanarum, per quam voluntati, quæ de ſe eſt potentia cæca, dictatur, quid ſit agendum, vel fugiendum: vnde fit, quod ſi actus eſt conformis conſcientiæ practicè rectę, licèt forſan inuincibiliter erranti, adhuc talis actus non ſit formaliter peccatum, neque imputetur ad culpam. Secus eſt de Quæſtionibus poſterioris generis, ſeù quæ verſantur circa materiam facti; etenim actus non deſumit ſuam naturam, conditionem, aut validitatem ex iudicio noſtri intellectus, quantumuis prudenti: ſed vel ex natura ſua intrinſeca, vel ex ordinatione, aut inſtitutione extrinſeca alterius. Sic enim medicina, ſi à parte rei, & ex intrinſeca natura ſua, non eſt proficua, ſed nociua, nil proderit infirmo, imò ipſum occidet, non obſtante iudicio probabili Medici, exiſtimantis eam profuturam. Similiter cauſa litigantis in Iudicio non eſt iuſta ex eo, quia eam Iudex probabiliter cenſet iuſtam, ſed quia ipſa à parte rei, & ſecundum legum ordinationem talis eſt. Sic pariter Baptiſmus aqua roſacea collatus non valebit ob probabile iudicium miniſtri, arbitrantis ipſum valiturum: ſi re vera talis non eſt ex inſtitutione Chriſti. Hic non eſt ſermo de quæſtionibus primi generis. Nam etiam in adminiſtratione Sacramentorum licèt vti ſententia verè probabili, vbi agitur de probabilitate

circa licitum, ac honeſtatem actus, vt docent *Petrus de Ledeſma in ſumma tom. 2. tr. 1. de Fide c. 5. poſt 6. concluſ. Prado*, & alii communiter cum *Card. de Lugo de Pœnit. d. 7. ſect. 13. num. 273.* ibi: *Regula illa, quod in operando liceat ſequi ſententiam probabilem, vera eſt in vniuerſum; ſi ſermo ſit de vltimo iudicio circa licitum, vel illicitum hic, & nunc. Neque obſtat illa alia regula, quæ dicit circa materiam, & formam Sacramenti Baptiſmi, & ordinis ſaltem Sacerdotij conficere: ſequi ſententiam probabilem: nam ibi non eſt ſermo de probabilitate circa licitum, ſed circa valorem, V.g. materiæ, vel formæ.* Vnde *Ioannes Card. nas hic differt. 2. cap. 1. num. 4* ait certum, *non contineri ſub ea damnatione electionem opinionis minus tutæ, quæ non verſatur circa valorem Sacramenti, ſed ſolum circa modum adminiſtrandi illud, V.g. ſi quis laicus conferret Baptiſmum in neceſſitate, & opinio, quæ aſſerit, illum licitè poſſe baptizare, quamuis ſit in ſtatu mortalis eſſet minus probabilis, & minus tuta; adhuc non eſſet contra præfatam damnationem deducere ad praxim eam opinionem.*

3 Notandum eſt ſecundò, prohibitionem exponendi Sacramentum fruſtrationi poſſe conſiderari, quod oriatur ex duplici titulo, vel quia præceptum Charitatis, & etiam iuſtitiæ (vt infra probabitur) obligat ad non defraudandum Fideles fructu Sacramenti, vel quia præceptum Religionis obligat ad non fruſtrandum, neque exponendum Sacramentum fruſtrationi: nempè propter reuerentiam debitam Sacramento. *Suarez, Valen. Henriquez, Petrus de Soto, Malderus, Breſſerus, Card. Brancatus, Madernus, Ioannes de Cardenas, Felix à Panormo, Spor r*, & alij afferunt, peccare mortaliter miniſtrum contra reuerentiam debitam Sacramento, quoties vtitur opinione minus tuta circa valorem Sacramenti. Imo *Lumbier*, & *Filguera* hic affirmant contrariam ſententiam incurrere damnationem huius primæ propoſitionis. Aliorum ſententia, (quam non minus probabilem exiſtimo) docet, nullam fieri irreuerentiam Sacramento per hoc, quod miniſter Sacramenti vtatur opinione minus tuta circa valorem, quia cenſet ſufficere quod miniſter ſibi perſuadeat probabiliter, nullam fieri irreuerentiam Sacramento: vltra quod probabiliter, ex eius doctrina, ad nil aliud obligatur. Ita *Salonius, Satyrus, Pontius, Antonius Perez, Sanchez, Vaſquez, Medina, Villalobos, Caſtropalaus, Baſſæus, Oniedus, Boſſius*, & alii cum *Arriaga tom. 3. diſp. 24. ſect. 4. num. 14.* qui hiſce verbis hanc ſententiam probat: *Quando quis prudenter aliquid facit, eo ipſo non facit Deo irreuerentiam, nec ſe exponit periculo, niſi ſummum faciendi id, quod in ſe, & materialiter eſt irreuerentia; eodem planè modo, quo qui amat obiectum aliquod, de quo adhuc eſt ſub opinione, vtrum ſit offenſa Dei, non exponitur periculo faciendi Deo irreuerentiam, ſed ſummum faciendi id, quod materialiter eſt malum, ſeù prohibitum.* Huic ſententiæ adhæret *Hurtadus De la Fuente hic differt. 1. c. 6. num. 55. concl. 4.* cuius hæc ſunt verba: *Secluſa neceſſitate, aliquan 10 idem licere, valdè probabile eſt, ſcilicet, cum ſuſcipiens conſentit, quantum eſt ex ſe, & fauori ſuo licitè, ac validè renunciare valet, &*

aliun-

aliundè nec lex obſtat, neque conſuetudo Eccleſiæ, nec præiudicia aliorum, neque peculiaris obligatio miniſtrantis, neque ſpecialis religio alicuius Sacramenti. Solentque adhiberi exempla ex confeſſionibus, quæ voluntariè inſtituuntur, & licitè omitterentur, atque ex ijs etiam præceptis, quæ fiunt licitè cum attritione cognita Confeſſario, ac pœnitenti. Ratio autem eſt, quia cum nihil iſtorum obſtat, ſolum poteſt ſupereſſe irreuerentia ex natura rei imbibita in illo incerto modo miniſtrandi propter periculum nihil agendi, & naturalis obligatio, qua virtus religionis eam vetat. Atqui ob hanc præcisè cauſam, neque Sacramentum, aut auctorem eius irreuerenter tractari, neque virtutem religionis lædi, adeò probabilis opinio eſt, adeò communis, adeò ſolidis argumentis comprobata ab innumeris Auctoribus, qui illam ſectantur, vt nec poſſit reprobari, nec debeat. Et vt præoccupetur omnis alia inſtantia addo, quod quando ſuſcipiens conſentit Sacramenti miniſtrationi probabiliter validæ,(exceptis caſibus, in quibus conſentire non poteſt, vt infra) miniſter non facit actionem, in qua inuoluitur irreuerentia Sacramenti: nam licèt Sacramentum ſit inſtitutum ad hoc, vt Fideles percipiant fructus eius; tamen inſtitutio reſpicit vtilitatem Fidelium; hanc autem vtilitatem non reiiciunt Fideles conſentientes ſibi miniſtrari Sacramentum miniſtratione probabiliter valida, licet non curent modum tutiorem percipiendi: quod ſibi ipſis non præcipitur curare; nec ſtante conſenſu Fidelium præcipitur miniſtro. Hinc præter Auctores relatos, *Maſcharennas tr. 1. de Sacram. d. 2. num. 73. concluſ. 3. Scildere tr. 2. de Conſcientia c. 9. num. 113. & Verricelli 1. p. tr. 2. qu.* 27. docent, quod quando ſuſcepturus Sacramentum abſque peccato contra propriam, aut alienam charitatem, iuri, ac lucro ſuo cedere poteſt, E.g. quia ei licitum erat non confiteri hodie, aut non communicare; non ſit illicitum, ſi iuri ſuo re ipſa cedat, & Sacramento probabiliter valido conſenſus ſit, illud ipſi miniſtrari.

4 Notandum eſt tertiò, certum eſſe (id quod ipſa propoſitio ſupponit) in Baptiſmo, & ordine Sacerdotali, & Epiſcopali ſemper eligendam eſſe opinionem tutiorem, circa valorem Sacramenti; quia ſi in Baptiſmo, vel ordine Sacerdotali, & Epiſcopali eligatur opinio minus tuta, magna incommoda ſequentur in perniciem ſalutis animarum. In Baptiſmo quidem periculum damnationis æternæ in Baptizato; in ordine autem Sacerdotali ſequitur periculum nullitatis conſecrationis, & abſolutionis Sacramentalis, ſi eam exerceat ſic ordinatus. In ordine autem Epiſcopali ſequitur periculum nullitatis ordinum, quos confert, & inde innumera alia abſurda, quæ ex ea nullitate ſequi quilibet coniicere valet. Hinc, quamuis non deſint Auctores, qui velint, abſolutè loquendo, validum eſſe Baptiſmum, abluta quacumque etiam minima corporis parte; quia tamen id opinio communior vel negat, vel ſaltem incertum putat, ideò in praxi ſemper tutior pars, quantum fieri poterit, eſt eligenda. Et in ordine Sacerdotali quamuis probabilis ſit ſententia *Sanchez, Filliucij, Bo-*

nac. & *Dicaſtilli* exiſtimantium, quod ſi tradatur vna tantum ſpecies, putà panis, vel vinum, ſit valida ordinatio; quia tamen, contrarium docent *Gab.à S. V. Andreas à Matre Dei, Felix à Panormo*, & alij, & ordo ſic ſacrilegè adminiſtraretur, & eſſet ſub conditione reiterandus: *Diana p.10.tr.13.reſ.50.* & alij contra *Marchantium*; & ſic in facti contingentia practicatum fuiſſe in partibus Hiſpaniarum teſtatur *Villalobos to.1.ſum. tr.11.diff.4.* Et idem dicendum, ſi tradatur quidem etiam Calix, ſed vacuus, *Diana* relatus, contra *Marchantium*: Vel ſi Calix contineat tantum aquam, vel ſi hoſtia non ſit ex vero pane, ex negligentia Magiſtri cæremoniarum, vt poſt alios *Barb.l.1. de iure Eccleſiaſt.c.34.num.17.* Licèt contrarium doceant aliqui, ſi altera materia, quæ traditur, ſit apta: Vnde monet *Barb.* vt Magiſtri Cæremoniarum videant apponi vinum, & vt Epiſcopi cautiùs agant procurantes, vt diſcooperiatur Calix vt videant nec ne adſit, priùs quàm ad materiæ traditionem properent. Similiter licet probabilis ſit ſententia *Tamburini, Coton.ij*, & aliorum negantium Calicem, & Patenam debere eſſe conſecrata de neceſſitate Sacramenti, quia tamen contradicunt *Caſtropalaus*, & alii, quorum ſententia tutior eſt; ideò ſi talia inſtrumenta non fuiſſent conſecrata, & graue ſcandalum eſſet commiſſum, & ordo eſt ſub conditione repetendus; vt docuit *Dian. p.10. tr.15. reſ.20.* Pariter, eſtò *Sot.is, Valen. Vaſquez, Hurtadus, Granadus, Leander à Sacram. Reiffenſtuel*, & alij probabiliter aſſerant, ſufficere ad valorem huius ordinationis tangere ſolum Calicem, ſuper quem impoſita eſt Patena; nihilominus, quia contrarium eſt etiam probabile ſecundum aliquos, ideò ordinatio ſecundum iſtos Doctores eſſet ſacrilega, atque repetenda ſub conditione. Ita *Dicaſtillus*, & alij. Sufficere tangere Patenam, & Calicem, quamuis non tangatur Hoſtia ſuperpoſita, docent *Lublinus, Alloza, Felix à Panormo, Martinus de S. Ioſeph, Auerſa, Maſtrius, Renzi, Iſambertus, Cotonius, Reiffenſtuel*, & alii: quam ſententiam ita certam moraliter putant *Dicaſtillus, Gobat, Diana*, & *Renzi*, vt dicant ordinationem non eſſe repetendam ſub conditione: quia tamen ſententia contraria *Philippi Fabri*, & *Fernandez* non videtur omninò improbabilis, ideò in praxi putat rectè *Carolus de Baucio* neceſſariò tangendam eſſe Hoſtiam ſub onere peccati mortalis, & aliàs ordinationem factam eſſe repetendam. Sufficere, vt inſtrumenta porrigerentur ab Epiſcopo, mediante Archidiacono, vel alio putarunt *Sotus, Auerſa*, & alij: Verum quia contrarium docet cum *D.Thoma* communior ſententia de omnibus ſacris ordinibus, quæ proculdubio eſt tutior, ideò ſacrilegè ſic ordo Sacerdotalis, vel alius ſacer conferretur, & eſſet repetendus ſub conditione, vt de facto in ſic ordinatis ab Epiſcopo *Scanagata Abellinenſi* declarauit, & fieri iuſſit S. Congregatio de mandato Pontificis anno 1697.

5 Notandum eſt quartò, euidentiſſimum eſſe id alterum, quod ſupponitur in ipſa propoſitione damnata, nempè non poſſe ad praxim eligi

opi-

opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti, *quando id vetat lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi*. Et incipiendo ab hoc vltimo, ſi ex electione minus tutæ opinionis impendeat periculum grauis damni, certum eſt, eam eligi non poſſe: ſemper enim graui obligatione tenemur vitare periculum grauis damni, ſiue proprium, ſiue proximi. Item quoad ſecundum, ſi inter Confeſſarium, & pœnitentem detur conuentio, qua ſe obliget Confeſſarius ad non vtendum opinione minus tuta circa abſolutionem eius pœnitentis, conuentio iſta erit alius titulus pro obligatione, eligendi opinionem tutiorem. At circa primum, dicere collationem Sacramenti tunc eſſe licitam, cum nulla lex illam prohibet, illicitā verò ſi lex aliqua illam vetet, certum quidem eſt, ſed in propoſito inutile; quia nihil penitus conducit ad diſcernendū, quando in praxi liceat, aut non liceat miniſtrare Sacramenta ex opinione probabili. Cæterum contextus ipſe propoſitionis demonſtrat, longè alium eſſe eius ſenſum, atque in ea exceptione, *niſi lex id vetet*, non eſſe ſermonem de lege vniuerſim ſumpta, prout comprehendit quamlibet legem, ſiue æternam, ſiue poſitiuam, ſiue naturalem; ſed ſolum de lege poſitiua Eccleſiæ, quæ id vetat in multis caſibus, eoſque reddit cerò illicitos, quamuis fortaſsè licerent, inſpecta ſolum lege naturali. Subaudiri igitur debet ex contextu propoſitionis, vt iacet, vox illa *Eccleſiæ*, ac ſuppleri, quaſi expreſſim diceret, non eſſe illicitum talem modum conferendi Sacramenta, niſi lex Eccleſiæ id vetet, vel conuentio, vel periculum incurrendi graue damnum.

6 Notandum eſt quintò, in caſu vrgentis neceſſitatis eligi poſſe ad praxim opinionem minus tutam, quando opinio tutior non poſſit ad praxim deduci. Conueniunt in hoc, & certum exiſtimant *Piſanus, Corella, Torrecilla, Filguera, Ioannes de Cardenas, Hurtadus De la Fuente, Pratelius, Felix à Panormo, Reiffenſtuel, Sporer*, & alij poſt hoc Decretum ſcribentes. Et colligitur ex ipſa damnatione propoſitionis illis verbis, *relicta tutiore*; quia in eo caſu vrgentis neceſſitatis cum impoſſibile ſit eligi tutiorem, non relinquitur tutior; non enim dicimur relinquere, niſi quæ poteramus adhibere. Caſus obuii ſunt apud Auctores relatos à *Paſqualigo in Theoria, & praxi conſtitutorum in periculo, & articulo mortis à qu.9.* docentes, infantem iamiam moriturum, deficiente aqua elementari, baptizandum eſſe cum lixiuio, luto, aut iuſculo non valdè ſpiſſis, vel in digito, aut in capillis, ſi alia eius pars non pateat. Neque enim relinquendus eſt abſque remedio profuturo probabiliter; licèt probabile etiam ſit non profuturum, quatenus baptiſmus ſic confectus eſt etiam probabiliter inualidus. Porrò in re tanti momenti, qualis eſt æterna ſalus, tunc certiſſimè amittenda, & omninò deſperata, magni facienda eſt qualiſcumque ſpes remedij, & longe optabilior ſtatus dubij, ſiue incertitudinis, quam ſtatus deſperationis, derelictioniſque totalis. Qua propter prudentiæ erit, & debitum iuſtitiæ

Digitized by Google

ſtitiæ, aut charitatis non deſiſtere, ſed remedium applicare proximo ſic indigenti, quod multum fortaſsè proderit, ac numquam nocere valet. Et cum in medicis corporalibus hæc certa ſint, à fortiori transferenda ſunt ad ſpirituales. Neque enim eis obſtat lex, aut conſuetudo Eccleſiæ, quæ contra potius eſt in iſtis caſibus. Nec grauis damni periculum. Nam ex oppoſito inſtat non tam periculum, quam certum, atque grauiſſimum damnum, à quo infans probabiliter eripitur, & quod poteſt reſultare ex incertitudine baptiſmi, ſi ille viuat conditionata Sacramenti repetitione curabitur. Nec tunc demum propriè relinquitur à conſilio miniſtri opinio tutior, quia ſupponimus deficere materiam certam, & vſum eius non eſſe in illius poteſtate. Nec obſtat reuerentia debita Sacramento, nam ſaltem in caſu neceſſitatis nulla fit irreuerentia Sacramento, quia ipſa neceſſitas omninò aufert irreuerentiam, (ſi daretur: non enim dari iam ſupra probauimus) ſic loqui Sacerdotem in Eccleſia inter Diuina officia, irreuerentia eſt; ſi tamen neceſſitas vrgeat, vt poſtulet aliquod neceſſarium ad ſacrificium, omninò ceſſat irreuerentia.

Itaque in tanto diſcrimine non ſolum licebit vti opinione probabiliore de valore Sacramenti; ſed etiam minus probabili. Nam quælibet probabilitas de valore Sacramenti fundat ſpem prudentem, ac probabilem de fructuoſo exercitio ſui, maiorem, vel minorem pro menſura probabilitatis, cui innititur. Vbi autem affulget ſpes remedij, quo ſublato omnimoda deſperatio ſuccedit, illud omitti non poteſt, nec præpediri eo prætextu, quod parua ſit ſpes, fructus, & metus contrarij euentus maior, ſed tentandum adhuc eſt, & inſiſtendum, vt paſſim fieri videmus in alijs magnis periculis vitæ, aut honoris, aut famæ. Et cum Sacramenta fuerint inſtituta non tam ſui gratia, quam in fauorem fidelium, recta ratio exigere videtur vt in conflictu opinionum illa potius in praxi ſeligatur, quæ fauet ſuſcipienti, etiam cum periculo nullitatis Sacramenti, quàm quæ ſuſcipientem deſerit, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Quæ eſt ſententia communiſſima tradita à *Sanchez*, *Suarez*, *Valen. Henriquez*, *Monteſinos*, *Franciſco de Lugo*, *Giballino*, *Filliucio*, cum alijs, quos dabunt *Diana p.2. tr. & reſ.13. & p.3. tr.3. reſ.9. Verricelli*, & alij ſcribentes ante hoc Decretum, & poſt Doctores ſupra relati, & *Martinus Torrecilla tr.1. concluſ.2. num.67. & Corella num.9* afferunt exemplum, ſi miniſter in caſu neceſſitatis baptizaret cum aqua roſacea.

7 Addunt non pauci, etiam opiniones parum tutas, parumque probabiles, quibus citra neceſſitatem non liceret vti, in hoc caſu eſſe exercendas: ne quidquam intentatum relinquatur, dum agitur de vitando graui malo, ſeu periculo, ac præſertim animæ. Hæc enim ſępè faciunt in moralibus, vt ſola formido præponderet opinioni, atque vt ſatius ſit ſecundum illam operari in fauorem animarum, cum ſpem aliquam probabilitatis retinent, quam opinioni contrariæ deferre, licèt ſit multum probabi-

lis

Digitized by Google

lis. Ita *Sotus* de tegendo ſecreto *memb. 3. q. 2. concluſ. 2. Nauar. in c. Inter verba, Coroll. 53. num. 135. in fine, Baldellus to. 1. Theol. mor. l. 4. d. 1. num. 15. & d. 12. num. 4. Sanchez l. 2. de matr. d. 36. num. 8. Leſſius l. 2. de iuſt. & iure cap. 17. num. 77. in fine, Ioannes Præpoſitus in 3. par. q. 4. de confeſſ. num. 88. Villalobos in ſum. tr. 1. diffic. 8. Diana p. 4. tr. 4. reſ. 59. Caſtropalaus p. 1. tr. 1. d. 2. pu. 2. num. 5. Reginaldus in praxi l. 13. num. 89. Verricelli 1. p. qu. mor. & leg. tr. 2. q. 36. num. 5. Franc. de Lugo de Sacram. c. 1. num. 54. Saraſa de conſcientia p. 2. tr. 5. num. 45.* Qui omnes ſic diſcurrunt in pleriſque euentibus, vbi non aliter declinari poteſt periculum magni damni, nominatimque circa Baptiſmum in ſola digiti extremitate exterius patente conferendum infanti latenti in vtero, & forſan morituro, quin naſcatur; nec non circa abſolutionem moribundi ſenſibus deſtituti, qui præſente Confeſſario neque vlla edidit doloris ſigna, neque pœnitentiæ Sacramentum poſtulauit; item circa reualidationem matrimonii nulliter contracti ob impedimentum occultum faciendam, quin alter coniux conſcius fiat nullitatis, cum ex ea notitia grauia incommoda timentur honoris, vitæ, vel famæ. Eſto enim opinio de valore Sacramenti parum probabilis ſit, adhuc tamen ſatius creditur, cum anguſtiæ premunt vndique teneri iſti probabilitati confidere, tenuemque remedii ſpem ex eius vſu concipere, quam deiici, & omninò deſperare. Quare tunc licitus erit vſus cuiuſque opinionis de valore Sacramenti, ſiue ſit certò probabilis, ſiue ſolum probabiliter probabilis, imò quamuis dubium conferenti ſit, num opinio, cuius vſu indiget ſit probabilis, aut improbabilis, vt ſpecialiter notauit *Verricelli ſupra*, & facile poteſt contingere in caſibus repentinis, quibus ſine mora eſt occurrendum, ne occaſio præterlabatur. Et proindè *Card. de Lugo de Sacram. d. 8. num. 140. Franciſcus de Lugo, Renzi*, & alii docent, in extremo iſto diſcrimine poſſe conferri Baptiſmum cum liquore aliquo, de quo dubium eſt, vtrum ſit materia aquæ, vel omninò inepta, cum neque ex viſu, neque ex guſtu, vel odore poteſt id diſcerni, & res non patitur moram, qua aliis modis poſſit eius aptitudo, vel ineptitudo examinari. Videndus *Diana* cum relatis *p. 8. tr. 1. reſ. 49. & Giballinus tom. 1. de ſcientia canon. l. 3. c. 7. qu. 5. conſect. 4. & 5. Tamburinus l. 2. de Sacram. c. 1. §. 1. & 2.* qui plures caſus ſingillatim examinant, & rectè aduertunt, in hoc dubio Sacramentum miniſtrandum addita illa conditione: *Si materia eſt apta*; repetendum verò, ſi poſtea adſit opportunitas, ſub hac: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

8 Quæ autem diximus de neceſſitate graui ſpectante ad ſuſcipientem, ſeruata proportione extendi ſolent ad parem neceſſitatem ſe tenentem ex parte miniſtrantis. Nam ad miniſtrantes ſpectat, nempè ad iſtos contrahentes per ſigna externa conſenſus, & acceptationis mutuæ caſus ille matrimonii inualidi, quod *Sanchez, Leſſius*, & alii ex nuper appellatis affirmabant

Digitized by Google

mabant reualidari poſſe per conſenſum mutuum inſcio prioris nullitatis altero ex coniugibus, obtenta diſpenſatione impedimenti, quod ei manifeſtari non valet abſque maximo periculo mortis, ſcandali, aut infamiç. Vndè ſi mors intentatur, vel alterum graue malum ex his, quorum iuſtus metus ab obligatione aliorum præceptorum ſolet excuſare, licitum erit miniſtro, non aliter euaſuro aliquod ex iſtis malis, baptizare puerum in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque, licèt ea forma ſit ſolum probabilis, vt notant cum aliis pluribus *Beſſerus l.3. de conſcientia nu.105.Giballinus eo conſect.4.num.9. Salas to.1.in* 1.2.*tr.8.nu.98.Baltellus d.d.12.nu.17.Vericell. ſupra qu.27.nu.7. Sporer Theol.mor.to.1.tr.1.c.1.ſect.3.aſſert.9.§.1.n.54.*

9 Notandum eſt ſextò, quod opinio minus tuta dicitur illa, quæ exponit Sacramentum fruſtrationi, probabiliter aſſereas illud Sacramentum eſſe validum. Opinio verò tutior eſt illa, quæ non exponit Sacramentum fruſtrationi, dum probabiliter aſſerit, Sacramentum non eſſe validum, V.g. in ea quæſtione: *An valeat Baptiſmus collatus in lixiuio?* Quæ aſſerit probabiliter illum valere, dicitur opinio minus tuta, quia cum non ſit certum illum valere, exponit Baptiſmum fruſtrationi. Opinio verò, quæ dicit, eum Baptiſmum non valere, dicitur opinio tutior, quia inde ſequitur, quod non debeat ita fieri Baptiſmus extra caſum neceſſitatis. Qua ratione non fruſtrabitur Sacramentum, atque adeò tutius erit, quod non ità miniſtretur Baptiſmus: Porrò non eſt idem, quod ſit opinio tutior, & quod ſit probabilior: ſæpè enim opinio probabilior præſcribit valorem Sacramenti. Quare ex tenore Decreti tenemur omittere opinionem probabiliorem circa valorem Sacramenti, quando minus probabilis eſt tutior. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum

10 Dico primò. Illicitum eſt in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: etiam quoties id non vetat lex Eccleſiæ, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi; & contraria aſſertio vt minimum tanquam ſcandaloſa hoc Decreto abigitur.

11 Probatur; quia exceptio aſſertionis reiectæ, nempè licitum eſt, *quoties id non vetat lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi*, eſt valdè diminuta; multa enim alia omittuntur in exceptione cum pernicie animarum: Et imprimis excipiendus eſt caſus ille, quo ignoranti, vel incepto quoduis Sacramentum conferatur incerti valoris, relicto ad libi-

libitum illo, quod ſecurè ac certò eſt validum. Hic autem caſus non comprehenditur in prædictis exceptionibus, ſed ſecluſa lege Eccleſiæ, conuentione, vel periculo cuiſcumque alterius damni ex natura rei eſt planè illicitum decipere ſuſcipientem in re tanti momenti, eumque repugnantem, aut ignarum defraudare lucro, ac bono Sacramenti, quod certò acquirere poſſet, & certò acquirere ſatagit. Quam eſſe communem omnium opinionem docentium, miniſtrum tunc peccare ſaltem contra charitatem, meritò dixit *Ludouicus Scildere tom.2. de Conſcientia num* 112. atque omnes conuenire in hoc puncto, iam antea tradiderat *Ioannes Salas tom.1.num.1.2.tr.8.n.93.* Et quamuis aliqui pauci ſcribentes poſt *Ioannem Salas,* dixerint, non peccare contra charitatem; iam præſertim poſt hoc Decretum nullatenus audiendi ſunt, vtpotè doctrinam falſam, & ſcandaloſam, ſubiectamque damnationi huius propoſitionis obtrudentes. Vnde quamuis permittatur eam doctrinam vtcumque tolerari potuiſſe, ſi ſolum diceret Sacramentum probabiliter inualidum licitè miniſtrari conſentienti, cum aliæ exceptiones non obſtant; intolerabile prorſus eſt, & temerè aſſeritur contra commune placitum Eccleſiæ, ac Theologorum id non eſſe illicitum ex genere, ac natura ſua cum ille poſitiuè diſſentit, vel non conſentit periculo amittendi lucrum certum gratiæ actualis, & habitualis, aliorumque bonorum, quod alioqui poſſet reportare iuxta inſtitutionem Chriſti. Quia (inquit *Sayrus l.1.clauis c.7.num.7.*) *obligatio charitatis, qua tenemur prouidere proximo de remedio, poſtulat, vt prouideamus rem dia illa, quæ tuta ſunt. Ergo qui minus tutam partem eligit propter opinionem probabilem, non ſatisfacit huic obligationi, & ita quamuis non peccet malè tractando Sacramenta: peccat tamen malè prouidendo de remedio tuto, & ſecuro, cum id ſine periculo facere potuiſſet.* Et ſanè quis non videt, illicitum eſſe Sacerdoti habenti duas Hoſtias ad manum, aliam certò conſecratam, aliam ſolùm probabiliter, nolle miniſtrare certam, ſed ſuſcipienti porrigere illam, de qua dubium eſt, an in ipſa lateat Chriſtus, vel potius communis panis? Idemque videre licet in Epiſcopo, qui Sacramentum Confirmationis adeò vtile, & irreiterabile latenter conferret cum ſolo oleo ſine balſamo, relinquendo chriſma certum ex balſamo, & oleo confectum, quo vti poſſet æquè facilè: nec non in Confeſſario, qui opinabili, & vtrinque incerta forma abſolutionis vteretur, etiam in ſola confeſſione venialium, erga pœnitentem, qui ex ſua parte certam materiam ipſi exhibet, & virtute Sacramenti certam eorum remiſſionem intendit comparare, & augmentum gratiæ, & gloriæ acquirere, quod elapſa hac occaſione, poſtea non recuperabitur, licèt aliæ confeſſiones, aut communiones voluntariæ repetantur: nam huiuſmodi repetitione nouos alios gratiæ, ac gloriæ gradus compararet, diſtinctos ab illis, quos amiſit. Hoc totum confirmatur ex *D. Auguſtino l.1. de Baptiſmo c.3.* dicente: *Grauiter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel ex eo ſolo, quod certis in-*

certa præponere. Imò in iſtis euentibus rectè docent *Hurtadus De la Fuente hic diſſert.1.c.2.num.16. Madernus to.2.tr.5.q.4. num.11. Sanctius d.44. nu.15. Sayrus, Perez*, & alij interuenire peccatum contra virtutem iuſtitiæ, etiam ſi miniſter non ſit parochus, ſed miniſter voluntarius. Ratio clara eſt, quia Sacramenta ſunt præcipuè à Deo inſtituta in vtilitatem omnium non quatenus omnes ſunt, & ſimul ſumpti vnam Eccleſiam, aut communitatem faciunt, ſed potius, quatenus ſinguli, & ideò vnuſquiſque habet ex vi inſtitutionis Chriſti ius proprium, ac peculiare exigendi à legitimis miniſtris, & diſpenſatoribus tanti theſauri totam eam vtilitatem, ac ſecuritatem, quam Chriſtus intendit, voluitque conferri afferenti ex parte ſua qualitates neceſſarias; nihilo ſecius, in quorum fauorem inſtituuntur Montes Pietatis, æraria communia, aut alia opera miſericordiæ, E.g. panis, aut pecuniæ quotannis diſtribuendæ inter pauperes, & orphanos alicuius loci. Atqui in his caſibus miniſtri, ac diſtributores, ſiue neceſſarij, ſiue voluntarij, verum panem, veramque pecuniam, ſi poſſunt, conferre debent, & contra iuſtitiam delinquent, ſi loco ſecuræ, ac certæ inuitis conferant aliam, quam probabile eſt nihil valere. Idem ergo à fortiori dici debet de hac pientiſſima Sacramentorum fundatione facta à Chriſto, cuius ſumma charitas erga genus humanum non patitur, vt deteriori modo, minuſque proficuo interpretemur voluntatem eius, quam interpretamur alias.

12 Porrò hic nullum diſcrimen faciendum eſt inter inuitum, & ignorantem, carentemque vſu rationis. Vnde dicta de ſuſcipiente, qui poſitiue diſſentit, & ius ſuum ad Sacramentum indubitati valoris proſequitur, & pariformiter procedunt circa ignorantem, amentem, infantem, & alios, qui non conſentiunt, nec renunciant iuri ſuo. Nam hi iniuriam patiuntur; & inuiti reputantur, cum ipſis præiudicium inferatur circa bona, ſeù quæſita, ſeù quærenda, maximè ſi ad illa comparanda, (vt in Sacramentis euenit) habeant ius abſolutum. *Nam inuitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit; verùm eum quoque, qui conſenſiſſe non probatur*, ex text. *in l.filius familias*, 8.§.*Inuitus, ff.de procurat.l. Qui vas*, 49.§. *vetare, ff.de furtis*, ibi: *Vetare autem Dominum accipimus etiam eum, qui ignorat, hoc eſt eum, qui non conſentit*. Atque eapropter, vt præmonebat *Conſultus in leg. Inuitum*, 5.*ff.de ſeruit.vrban.præd. Pomponius*, & *infantem, & furioſum inuitos rectè dici ait: non enim ad factum, ſed ad ius ſeruitutis hæc verba referuntur*. Immò ignorantem, aut amentem, *rectiùs inuitum dici, quam qui diſſentit*, totidem verbis habetur in *l.in eo iure*, 45.§.*deindè, ff. de ritu nupt.* Ita *Hurtadus De la Fuente ſupra n.19. Sanctius n.15.* & alii communiter, contra *Caſtropalaum p.1.tr.1.d.2.pu.5.n.9.*

13 Si autem ſuſcipiens conſentiat, non ſtatim immunem à culpa miniſtrum cenſere debes, ſed ſi cætera non obſtant: ſæpe enim miniſtranti erit peccatum certis incerta præponere, & relicta via tutiore non confer-

ce niſi Sacramentum probabiliter validum. Et hoc accidit in primis quoties ſponte derelinquitur via trita, & vſitata ab Eccleſia, cuius legi, aut conſuetudini vtpote reſpicienti principaliter bonum publicum, ac religionis nequeunt ſuſcipientes renunciare, vnde benè *Caſtropalaus* ipſe *ſupra n. m. 7.* contra *Antonium Perez, & Salas* intulit, nullo modo licere Sacerdoti miniſtrare adulto Baptiſmum, ſub nomine Genitoris, Geniti, & Procedenti ab vtroque, quantumcumque ipſe conſentiat, quia vſus illius formæ debitus eſt ex præcepto Eccleſiæ, ob publicationem Fidei, & notitiam claram ipſius: cum enim Baptiſmus ianua ſit Eccleſiæ, oportebat in illo notitiam Trinitatis exprimi clarioribus verbis. Similiter etiam infert *Caſtropalaus* loco nuper allegato aduerſus eundem Doctorem, grauiter peccaturum Sacerdotem celebrantem pro ſe ipſo, conſecrantem Calicem, & limitantem intentionem ad ſola illa verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*: reliquis verbotenus prolatis, quia obſtat vſui communi Eccleſiæ illa dicentis, & intendentis omnibus illis conſecrationem fieri, quia forte omnia illa neceſſaria ſunt. Id ipſum euenit, quoties incertitudo Sacramenti præiudicat iuri, ac bono aliorum, vt præiudicat incertitudo Sacerdotii, vel Epiſcopatus iis, qui ſunt ab iſtis abſoluendi, aut ordinandi. Atque ſimiliter dum ſuſcipiens peccat contra charitatem propriam conſentiendo, ſeù cedendo iuri ſuo (eſtò demus ei non fieri iniuriam, quia ea non fit ſcienti, aut volenti) adhuc negari non poteſt etiam miniſtrum peccare contra charitatem eius, vtendo tali ceſſione, & præbendo ex parte ſua vltimum complementum peccato. Huius rei appoſitum exemplum ſuppeditant Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, nec non & Sacramentum iuſtificans in mortis articulo conſcios peccati mortalis. Nam ſicut temerè agit, & æternam ſuam ſalutem prodigit, qui ſeſe ſponte deſtituit mediis adeò neceſſariis, ita & ille temerarius eſt, & prodigus ſuæ ſalutis, qui in hoc negotiis incertis certa poſtponit, & potius amat periculum, in quo forſan peribit, quam plenam ſecuritatem. Propterea in his caſibus nihil prodeſſe conſenſum ſuſcipientis ad excuſandum a peccato contra charitatem eum miniſtrum, qui conferret Sacramentum probabiliter inualidum, meritò animaduertunt *Maſcarennas tr. 1. de Sacram. d. 2. n. 73. concl. 3. Scildere eo tr. 2. n. 113. & Verricelli d. tr. 2. qu. 27.* præſertim *n. 5.* qui id etiam iure optimo extendunt ad ordinem Sacerdotalem, & Epiſcopalem.

14 Secundò excipere debebat propoſitio non ſolum periculum incurrendi damnum graue, ſed etiam leue: eadem enim prorſus eſt proportio periculi damni grauis ad peccatum graue, quæ damni leuis ad peccatum leue. Nam vbi ratio peccati ex damno ſumitur, aut ex periculo damni non tollit rationem culpæ, quod damnum ſit minus graue, vt conſtat in furto, detractione, & reliquis

 id

Digitized by Google

id genus operibus, quæ fiunt illicita ratione nocumenti temporalis, aut ſpiritualis: & ideò audiendus non eſſet, qui diceret, in materia iuſtitiæ, furti, V.g. aut contumeliæ, nihil eſſe illicitum, niſi proximus paſſurus ſit damnum graue honoris, aut diuitiarum, nec qui in materia temperantiæ aſſerere auderet, licitum eſſe edere cibos nocentes, niſi ab eis immineat periculum grauis infirmitatis, aut vitæ; & in materia charitatis, ſeu miſericordiæ ſpiritualis aſſerere auderet, non peccare eum, qui grauiter tentatum ad mendacia, iuramenta, vel detractiones veniales non ſubtraheret ab eo periculo, cum poſſet facilè præſtare ex parte ſua. Sic in præſenti audiendus non eſt, ſed cenſendus ſcandaloſus, ac pernicioſus quiſquis aſſerit, non eſſe illicitum conferre Sacramenta cum periculo damni leuis incurrendi à ſuſcipiente, ſed dumtaxat damni grauis. Et quod hinc ſequitur, cum peccatum veniale damnum leue ſit ſuapte natura, illicitum non foret miniſtranti Sacramentum Pœnitentię, V.g.negare abſolutionem certò validam iis, qui huiuſmodi peccata ſolum confitentur, & conferendo ex parte ſua probabiliter inualidam, eos exponere abſque cauſa periculo retinendi maculas illorum, & carendi tàm gratia remittente iam commiſſa, quam præſeruante à committendis aliis.

15 Tertiò excipiendum erat periculum deficiendi à fide, vel patiendi graues tentationes, ac difficultates in conſeruatione illius, quæ ex Confirmationis nullitate reſultarent. In Sacramento etiam Euchariſtiæ valdè ponderandum erat periculum auferendi ſuſcipientibus ſaluberrimum viaticum, pignus gratiæ, & nutrimentum vitæ ſpiritualis, quo prima gratia interdum comparari creditur: Sed maximè omnium periculum materialis idolatriæ, quod incurritur conficiendo, aut conferendo Sacramentum inualidum probabiliter.

16 Quartò excipiebat propoſitio leges ſpeciales Eccleſiæ, iis verbis: *Niſi id lex vetet*; ſed dicere debuiſſet, *Niſi id vetet lex, aut conſuetudo*. Peccat enim proculdubio quiſquis contra Eccleſiæ morem, ſeu receptam conſuetudinem adminiſtrat Sacramenta ex opinione probabili circa valorem, relicta ſecura, & trita. Huius rei præclarum monumentum nobis exhibet *Honorius III. in c. Perniciosus 13. de celebr. miſſ.* vbi ſcribens Vpſalẽſi Archiepiſcopo in Suecia, vbi caritas eſt vini, ait Sacerdotes ſuæ Eccleſiæ miſcentes magnam quantitatem aquæ vino cum periculo probabili nullitatis conſecrationis, pernicioſè erraſſe, ob contrariam conſuetudinem; id enim faciebant prius, quàm lege prohiberetur: Ergo pariter modò pernicioſe erraret, qui in hoc Sacramento, aut quouis alio ab Eccleſiæ conſuetudine circa eſſentialia recederet, & viam inuſitatam cum periculo nullitatis iniret. Negari itaque non poteſt propoſita doctrina ſine ſcandalo, ac temeritate quadam (ne amplius dicam) certa namque eſt, & communis, ac ab omnibus ſuppoſita, vt *Breſſerus* inter alios annotauit *l. 3. de conſcientia num. 106.* & à nemine negari poteſt. *Gibalinus to. 1. de ſcientia*

Cano-

Canonica l. 3. c. 7. q. 5. conſect. 4. n. 6. nihilque frequentius legitur apud auctores, quàm receptæ conſuetudini in hac materia deferre. Quos inter ſapientiſſimus *Ioannes à S. Thoma 1. 2. diſp. 12. ar. 6.* id latè ac doctè proſequitur dicens, in præſenti ſemper pro tuto vſu, & opinione quaſi pro regula accipiendum eſſe vſum Eccleſiæ.

17 Quinimò excipienda erant votum, iuramentum, & præceptum perſonale, ac temporale. Certum namque eſt, reddi illicitam deſertionem voluntariam ſententiæ tutioris de valore Sacramenti, ſi miniſter voto, aut iuramento, vel præcepto perſonali, aut temporali, ac proinde deficiente à vera ratione legis, ad tutiora conſtringatur, & tamen nihil iſtorum in propoſitione excipitur. Si dicas, ea fuiſſe omiſſa, quia ſpecialia non ſunt in hac materia, ſed tranſcendentia omnes alias: Contra eſt, quia hac ratione neque exceptio conuentionis fuiſſet declaranda; generale namque eſt vt in quacumque materia debeant obſeruari pacta conuenta, ſicut vota, & iuramenta ſeruantur. Excepta autem conuentione nominatim, vt iacet, non apparet, cur alia debuerint ſupprimi.

18 Dico ſecundò. In Sacramentis conferendis extra caſum neceſſitatis eſt illicitum vti ſententia etiam probabiliori, omiſſa tutiori. Et contraria aſſertio cenſura huius Decreti perſtringitur. Ita *Pratelius to. 5. theol. c. 6. §. 5. nu. 718.* & alij.

19 Patet, quia (vt benè relatus Auctor) quamuis in hac propoſitione proſcripta: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi ſententiam probabilem de valor Sacramenti, relicta tutiore*, fiat tantum mentio opinionis probabilis, non probabilioris, nihilominus ratio, propter quam hæc propoſitio cenſura notatur, habet etiam locum reſpectu opinionis probabilioris: ideò enim cenſura perſtringitur, quia ſequens opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, exponit Sacramentum periculo nullitatis cum iniuria recipientis, & damno ſuo, aut aliorum, quod illicitum eſt. Atqui etiam ſequens opinionem probabiliorem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ſic exponit Sacramentum periculo nullitatis: Ergo, &c.

Obiicies. Opinio aſſerens ex diſpenſatione Pontificis validam eſſe conſecrationem Epiſcopi ab vno tantum confectam, eſt minus tuta, quam contraria: nititur enim opinioni probabili, vel probabiliori circa valorem talis conſecrationis, cuius contrarium adſtruentem tres Epiſcopos iure diuino ex Sacramenti inſtitutione requiri, (ideoque conſecrationem Epiſcopi ab vno factam, inualidam eſſe) defendunt *Hoſtienſis, Lugo, Archidiaconus, Panormitanus, Caietanus, Coninch, Marchinus, Caſtropalaus, Bernal, Dicaſtillus, Vaſquez, Bellarminus, Ochagauia*, *Gonetus*, & alii, cum quibus *Card. Brancatus tom. 3. d. 8. art. 4. num. 89.* dicens: *Nec pro Epiſcopo haberem ſic ordinatum*; & tamen ſententiam minus tutam ſequuntur frequenter Summi Pontifices, vt quotidianæ Epiſcoporum apud Indos conſecra-

ſecra-

ſecrationes teſtantur. Sic enim conceſſit fieri apud Indos Pius V. teſte *Machado*. Idem indulſit Gregorius XIII. Patriarchæ Æthiopiæ referente *Henriquez*. Et S. Gregorius Magnus indulſit Auguſtino Epiſcopo, vt ipſe ſolus conſecraret Epiſcopos in Anglia. Ergo non eſt illicitum in Sacramentis conferendis vti ſententia probabili, aut probabiliori de valore, omiſſa tutiore, &c.

20 Reſpondeo, Pontificem, qui primo, facto ipſo diſpenſationes declarauit (vt potuit) ius diuinum circa miniſtrum conſecrationis Epiſcopi, & Eccleſiæ notum fecit, alium eſſe ordinarium, nempe tres Epiſcopos, alium ex commiſſione, ſeu delegatione, & hunc eſſe vnum, vel duos Epiſcopos tantum; illum, inquam, in re tanti momenti, maturo conſilio proceſſiſſe, præuio Theologorum examine, & auditis Eminentiſs. Cardinalium votis, & ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, qualis ad res fidei eſt illi promiſſa, ne in conſecratione Epiſcopi, vtpote in medio ad ſalutem animarum neceſſario, ex cuius veritate Sacramenta, & ſacrificia dependent, error aliquis omnia caſſa reddens immiſceretur. Atque adeò Pontificem opinionem moraliter ſibi certam ſequutum fuiſſe poſt primam diſpenſationem Pontificis, canonizatam manſiſſe ſententiam, quæ docebat, miniſtrum ex commiſſione conſecrationis Epiſcopi, eſſe vnum, vel duos Epiſcopos; ad eumque certitudinis gradum euectam, vt contrariam nullam modo habeat probabilitatem. Imò expreſſius canonizata manet ex declaratione Alexandri VII. Cum enim (referente *Caramuele*) quidam electus Epiſcopus de Aſſumpta ad Prouinciam Paraguay pertinentem, licentiam à præfato Pontifice obtinuerit, vt ab vno Epiſcopo conſecraretur; & conceſſa hac licentia, ſed antequam ad præfati electi perueniret notitiam, ille à quodam Epiſcopo, aſſiſtentibus Canonicis fuerit conſecratus, Sacra Congregatio die 15. Decembris anni 1657. declarauit: *Conſecrationem Epiſcopi Paraquayenſis, quantum ſpectit ad Sacramentum, & impreſſionem characteris, fuiſſe validam: quantum verò ſpectat ad licitam, &c.* Quam declarationem confirmauit Alexander VII. die 16. Februarij anni 1658. per litteras Apoſtolicas in forma Breuis: Non ergo poteſt dubitari de veritate huius ſententiæ, cum Magiſter communis Eccleſiæ id ità declarauerit. Et ne dici cogeremur apud Indos præſertim non eſſe veram Eccleſiam: nam Eccleſia non eſt ſine Paſtoribus, ſiue ſine Epiſcopis, & Sacerdotibus, vt patet ex *Apoſt. ad Epheſ.* 4. iuncta auctoritate *Hieronymi in libro contra Luciferianos* dicentis: *Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes.*

§. TER-

§. TERTIVS.

An ſubiaceat huic damnationi qui vtitur opinione probabili, relicta tutiore in receptione Sacramenti?

21 ANte hoc decretum, eſſe illicitum etiam in receptione Sacramentorum recipere illud cum opinione probabili de valore, relicta tutiori docuerunt *Suarez to.4. in 3.p.d.27.ſect.6. Modeſtus à S.Gregorio 1.2. D.Thomæ q.19.lect.4.Gonetus*, & alij. Et poſt hoc decretum damnatione huius primæ propoſitionis comprehendi vſum opinionis probabilis, relicta tutiori in receptione Sacramenti, docent *Piſanus*, & alij cum *Ioanne de Cardenas hîc diſsert.2.c.4.num.37. & 38.* qui inquit, quod damnetur virtualiter; quatenus (vt ipſe putat) eſt incompoſſibilis cum damnatione, ipſe enim cenſet, quod ratio damnationis ſtat in eo quod dicatur licitum exponere fruſtrationi Sacramentum. Eiuſdem opinionis eſt *Iacobus Illſung. tr.1.d.1.ar.7.§.1. num.77. & 78.* qui tamen limitat (ſicut in conferente) quando procuratio maioris certitudinis eſſet plurimis ſcrupulis, vel graui difficultati in ſuſcipiendo Sacramento obnoxia; *quia omnes fateri debent*, (ſubdit idem Auctor) *licere Sacramentum Pœnitentiæ conferre ei, quem Confeſſarius tantum probabiliter ſcit rectè diſpoſitum eſſe ad illud ſuſcipiendum, & pœnitentem etiam non teneri alium dolorem ponere, quàm attritionem (etiamſi non omnino certum ſit eam ſufficere, & tutius foret elicere contritionem ſaltem quam Pallauicinus, & alij nonnulli Doctores requirunt) imperfectam ex motiuo charitatis partialiter procedentem.*

At ante hoc decretum communis fuit ſententia docens, licitum eſſe ſuſcipere Sacramentum cum opinione probabili; relicta tutiori. Ita *Malderus 1.2.q.19. diſp.86.* his præter alia. *Quod dicitur, miniſtris opinionem tutiorem in Sacramentorum materia, & forma eſſe ſequendam, non debet extendi ad illam materiam, quæ natura ſua ſuppeditatur, non ex parte miniſtri, ſed ſuſcipientis.* Idem monet, traditque doceri à Doctoribus communiter *Breſſerus l.3. de conſcientia num.109. Thomas Sanchez l.1. in Decal.c.9.num.34. Ioannes Sanchez in ſelect.d.44.num.13. Michael Salonius in 2.2.q.63.ar.4. contr.2.ad 3. col.1193. Baſilius Pontius l.4. de matrim.c.25.num.8. Bonac.to.2. d.2. de peccatis q.4.pu.9.num 19. Vaſquez 1.2. d.63. num.12. Diana p.2. tr.13.reſ.12. Baſſæus V.Conſcientia num.10. Scildere tr.2. de conſcientia num.110. Angelus Boſſius de conſcientia p.1.tit.1.a nu.341. Stephanus Bauni de Sacram.tr.1.q.17.nu.2. Maſcarennas tr.1.de Sacram.d 2.nu.73. Dicaſtillus d.8.de Pœnit.n.220.cum ſeq. Alex.Peſantius in 1.2.q.19.ar.6.diſp.3.de conſcientia opinatiua n.3. Petrus Corneio 1.2.q.19.tr.8.d.3.dub.3.nu.8.* ibi: *Et quia ex hoc, quod illum abſoluat, ſolum eſt periculum irrogandi iniuriam Sacramento; ex eo autem*

quod

quod denegat illi abſolutionem, eſt etiam periculum irrogandi iniuriam eidem Sacramento, relinquendo illud imperfectum, cum iuxta probabilem opinionē deberet perfici, & ſimiliter eſt periculum irrogandi grauem iniuriam pœnitenti, negando illi abſolutionem ad quam habet ius, ſuppoſito, quod in foro pœnitentiæ manifeſtauit peccata ſua, & quod conformat conſcientiam opinioni probabili, quam licitum eſt ſequi.

22 Pro reſolutione dico, hac damnatione non comprehendi vſum opinionis probabilis, relicta tutiori in receptione Sacramenti, ſed ſolum in adminiſtratione; ſubindeque aliquando licitum eſſe recipienti vti eiuſmodi opinione probabili, quamuis exponat Sacramentum fruſtrationi. Ita *Hozes hîc num.9. & 23. Torrecilla fol.12. num.5. Corella nu.15. Hurtadus De la Fuente diſſert.1.c.6.à nu.57. Eman. à Concept. de Pœnit. d.2.q.6.nu.123. Sporer ſupra nu.57.* & alii.

23 Patet primum; quia propoſitio damnata loquitur de adminiſtratione, ibi *in conferendis*, & non de receptione. Id autem, quod ait *Ioannes de Cardenas* ſolum procedit, ſuppoſita eius ſententia, quod exponere periculo fruſtationis Sacramentum eſt contra reuerentiam ipſius Sacramenti; quod negat ſatis probabilis opinio, prout viſum eſt §.1. *prænot.*2. Patet ſecundum; quia (vt rectè *Hozes num* 20.) Sacramenta inſtituta ſunt in fauorem Fidelium: Ergo Fideles poſſunt renunciare fauorem ſuum. Si dicas cum *Ioanne de Cardenas*, quod Fideles non poſſunt renunciare fauorem, qui eis prouenit ex Sacramentis. Reſpondeo, quod hoc tantum procedit, quando fauor ſupponit Sacramentum validum, & ritè receptum; tunc enim Sacramentum veluti cauſa neceſſaria operatur effectum ſuum independenter ab intētione ſuſcipientis, qui tamen intendit recipere Sacramentum validū; vnde qui recipit Euchariſtiam non poteſt renunciare augmento gratię, quod confert Sacramentū ex opere operato: In caſu autem noſtro fauor eſt, ne fraudentur fructu Fideles, ipſis inuitis, à miniſtro in miniſtrando, dum ipſis inuitis, ac inſcijs non miniſtratur Sacramentum tum tutiori modo: huic autem fauori renunciare poſſunt ſuſcipiendo Sacramentum cum probabilitate de valore; tunc enim quia prudenter operatur, non peccat contra reuerentiam, nec contra charitatem; quia ſi Sacramentum reuera eſt nullum, ipſe priuatur bonis ſpiritualibus, quibus carere poteſt ſine peccato. Loquor autem in caſibus, in quibus poteſt carere: de qua re videatur ſupra.

24 Diſtinguendum eſt ergo inter opiniones de valore illorum, quæ exequenda ſunt à miniſtrante, vt prolatio formæ, ablutio infantis, vnctio, &c. & opiniones de valore eorum, quæ exhibenda ſunt à ſuſcipiente, V. g. dolor de peccatis, quem nonnulli putant ante confeſſionem eliciendum eſſe, vt Sacramentum ritè perficiatur, & alij cenſent debere eſſe contritionem ſaltem exiſtimatam, quin ad valorem ſufficiat attritio cognita vt talis. Ratio autem diſtinctionis eſt ſupra allata;

quia ſcilicet propoſitio damnata non loquitur niſi de conferente Sacramenta; & aliunde iſte, cum ſe accommodet opinioni probabili pœnitentis circa illa, quæ ad eum attinent, non tam eam ſequitur, quam permittit pœnitenti, vt eam ſequatur, vt rectè notat *Hurtadus De la Fuente*, qui ſubdit quod neque ipſe miniſter tunc proprie derelinquit tutiorem, ſed ſupponit, derelictam eſſe ab alio; cum ipſe omnia ritè, ac validè exequatur, quantum eſt ex parte ſua. Et hoc in praxi ſequuntur omnes ferè Confeſſarij, dum extra mortis articulum pœnitentes abſoluunt in caſu attritionis cognitæ, vel poſt peccati confeſſionem habitæ. Quare lex, aut conſuetudo in his caſibus non obſtant, ſed potius fauent eidem: Iuſtitia etiam non poteſt obſtare, cum id fiat ſciente, ac volente eo, qui Sacramentum accipit: nec charitas: quia pœnitens ipſe, cui charior debet eſſe ſua ſalus, ordinariè non delinquit contra illam, dum ſic ſe gerit.

25 Hinc infert primò *Torrecilla* pòſt alios, quod pœnitens, qui acceſſit ad confitendum cum ſola attritione exiſtimata tali, aut qui dat pro materia peccatum vitæ præteritæ, ſine explicatione ſpeciei, nec indiuidui in confeſſione voluntaria non peccat, nec operatur contra condemnationem. Secundò infert *Corella num.* 17. quod non condemnatur opinio *Ioannis De la Cruz*, *Petri de Ledeſma*, *Gabr. à S. Vinc. Tamburini*, & aliorum, quos poſt decretum ſequuntur *Thomas à S. Maria de Sacram. par. 5. ſelect. 2. ſect. 1. dub. 5. quæſt. 5. Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 965. & Briſacenſis to. 6. tr. 5. d. 2. q. 2. ar. 4. num* 47. qui dicunt, quod ſi pœnitens obliuiſcitur alicuius peccati mortalis, & accedit ſecunda vice ad confitendum illud, non obſtringitur habere nouum actum doloris; quia adhuc virtualiter perſeuerat dolor confeſſionis præteritæ non retractatus. Sequitur *Reiffenſtuel in Teol. mor. tr. 14. diſt. 7. num. 62.* qui ſic probat: *Quia prior dolor, vti ſupponitur, fuit generalis, ſicque extendit ſe ad illud peccatum, cuius confitens antea fuit oblitus: Ergo, cum adhuc maneat, nihil obſtat, quin poſſit deſeruire ad duo Sacramenta, cum cenſeatur virtualiter multiplex.* Hinc idem *Reiffenſtuel num. 63. Felix à Panormo*, & alij docent, poſſe moribundum propter inſtans periculum mortis à Confeſſario abſolui, audito vno, alteroque peccato, & deinde ſi ſuperſit tempus, auditis per otium cæteris, iteratò abſolui in virtute doloris præcedentis. Tertiò infert idem *Corella num.* 18. quod nec damnatur opinio *Petri Ledeſma*, *Dicaſtilli Card. de Lugo*, quos citat, & ſequitur *Diana p. 11. tr. 5. reſ. 21. Leandri à Sacram. Ioannis De la Crux*, *Ioſephi de Ianuario*, *Remigij*, *Ludouici de S. Ioanne*, *Gabr. à S. V.* & aliorum, qui docent, quod qui confitetur peccata vitæ præteritæ, ſicut faciunt timorati, ad dandam materiam Sacramento; non adſtringitur in qualibet indiuidua confeſſione habere nouum doloris actum. Quia ſicut idem peccatum poteſt deſeruire pro materia remota ad multas confeſſiones, etiam vnus idemque dolor virtua-

Digitized by Google

liter perſeuerans poteſt deſeruire pro materia proxima ad multas confeſſiones voluntarias. Præterquam quod repetita confeſſione vocali, repetitur ſaltem virtualiter dolor in ordine ad confeſſionem vocalem. Si arguas. Num etiam ſat erit repetere dolorem eorumdem peccatorum, ſine noua confeſſione vocali, cum contritio, ſicut & confeſſio ſit pars Sacramenti pœnitentiæ? Nego antecedens cum *Ioanne De la Crux*. Nam confeſſio in ratione partis Sacramenti eſt præcipua, imò contritio non eſt pars, niſi in ordine ad confeſſionem vocalem, cum non ſit ſignum ſenſibile, niſi in quantum per confeſſionem manifeſtetur. Et ſic, ſi non repetitur confeſſio, & ſi repetatur contritio, non repetitur materia proxima ſenſibilis. Et quidem ego etiam, licèt exiſtimem tutiorem ſententiam contrariam *Henriquez, Bonac. Filliucij, Vaſquez, Bernal*, & aliorum, vt exiſtimat etiam *Diana p.3.tr.4.reſ.116.*tamen priorem ſententiam ſubijci damnationi non aſſentior, quam etiam poſt decretum docent *Felix à Panormo ſupra, Thomas à S. Maria*, & alij: quidquid dixerit *Ioannes de Cardenas cit. diſſert.2. cap.5. art.2. qu.3. num.76.* Eamdem ſententiam benignam ſequuntur *Tambur. l.1. meth.confeſſ. c.2.§.5. & Briſacenſis*, cum hac limitatione tamen: Dummodò antiquus ille dolor non ſit ita tempore disiunctus ab hac confeſſione, vt moraliter vnum quid cum hac facere non cenſeatur. Conſentit etiam *Illſung tr.6. d.6.ar.5.num.43.* Ex hac doctrina reſoluunt *Tamburinus num.9. Thomas à S. Maria, & Briſacenſis*, quod ſi quis poſt confeſſionem recordatur alicuius peccati obliti in confeſſione, de quo dubitat, an ſit materia certa, tunc poteſt ſine nouo dolore confiteri peccatum oblitum, & pro materia ponere aliquod peccatum de illis antea confeſſis; quia vel abſolutio cadit ſupra peccatum, de quo dubitat; & tunc ſufficit dolor generalis prius ante abſolutionem formaliter elicitus: vel cadit ſupra peccatum ante confeſſum; & tunc etiam ſufficit ille dolor virtualiter perſeuerans. Quartò infertur non ſubijci damnationi ſententiã docentem dolorem nõ debere neceſſariò referri expreſsè, & formaliter ad confeſſionem, quam tenent *Card. de Lugo, Bonac. Leander à Sacr. Tamb. Martinus Perez, & Gabriel a S.V.* & poſt hoc decretum *Thomas à S. Maria ſupra queſt.2. Briſacenſis n.49. & Illſung. tr.6. d 6. ar.4. n.40.* dicentes cum *D. Thoma in 4. d.15. q.3. ar.5. in corp.* ſufficere dolorem implicitè relatum ad confeſſionem: quam relationem quis, dum elicit dolorem ſemper habet; quia non eſt verus dolor, ſi propoſitum confitendi non inuoluit. Ratio illationis contra *Ioan. de Cardenas cit. diſſer.2. c.6. ar.1. q.6. num.87.* eſt, quia probabilitas ſe tenet ex parte ſuſcipientis. Quintò infertur contra eumdem *Ioan. de Cardenas cit. ar.2. q.6. num.93.* non ſubijci huic damnationi ſententiam *Gaſp. Hurtadi d.5. de Sacram. in genere diffic.11.* (quam ſequitur etiam poſt decretum *Thomas à S. Maria quæſ.4.*) docentem quod etiam dolor elicitus per longum tempus ante confeſſionem ſufficiat, ſi non ſit retractatus; quia virtualiter perſeuerat; nam probabilitas ſe tenet ex parte ſuſcipien-

tis

tis Sacramentum. Fateor tamen dolorem longo tempore præcedentem non ſufficere quia non cenſetur moraliter coniungi confeſſioni, & Sacramento, *Tambur. d. l. 1. c. 2. §. 4. num. 5.* aſſerit, dolorem per quatuor, aut quinque dies antea conceptum ſufficere ad valorem, & fructum confeſſionis: putat enim in tanta diſtantia temporis inter dolorem, & confeſſionem eſſe coniunctionem moralem. *Ioan. de Card ſupra, & Reiffenſtuel num. 61.* tantum admittunt, quod poſſit præcedere dolor vno, vel duobus diebus: quod tutum cenſeo; & à fortiori ſine ſcrupulo poteſt quis veſpere examinando conſcientiam elicere dolorem peccatorum proponens ſequenti die confiteri, etiam ſi nullum alium dolorem præmittat abſolutioni manè percipiendæ, *Briſacenſis num. 46.* & alij. Semper tamen intelligitur, dummodo ille dolor non ſit retractatus: retractatur autem per quoduis peccatum mortale commiſſum poſt elicitum dolorem. Ita Doctores cõmuniter. Per veniale verò non retractatur dolor mortalium. Ita *Card. de Lugo de Pœnit. d. 14. ſect. 14. num. 144.* Qui *num. 149.* addit, per veniale retractari dolorem venialium. *Gabriel à S. V. verò d. 4. de Pœnit. q. 4. §. vlt.* ait, dolorem venialium non retractari per quoduis veniale commiſſum, ſed ſolum per actum contrarium. Melius dicas cum *Thoma à S. Maria ſupra quæſ. 4.* & alijs, quod propter veniale vnius ſpeciei non retractatur dolor peccati venialis alterius ſpeciei: ſicut nec propter veniale leuius retractatur dolor de veniali grauiori; ratio eſt, quia ſtare poteſt verus dolor vnius venialis etiam cum intentione faciendi veniale alterius ſpeciei, vel aliud veniale leuius.

§. QVARTVS.

An ſtante hoc Decreto Innocentij liceat vti opinione probabili circa iuriſdictionem?

26 Affirmant *Corella, Lumbier, Filguers, Hurtadus De la Fuente, Illſung*, & alij in expõſitione huius propoſitionis, & *Sporer ſupra num. 56.* dicentes, damnationem, eſſe quando probabilitas eſt de valore non ſupplebili ab Eccleſia, putà de materia, forma, & intentione, non verò de intentione, quę ab Eccleſia eſt ſupplebilis. Nec miniſter tunc miniſtrat Sacramentum cum iuriſdictione probabili, ſed cum certa.

27 Hęc autem certitudo prouenit ex triplici capite. Primò, quia vbi adeſt vera probabilitas circa iuriſdictionem Confeſſarii, Eccleſia dat iuriſdictionẽ propter vtilitatem Fidelium. Sic docent *Sanchez, Leſſius, Bonac, Villalobos, Sancius, Malderus, Martinez, Turrianus, Serra, Granadus, Henriquez, Coninch,* quos ſequitur *Thomas à S. Maria de Sacr. ſel. 4. ſect. 1. dub. 1. q. 11.* & dicit rem

certiſſimâ *Caſtropalaus to. 1. tr. 1. d. 2. pu. 5. n. 9.* Omninò certam dicit *Thomas Hurtadus to. 2. tr. 12. nu. 2055.* Certam dicunt *Dicaſtillus to. 2. de Sacr. d. 10. de Pœnit. num. 196. Machadus to. 2. in diſcurſu practico de probabili opinione num. 7. Franc. de Lugo l. 1. de Sacram. c. 1. num. 50.* Tutiſſimam extra articulum mortis *Card. de Lugo de Pœnit. d. 19. num. 30.* Nulli periculo irritationis expoſitam *Diana p. 2. tr. 15. reſ. 29. & p. 8. tr. 1. reſ. 93.* Idem tenent hic *Lumbier, Filguerà, Hurtadus De la Fuente*, & alij, contra *Fagnanum in c. ne innitaris num. 38. de conſtit. Gonetum, & Piſanum*. Probat *Hurtadus De la Fuente hic diſſert. 1. c. 8. num 72.* quia tale ſupplementum Eccleſiæ; maximè ſpectat ad vtilitatem publicam, & commune bonum animarum, cui Eccleſia numquam deeſt. Tum quia immemorialis conſuetudo fert, vt Sacerdotes abſoluant à peccatis, & cenſuris, cum probabiliter iudicant ſe habere iuriſdictionem. Probat etiam *Antonius à Spir. San. p. 3. Direct. to. 5. d. 11. ſect. 19. num. 825.* quia non eſt minus potens opinio ſapientium, quàm vulgi error ad conferendam iuriſdictionem; ſed communis error concurrente titulo putatiuo ſuperioris auctoritate collato iuriſdictionem confert, vt tenent communiter Doctores, iuxta *l. Barbarius ff. de offic. Prætoris*, propter publicam vtilitatem: Ergo idem dicendum eſt, quando adeſt opinio probabilis Doctorum affirmantium dari iuriſdictionem, propter communem etiam vtilitatem Fidelium. Et addit cum *Perez*, & alijs, quod hæc doctrina eſt vera, non ſolum in vita, ſed etiam in periculo, & articulo mortis; nec Confeſſor tenetur monere pœnitentem de incertitudine Sacramenti; quia quando eſt opinio verè probabilis iuriſdictionis, nulli morali periculo ſe exponit miniſter faciendi irritum Sacramentum; nam licèt eam ex priuilegio non habeat certam, habet tamen illam certam, & indubitatam ex tacito cõſenſu Eccleſię, & ratihabitione de pręſenti ſupplẽte iuriſdictionem, vt rectè *Tamb l. 5. de Sacr. c. 5. § 4. nu. 44.* Nec obſtat *tex. in c. Dudum il 2. de elect.* ibi: *In multarum animarum diſpendia, Parochiales Eccleſias retinebat; cum earum cura, qua iam priuatus fuerat, ipſo iure ad eum nullatenus pertineret, & ſic per ipſum eadem animæ damnabiliter ſunt deceptæ*. Nam, vt benè *Panormitanus ibidem num. 20.* impedimentum illud Prælati notorium fuit; & ita cum non concurrerit communis error, ac probabilis, geſta per eum inualida fuerunt.

28 Aliud eſt, ſi opinio eſt tantum tenuiter probabilis, nam propter eam Eccleſia non tribuit certam iuriſdictionem; cum ea motus imprudenter operetur, iuxta damnationem tertiæ propoſitionis. Hinc primò opinio, quæ docet adhuc poſt Bullam Clementis VIII. & aliam Vrbani VIII. prodeſſe Cruciatam Regularibus viris, & fœminis in ordine ad caſus, quos reſeruant eorum Prælati, vtpotè tenuiter probabilis, ſubiacet damnationi huius, & tertiæ Propoſitionis. *Ioan. de Carden is cit. diſſer. 2. c. 6. ar. 7. q. 1.* Quam proteruam, & pertinacem, & nimis pernicioſam appellat *Lumbier hic num. 1696.* Secundò quamuis *Villalobos, Leander à Murcia*, & alij docue-

docuerint. Regulares approbatos ab Ordinario loci pro audiendis confeſſionibus virorum poſſe etiam audire confeſſiones fœminarum de licentia ſui Prælatis Regularis; tamen horum ſententia ſaltem poſt Bullam Clementis X. incip. *Superna* an. 1670. remanet tenuiter probabilis: dum in ea conſtitutione dicitur: *Cæteros verò* (Regulares) *qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, approbare, & admitti*. Vnde ſubiacet damnationi huius propoſitionis. Ita *Ioan. de Cardenas cit. ar. 7. qu. 2.* Tertiò condemnatur opinio Doctorum apud *Dianam p. 2. tr. 11. reſ. 9.* qui dicunt quod confeſſor approbatus cum limitatione ad excipiendas confeſſiones ſolum virorum, poteſt etiam, virtute Bullæ Cruciatæ, excipere mulierum: hæc enim ſententia ſaltem poſt relatam conſtitutionem remanet tenuis probabilitatis. Ita *Ioan. de Cardenas ſupra num. 4.* contra *Corellam hìc num. 19.* Quartò condemnatur opinio *Soti*, *Reginaldi*, & aliorum docentium approbatum in vno Epiſcopatu, poſſe tempore Iubilæi aut ex priuilegio Bullæ Cruciatæ eligi in Confeſſarium in alio quocumque Epiſcopatu, ſine noua approbatione; quia ea opinio eſt tenuiter probabilis. Ita *Ioan. de Cardenas* & alij, contra *Corellam hìc num. 9.* Et hoc præſertim poſt relatam conſtitutionem; & quia ea adhuc promulgata aliqui Regulares contendebant, ſe poſſe abſoluere virtute Cruciatę cum ſola approbatione alienæ Diœceſis, S. Congregatio Concilij reſcribente Card. Vrſino die 16. Febr. 1675. Archiepiſcopo Hiſpalenſi, declarauit, quod dicti Regulares nullatenus eligi poſſunt in Confeſſarios virtute Bullæ Cruciatæ, niſi iuxta dictam conſtitutionem fuerint approbati. Ita *Ioan. de Cardenas cit. ar. 7. q. 3. per totam*, *Pratelius to. 5. Theol. c. 6 §. 8. nu. 872.* contra *Illſung.*

29 Sed hìc paulò fuſius examinanda eſt opinio multorum Doctorum, quos ſequitur *Diana p. 1. tr. 5. reſ. 5. & p. 4. tr. 4. reſ. 161. & p. 5. tr. 3. reſ. 65.* docens, in mortis articulo, vel periculo, poſſe pœnitentem abſolui à quolibet Sacerdote, etiam in præſentia proprij Sacerdotis, aut alterius habentis delegatam iuriſdictionem: quam ſententiam etiam poſt hoc decretum putat probabilem *Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 4. diſt. 4. q. 3. n. 33.* niſi ob defectum praxis, atque vberioris ſcientiæ contingat periculũ erroris per ſimplicem Sacerdotẽ, atque adeò periculum ſalutis æternæ moribundi. Cæterũ hæc ſententia, etiã ſecluſo tali periculo cenſetur tenuiter probabilis, ſeu tenuis probabilitatis; deoq; nec iuriſdictio ſuppletur ab Eccleſia. Vnde meritò contrarium docent communiſſimè Doctores, quos relatos ſequitur *Franc. à Ieſu Maria tr. 6. c. 11. pu. 2. num. 30.* & nouiſſimè *Thomas à S. Maria de Sacr. p. 5. ſelect. 2. ſect. 1. dub. 1. quæſ. 11. & Thomas Franciſcus Roſarius in Appar. Theol. mor. p. 1. num. 5. cum Nicolio lucubr. vtriuſque iuris p. 2. l. 5. ar. 39. num. 43.* qui citat Decretum Congreg. repertum in libro annotationum Card. Caraffæ. Eſtque doctrina etiam *Catechiſmi Pij V. par. 4. de Pœnit.*

*nit.nu.*55. & ita declaraſſe Gregorium XIII. refert *Molina to.4.de inſt.d.*63. Et probatur, quia *Tridentinum ſeſſ.*14.*c.*7. ait: eſſe cuſtoditum ſemper in Eccleſia, vt quilibet Sacerdos in eo articulo abſoluere poſſit: quare ius nouum non condidit, ſed conſuetudinem approbauit: Ea autem conſuetudo ſolum obtinuit, vt quilibet Sacerdos tunc adhuc pro foro interno abſoluere poſſit, quando deeſt copia Superioris potentis abſoluere, & proprii Sacerdotis, ſeu alterius Sacerdotis expoſiti ad audiendas confeſſiones, vt ſumitur ex *c.Presbyteri,* 26.*q.*6. *ex Extr. inter cunctas, §.incendiarij, de priuilegijs, & ex extr.* 1.*§.decernimus, de ſent.excom.* Item quia *c.eos qui, de ſent. excom.in* 6. deciditur, vt abſolutus ratione imminentis neceſſitatis articuli mortis á cenſura reſeruata, teneatur ceſſante impedimento ſe præſentare Superiori, cui reſeruata erat. Si ergo cum poteſt, tenetur ſe Superiori præſentare, & ante abſolutionem adeſt Superior, vel alius legitimus miniſter habens abſoluendi facultatem, non debet, neq; poteſt ſe intrudere alius eam non habens. Tandem, quia, eſtò Eccleſia voluerit morientibus prouidere circa alia Sacramenta, non tamen conceſſit, vt præſente proprio miniſtrentur ab alieno Sacerdote; & ſic viaticum, & extrema vnctio non miniſtrantur infirmis ab alieno Sacerdote, niſi in defectum proprij. Signum ergo eſt, ob illam curam, quam de infirmorum ſalute habet, nolle perturbare ordinem debitum, nec præiudicare iuriſdictioni legitimi Prælati, quando præſens eſt. Non bene ergo *Illſung* relatus ſupra docens, quod dum periculum nullitatis tantum oritur ex conditione per Eccleſiæ ratificationem ſupplebili, poteſt quis ſequi ſententiam probabilem, omiſſa tutiori, & affert pro tertio exemplo, ſi pœnitentem in articulo mortis conſtitutum non approbatus abſoluat, præſente proprio Parocho, vel alio approbato Sacerdote.

Si tamen adſit proprius Sacerdos, & nolit abſoluere in eo articulo, poteſt tunc inferior abſoluere, vt benè docent *Sanchez l.*2. *Decal.c.*13.*nu.*8.*Card.de Lugo de Pœnit.d.*18.*Maderus tr.*4.*de Pœnit.q.*6.*ar.*1.*nu.*12. *Auerſa eodem tr.q.*16.*ſect.*3.*Franciſcus à Ieſu Maria ſupra num.*33. & alii communiter; quia perinde eſt adeſſe & nolle, ac non adeſſe: & in vtroque caſu reperitur eadem neceſſitas.

30 Quod ſi ob periculum inſtans incœperat pœnitens confeſſionem cum ſimplici Sacerdote, quia non erat copia legitimi, & poſtea adueniat legitimus, poteſt adhuc confeſſio continuari cum primò, ab eoque abſolui; quia per inceptionem acquiſiuit iuriſdictionem, quæ, cum res non ſit integra, perſeuerat; & alioqui non leue grauamen imponeretur moribundo, ſi obligandus eſſet ad repetenda alteri Sacerdoti ea peccata, quæ iam confeſſus fuerat. Ita *Sanchez, & Henriquez*, quos refert, & ſequitur *Granadus de Pœnit.tr.*10.*d.*4.*ſect.*2.*num.*12. *Trullench, Ludouicus De la Cruz, Præpoſitus, Floronus*, & alij, quos citatos ſequitur *Diana to.*5.*tr.*3.*reſ.*66.*Stephanus à S.Paulo de Pœnit.num.*205. *Franciſcus à*

Ieſu

Digitized by Google

Ieſu Maria ſupra num.34.Card.de Lugo, Auerſa; & Thomas à S.Maria locis relatis. Et idem eſt, ſi incœpit confeſſionem inſtante periculo, ſi poſtea ceſſet. *Madernus*, & alij. Verum ſi pœnitens haberet aliquam excommunicationem reſeruatam, deberet prius de ea abſolui à Superiore superueniente. Siquidem etiam ſi ab aliquo abſolutus inueniretur, deberet adhuc ſe ſubiicere ipſi Superiori; quare dum poteſt id facere, antequam à peccatis abſoluatur, debet. Ita rectè *Sanchez cit.c.13.num.15.Card.de Lugo, Auerſa; & Thomas à S.Maria locis relatis.*

31 Secundò valor Sacramenti pœnitentiæ confecti cum opinione probabili circa iuriſdictionem, redditur certus ab Eccleſia ſupplente defectum iuriſdictionis per ratihabitionem de præſenti; eo quia Eccleſia videat ſic practicari; & id tolerat. Ita ferè omnes Auctores citati pro primo capite. Vnde *Arriaga to.8.d.39.ſect.5.ſubſect.2. num 43.* agens de hoc modo iuriſdictionis probabilis ſic ait: *Cum ergo vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo ſit, vti ſecurè ea iuriſdictione probabiliter præſumpta, cenſetur Eccleſia eam tacitè approbare.* Et poſt damnationem huius primæ propoſitionis, ita ſentiendum eſſe ad praxim, affirmant *Lumbier, Filguera, Ioannes de Cardenas, & Hurtadus De la Fuente hic.* Probatur hoc communiter, quia certum eſt in iure, quod conſuetudo dat iuriſdictionem, ex *c.cum contingat.de foro competenti, c.Romana, de ſent. excom. in 6.c.Romana, de foro compet.* & alibi.

32 Tertiò valor Sacramenti Pœnitentiæ confecti cum opinione probabili circa iuriſdictionē redditur certus, ſi tunc pœnitens confiteatur aliqua peccata venialia. Dicunt enim communiter Doctores, omnes Sacerdotes habere iuriſdictionē certam in venialia, & in mortalia iam ritè confeſſa. Sic docent, & fatentur *Suarez to.4.in 3.p.d.26.ſect.6. nu.8. Sanchez l.2.ſumm. c.9.num.35. Arriaga cit.d.39.ſect.3.num.26.Card.de Lugo d.19.de Pœnit.ſect. 2.num.30.Caſtropalaus p.4.tr.23.d.vn.pu.14.num.25.Diana p.2.tr.13.reſ.2. in fine, Granadus 1.2. contr.2. tr.22.d.4. ſect.4.num.38. Coninch d.8. de Pœnit. dub.6.q.41. Sancius in ſelectis d.44. num.24. Filliuc.to.1.tr.7.c.8.qu.10. num. 227. Fagundez in 2. Eccleſ.præcepto l.7. num.15. Bonac.to.2. d.2. de Peccatis q.4. punct.9. nu.19. §.Præterea, Valen.to.4. d.7. qu.10. pu.2. §. Præterea, Franciſcus à Ieſu Maria de Pœnit.c.11. pu.2.num.8. Gaſp.Hurtadus d.10. de Pœnit.diffic.10. Mendo in Bullam Cruciatæ d.22. c.1. nu.2. Vaſquez to.4.in 3.p.qu.93. ar.1. dub.6.* & alij. Opinio autem probabilis circa iuriſdictionem facit, quod pœnitens accedat bona fide: cum ergo accedens bona fide confitetur peccata mortalia ſimul & venialia, abſoluitur directè à venialibus, & indirectè à mortalibus, ſi fortè illa opinio eſt falſa coram Deo. Et ita non periclitatur valor Sacramenti. Et poſt hoc decretum, ex hoc capite reddi certum valorem Sacramenti, adeoque ſententiam affirmatiuam non ſubiacere damnationi huius propoſitionis docent *Ioannes de Cardenas cit.c.6.ar.8. Hurtadus De la Fuente differt.1.cap.8,* & alij. Hanc

autem

autem certam iuriſdictionem in venialia, vel mortalia alias ritè confeſſa, competere ſimplicibus Sacerdotibus de iure Diuino docent *Paludanus*, *Capreolus*, & alij: At competere iure Eccleſiaſtico docent alij communiter. Non quidem iure Eccleſiaſtico ſcripto: deeſt enim textus, qui id probet, teſte *Nauar. in c. Placuit, de Pœnit. d. 6. num. 22.* ſed iure non ſcripto ſeù conſuetudine Eccleſiæ, quæ oſtendit conceſſionem, ſeù delegationem à Summis Pontificibus manaſſe, & ex eorum tacito conſenſu durare: & licèt hanc conſuetudinem negauerint *Filippus Faber*, *Bordonus*, *Ludouicus à Cruce, Beia, Maſtrius*, & alij: pauci tamen eam deponunt: *Valent. Fagundez, Gaſper Hurtadus, Lugo Cardinalis, Mendo, Franciſcus à Ieſu Mariæ, & Auerſa* ſupracitati, aliique communiter.

Dices: Innocentius XI. in Decreto circa Communionem quotidianam dato Romæ die 12. Februarii anno 1679. ſic decernit: *Non permittant* (Epiſcopi) *vt venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario*: Ergo non eſt verum, nedum certum quoslibet Sacerdotes etiam non approbatos gaudere hac iuriſdictione circa venialia, aut ſaltem, ſi eam olim habuerunt, iam eſſe ſublatam per hoc Decretum.

Propter hoc argumentum *Hozes*, & alii hìc putant, non prodeſſe confeſſionem venialium ad aſſecurandam iuriſdictionem probabilem. Quod *Hozes num. 25.* confirmat ex eo quod Archiepiſcopus Hiſpalenſis, ex facultate ſibi tributa à Romano Pontifice præcepit ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ne ſimplici Sacerdoti fiat confeſſio venialium: Quo præcepto, & cenſura ligauit etiam Regulares.

33 Reſpondeo optimè Decretum eſſe à Pontifice, ne permittatur vſus huius iuriſdictionis Sacerdoti non approbato, propter inconuenientia, quæ ex oppoſito reſilire poſſunt. Primum, quia, ſi indoctus ſit Sacerdos, neſciet diſcernere inter mortalia, & venialia; & fortaſſis exiſtimabit eſſe venialia, quæ mortalia ſunt. Secundùm, id iuſte interdicitur, ne prætextu, abſoluendi à venialibus, auſu temerario aggrediantur abſoluere à mortalibus, ducti precipuè aliquibus opinionibus improbabilibus, qualis eſt illa, quæ contendit, poſſe virtute Cruciatæ abſoluere Regulares à reſeruatis, & aliæ ſimiles. Deinde etiam ſi vera eſſet opinio eorum, qui dicunt, iure Diuino pertinere ad omnes Sacerdotes poteſtatem abſoluendi à venialibus, vſus eius poteſtatis poſſet prohiberi ab Eccleſia. Vt conſtat ex *Tridentino ſeſſ. 24. c. 2.* vbi ſic ait: *Declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſaluà illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret quæ ſuſcipientum vtilitati, ſeù ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret.* Deindè ex dictis conſtat, aſſertionem, quà affirmamus, ſecuram reddi abſolutionem, ſi Sacerdos habens iuriſdictionem probabilem ad abſoluendum à mortalibus, audiat ſimul venialia, quia quilibet Sacerdos habet iuriſdictionem certam in venialia, loqui expreſsè de Sacerdote appro-

bato

Digitized by Google

bato ad audiendas confeſſiones: quia nulla eſt opinio probabilis, quæ doceat, Sacerdotem non approbatum habere iuriſdictionem probabilem in ordine ad mortalia: cum ergo antecedenter ad illud Decretum certum ſit, quemlibet Sacerdotem habuiſſe iuriſdictionem in ordine ad venialia, & per Decretum non auferatur hæc iuriſdictio à Sacerdote approbato, fit, Sacerdotem ſic approbatum ab Ordinario, ſi habeat iuriſdictionem verè probabilem in mortalia, & cum illis audiat ſimul venialia, conferre abſolutionem certò validam; ſi enim coram Deo falſa ſit opinio probabilis de iuriſdictione eius in ordine ad mortalia; cum habeat iuriſdictionem certam in venialia, abſoluit directè à venialibus, & indirectè à mortalibus: & ideò Sacramentum remanet certò validum. Quod ſæpe contingere poterit, præſertim quando probabile eſt tale peccatum non eſſe reſeruatum, & probabile eſt, eſſe reſeruatum.

Sciò etiam *Reiffenſtuel tr.14. diſſert.8. q.1. num.12.* ſolum docere, *Quod extra caſum neceſſitatis non facilè Sacerdos necdum expoſitus debeat ſe immiſcere audiendis confeſſionibus venialium. Et Thomam à S. Maria cit. ſelect.4. ſect.1. dub.1. quæſ. vltimo* dicere, *Quod eſtò prædicta ſententia etiam ſtante prædicto decreto adhuc ſuſtineri poſſit: quia decretum non tollit præfatam iuriſdictionem abſoluendi à venialibus, ſed ſolum dat facultatem Epiſcopis prohibendi abſolutionem à venialibus: nihilominus in praxi æquè eſt, & tutius ab hac opinione abſtinere. Et Piſanum in Gladio Gedeonis, in Appendice num.76.* aſſerere, *non annullari per hoc decretum talem confeſſionem, & ſaltem quouſque iſti* (Epiſcopi, ſeù Ordinarii) *permittant, confeſſio erit valida. Imprudenter tamen ſe gerere ſimplex Sacerdos, ſe ad hæc audienda exponens: Et pœnitens, qui id ſciat, imprudenter ea aperiet ſimplici Sacerdoti.*

§. QVINTVS.

Incidentia quæſita reſoluuntur.

34 PRimò hic quæritur. An incurrat hanc damnationem propoſitio docens, licitum eſſe excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ in caſu grauiſſimæ neceſſitatis?

35 Certum eſt apud Doctores, peccare lethaliter excommunicatum, qui conſcius excommunicationis tam quoad ius, quàm quoad fructum accedit, vt abſoluatur ſacramentaliter, antequam ab excommunicatione abſoluatur; quia Eccleſia remouet excommunicatum à perceptione Sacramentorum. Et cum hæc ſit materia grauis, imò & grauiſſima, grauiter delinquit, qui id præceptum Eccleſiæ violat. Et dum Concilium Conſtantienſe indulget Fidelibus, vt poſſint communicare cum excommunicatis non denunciatis, expreſſe aſſerit, ſe in hoc non intendere fauore proſequi

ipſos excommunicatos ; faueret autem illis, ſi eis contuliſſet facultatem recipiendi Sacramenta.

36 Conueniunt etiam Doctores, eſſe inualidum Sacramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato quando conſcius excommunicationis ſiue quoad ius, ſiue quoad fructum intendit accipere abſolutionem ſacramentalem, antequam abſoluatur ab ea cenſura, quando eſt in eius poteſtate, quòd ab illa abſoluatur. Et ratio eſt, quia qui actualiter peccat in ipſa confeſſione, inualidè abſoluitur à peccatis; quia accedit indiſpoſitus: ſed talis excommunicatus ſic accedens ad confeſſionem, peccat mortaliter actualiter: Ergo in tali caſu inualidè abſoluitur à peccatis. Si verò quis accedat bona fide inuincibiliter ignorans, ſeu oblitus excommunicationis, Sacramentum receptum ab eo, eſſe prorſus inualidum docent *Vaſquez in 3.p.to.4.tr.de excommunicatione dub.4 num.8. Finellius tr.de caſibus reſeruatis c.10.num.8.Gaſp. Hurtadus d.4.de excommun.diffic.3.& tr.8.de Pœnit.diffic. 9.Luiſius Turrianus l.2.d.9.dub.4.Megala in 1.p.l.5.c.19.q.4.S.Antoninus,Gabriel, Paludanus, Sylueſter, Maior, Petrus de Ledeſma, Martinus de Ledeſma Capeauille, & Ioannes Sancius apud Dianam p.3.tr.4. reſ.78. Felinus, Vinaldus, Ioannes de Medina, Gerſon, Roſella, Tabiena, & Archangelus apud Leandrum à Sacramento p.4.tr.2.de excommun.d.4.q.9.* Probat *Finellius*, quia Sacramentum Pœnitentiæ requirit iuriſdictionem: Atqui per excommunicationem ſubtrahitur excommunicatus à iuriſdictione Confeſſarii; Ergo abſolutio eidem impertita eſt nulla, quia abſque iuriſdictione. Probat *Vaſquez ex c.fin.de cle. excom.* vbi loquens de Clerico celebrante cum minori excommunicatione ait Pontifex: *Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata, virtutis non carent effectu; cum non videatur à collatione, ſed à participatione Sacramentorum, quæ in ſola conſiſtit perceptione, remotus.* Vbi illud verbum, *remotus*, non poteſt ſignificare dumtaxat prohibitionem; quia etiam ad conferenda Sacramenta ligatus excommunicatione minori habet prohibitionem, cum dicat Pontifex, illum peccare conferendo; & ſimul valere Sacramenta: Ergo qui remotus eſt à participatione, pluſquam prohibitus eſt, atque adeò non valet Sacramentum Pœnitentiæ ab eo ſuſceptum. Verum communior, & verior ſententia docet; eam abſolutionem Sacramentalem eſſe validam. Ita *Adrianus Barth. Medinà, Petrus Soto, Nauarrus, Couar. & Caietanus*, quos citatos ſequitur *Suarez to.4.in 3.p.d.31.ſect.3.num.6. & to.5.d.10.ſect.3. num.9. Sanchez l.2. ſum.c.8.num.5. Coninch d.14.de cenſ.dub.5.num.28. Card.de Lugo de Pœnit.d. 16.ſect.15.§.2.nu.614.Caſtropalaus de cenſ.d.2. pu.7.num.4. Toletus, Laym. Villalobos, Alterius, Auila, Victoria, Bonac. Coriolanus, Thomas à Ieſu, Henriquez, Angelus, Angles, Ricardus, Monaldus, Valentia, Sayrus, Raynaudus, Bauni, Graffius, Llamas, Vgolinus, Reginaldus, Machadus, Syluius, Baſſeus, Coracius, & Diana*, quos refert, & ſequitur *Leander à Sacram. ſupra, Franciſcus à Ieſu Maria de Sacram.tr.6.c.9.pu.1.num.2.* dicens, hanc

ſen-

tentiam tenendam eſſe, *Anton. à Spir. Sancto p. 2. Direct. Confeſſ. tr. 12. d. 2. ſect. 4. num. 274.* Ratio quaſi à priori eſt, quia licet Eccleſia potuerit irritare tale Sacramentum, auferendo iuriſdictionem in abſoluente comparatione excommunicati, id tamen nullo textu, aut alio capite conſtat feciſſe; ſed ſolum prohibuiſſe: quando autem aliud tale irritare vult Eccleſia, ſolet id clarè exprimere, ſignificando ſe non tantum actum prohibere, ſed irritum reddere. Confirmatur; nam ſi id ita feciſſet Eccleſia, potius eſſet in deſtructionem, quàm in ædificationem; & contra ipſam Eccleſiæ pietatem erga ſuos Fideles. Nam ſi aliquis ſemper maneret oblitus excommunicationis, & ab ea nunquam abſolueretur, maneret ſemper ſine effectu Sacramenti Pœnitentiæ, licèt frequenter bona fide ſuſcepti: quod de Eccleſiæ pietate incredibile eſt. Ad argumentum *Finelly* nego in dicto caſu deeſſe iuriſdictionem: nam licèt per excommunicationem priuetur quis iuriſdictione actiua in alios; nõ tamen alij priuantur iuriſdictione in ipſum: alioquin non tam ipſorum excommunicatorum, quàm ipſius Confeſſarii eſſet talis pœna. Quod verum eſſe, etiam ſi cenſura ſit reſeruata, bene notant *Suarez d. ſect. 3. num. 15. Franciſcus à Ieſu Maria ſupra num. 4.* & aliique. Ad argumentum, *Vaſquez* deſumptum ex textu, pro nunc reſpondeo cum *Card. de Lugo à num. 618.* in ly *remotus* tantum prohibitionem deſignari. Nec dicat *Vaſquez*, quod etiam conferendo peccat, & ſic eſt prohibitio, non tamen remotio. Nam in collatione eſt tantum peccatum veniale, & ideò Pontifex Gregorius ex induſtria non dixit, peccare grauiter, ſicut dixerat prius, peccare eum grauiter celebrando, ſed ſolum peccare: peccatum autem hoc non contrahitur directè à prohibitione Eccleſiæ, quæ non eſt, & ſic non remouet ipſa directè prohibendo à collatione, ſed contrahitur ex ipſo iure naturæ; nam iure naturæ contrahitur irreuerentia ab eo, qui cum macula excommunicationis minoris accedit ad Sanctiſſimam, & puriſſimam illam actionem conficiendi Sacramenta.

37 Accedendo autem ad reſolutionem quæſiti, Doctores communiter admittunt propter vitandum ſcandalum, aut infamiam, aut propter periculum mortis, vel alterius damni grauiſſimi, poſſe excommunicatum, etiam excommunicatione reſeruata ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ. Sic *Suarez to. 4. in 3. p. d. 31. num. 6. & 7. & to. 5. d. 10. de excommunicatione ſect. 3. num. 9. Caſtropalaus d. d. 2. pu. 7. num. 1. Leander à Sacram. cit. qu. 9. Coninch de cenſ. d. 13. num. 103. & d. 14. num. 31. Præpoſitus, & Mercerus*, quos citatos ſequitur *Diana p. 3. tr. 4. reſ. 87. §. & tamen, & p. 5. tr. 9. reſ. 81. Pellizzarius in man. Regular. to. 2. tr. 7. c. 2. ſect. 1.* citans *Saytum, & Fillincium*, & ſubiungit: *Qui tamen concedunt, cum præceptum Eccleſiæ cedat præcepto naturali, quod quis habet vitandi ſcandalum, infamiam, aut periculum mortis, poſſe excommunicatum etiam vitandum, in tali caſu recipere Sacramenta, & quidem non ſolum validè, ſed etiam licitè, Diccaſtillus tr. 10. de cenſ. d. 3. dub. 10.*

num. 635. Franciſc. à Ieſu Maria *ſupra nu. 2. & Antonius à Spiritu Sancto nu.* 272. Et quidem ex eo, quod Eccleſia in Rubric. Miſſalis de defectibus diſpoſitionis animæ [illegible] in neceſſitate ſcandali vitandi iniungat Sacerdoti excommunicato, vt proſequatur Miſſam, infertur, quod in eo caſu vult ceſſare legem excommunicationis; ex eo autem, quod velit ceſſare in eo caſu legem excommunicationis, infertur, quod vult etiam eam ceſſare in ſimili caſu abſolutionis Sacramentalis; cum non ſit maior ratio vnius, quam alterius: ex eo autem; quod velit ceſſare legem excummunicationis in eo caſu neceſſitatis abſolutionis Sacramentalis infertur, quod ceſſat lex de ablatione iuriſdictionis, atque adeo, quod perſiſtit, & abſolutio Sacramentalis eſt valida.

38 Hinc reſolutoriè dico, quod non incurrit hanc damnationem propoſitio, ſeù opinio iam relata, & propugnata dicens, licitum eſſe excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ in caſu grauiſſimæ neceſſitatis. Etenim hæc damnatio procedit de propoſitione docente in adminiſtratione Sacramentorum poſſe eligi propoſitionem minus tutam, relicta tutiori: in caſu autem neceſſitatis non eligitur minus tuta, relicta tutiori. Ergo propoſitio, quæ docet, &c. non ſubiacet huic damnationi. Maior, & conſequentia patent. Probatur minor. Non dicitur relinquere tutiorem is, cui impoſſibile eſt eligere tutiorem: non enim dicitur relinquere curſum, qui manibus, & pedibus eſt ligatus: nec relinquere cibum is, qui præ infirmitate gutturis transglutire non poteſt; non aliam ob cauſam, niſi quia non dicitur relinquere aliquid, qui id conſequi non poteſt: ſed in eo caſu illi homini impoſſibili eſt eligere tutiorem. Ergo non dicitur tunc relinquere tutiorem. Probatur minor (nam cætera patent) In eo caſu grauiſſimę neceſſitatis eſt moraliter neceſſarium non eligere tutiorem; quia ipſa neceſſitas cogit ad eligendam minus tutam; ſupponimus enim, id eſſe medium vnice neceſſarium ad fugiendum illud damnum. V. g. ſcandali: Ergo eſt impoſſibile moraliter eligere tutiorem. Hæc conſequentia patet: quia Neceſſarium, & Impoſſibile ſunt correlatiuè oppoſita. Ita *Ioannes de Cardenas cit. diſſert. 2. & 6. art. 10. nu. 436.* & alii.

39 Id autem, quod addit citatus Auctor *n.* 445. nempè etiam in caſu, qui non eſt vrgentis neceſſitatis, quando per ipſum excommunicatum non ſtat, quominus abſoluatur, & iam ſatisfecit, vel eſt omninò impotens ſatisfacere, poſſe, ſecluſo ſcandalo, accipere Sacramentum Pœnitentiæ, & abſolui á peccatis, & opinionem id aſſerentem non ſubiici huic damnationi, habet difficultatem ſuo loco in Lucerna Tetramyxos à me reſoluenda.

40 Secundò quæritur: An ſententia docens, quod licitè poſſit Fidelis ex cauſa rationabili petere abſolutionem Sacramentalem ab excommunicato tolerato ſubiaceat huic damnationi?

41 Sa-

Digitized by Google

41 Sacramentum Pœnitentiæ datum ab excommunicato tolerato eſſe validum, ſi concurrant cætera requiſita, eſt ſententia communis, & certa. Ita cum *Caietano, Angelo, Petro Soto, Victoria, & Nauarro, Auila de cenſ. par. 2. c. 6. d. 3. dub. 4. §. 3. Suarez de cenſ. d. 10. ſect. 2. concl. 3. Caſtropalaus cit. d. 2. pu. 8. num. 4. Coninch d. 14. de excommun. dub. 9. num. 34. Gaſp. Hurtadus d. 4. de excommunicatione d ffic. 3. num. 12. Corneius de cenſ. tr. 5. d. 10. §. 1. dub. vlt. Gabr. à S. V. d. 8. qu. 3. Franc. à Ieſu Maria de Sacram. tr. 1. c. 8. pu. 2. n. 26. Ant. à Spir. Sanct.* & alii communiter. Clariſſimè autem conſtat ex *Extr. Ad euitanda*, quæ eſt Concilij Conſtantienſis, & ab omnibus Fidelibus in Eccleſia in vſu eſt recepta; vbi expreſse dicitur, neminem teneri vitare alterum ratione alicuius ſententiæ, vel cenſuræ, in Sacramentorum receptione, vel adminiſtratione, &c. niſi ſit denunciata, vel ſit propter notoriam Clerici percuſſionem. Certum autem eſt id non poſſe verificari, niſi in ipſis Confeſſariis perſiſtat iuriſdictio, & ſic poſſint communicare in adminiſtratione Sacramentorum cum excommunicatis toleratis. Vt autem fiat ſine peccato requiritur, quod moraliter ſit neceſſarium, aut vtile, quod excommunicatus toleratus petenti conferat Sacramentum: eſt autem neceſſarium petenti ab eo petere, quando non eſt alius in eo loco, à quo petat: eſt autem vtile ei petere à tali excommunicato, ab eoque recipere potius, quam ab eo, qui non eſt excommunicatus, quando iſte eſt indoctior, nec valet iſte ſufficienter reſpondere difficultatibus proponendis, aut minus benè poteſt ipſum Fidelem in ſpe dirigere, &c. Quod ſi æque benè poſſet petere, & recipere ab excommunicato, peccat petens venialiter, non ratione alicuius legis Eccleſiaſticæ prohibentis, ſed ratione iuris naturæ obligantis ad euitandam diſſonantiam, & irreuerentiam quandam in hac materia petere Sacramentum ab huiuſmodi excommunicato. Ità *Franciſcus à Ieſu Mariâ num. 29.* & alii rectè notantes, nunquam poſſe abſque graui peccato talem excommunicatum toleratum ſe offerre ad Sacramenta miniſtranda; quia in dicta *Extr.* nullus fauor ei directè conceditur, ſed tantum datur facultas aliis communicandi cum ipſis. His prænotatis.

42 Reſpondeo, quod hæc ſententia non ſubiacet damnationi, & conſequenter ea ſine peccato, ſaltem graui, poteſt deduci ad praxim. Ita *Ioannes de Cardenas cit. c. 5. ar. 11. n. 450.* Patet, quia hæc ſententia de valore eius abſolutionis, non eſt merè probabilis, ſed omninò certa, ex *Extr.* relata: atque adeò dici non poteſt, eam, quæ negat valorem Sacramenti, eſſe tutiorem.

Tertiò quæritur. An condemnetur ſententia docens, quod Sacramentum Extremæ Vnctionis poſſit licitè, & valide conferri, etiam ſi oleum non benedictum ſuperaddatur ſæpius, dummodò ſingulis vicibus fiat admixtio in minori quantitate non benedicti?

Hanc ſententiam docent *Sylu. V. Aqua benedicta, num. 3. Bartholomæus*

Digitized by Google

maus ab Angelo Dial.3.§.100. Paſqualig.in Theorea, & Praxi caſuum occurrentium periculo mortis qu.336. & alii communiter, moti, quia quando miſcetur oleum non ſacrum in minori quantitate, ex hac admixtione euadit totum Sacrum, ita vt in illo mixto non ſolum partes olei iam Sacri ſint ſacræ, ſed etiam partes olei admixti; vt communiter docent cum *D.Thom.opuſc.65.de offic.Sacerdot.cap.de Extrema vnctione, & in 4.d.12.qu.6.ar.2.ad* 2. vbi de aqua habet, quod virtus acquiſita ex benedictione peruenit ad aquam additam. Ergo ſi de nouo addatur aliud oleum adhuc in minori quantitate, fiat ſacrum, ſicut factum eſt ſacrum in prima additiona, & idem fiet in tertia, quarta, & aliis additionibus, quamuis quantitas addita excedat primam quantitatem. Conſequentia probatur. Ideò fit Sacrum Oleum prima vice additum, quia oleum, cui additur tanquam ſacrum, & in maiori quantitate trahit ad ſui identitatem non ſacrum, cum ſit in minori quantitate; & illi communicat ſuas qualitates. Sed etiam quando interpolatè continuantur additiones, & peruenitur ad illam partem, quæ continuata cum prioribus additionibus, excedit quantitatem primi olei ſacri, adhuc oleum, cui additur, eſt totum ſacrum, & ipſa ſecundum ſe eſt in minori quantitate. Ergo oleum præexiſtens ſacrum trahet ipſum ad ſui identitatem, & communicabit proprias qualitates, & proindè fiet ſacrum, non ſecus ac factum eſt in additione prima. Sed quia adeſt etiam ſententia docens, quod poſſit quidem oleum non ſacrum addi, dummodò tamen, quod additur in omnibus vicibus ſit ſemper collectiuè ſumptum minus oleo ſacro, cui facta eſt prima additio, quam tenent *Armilla V. Aqua benedicta, Zambranus in deciſ.c.5. de extr.vnct.dub.5.num.2.& Quintanaduen. de Sacram. tr.5.ſingul.1.num.4* aſſerens Rituale Roman. vbi de Extrema Vnctione habet: *Id tamen ſi fortè intra annum aliquo modo ita deficiat, vt ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate, quæ ſufficiens eſſet pro totius anni decurſu, ſuperfuſo reparari poteſt:* Ideò quia hæc videtur tutior, & prior minus tuta, ſubiaceat damnationi ſententia; docens, &c.

43 Nihilominus reſpondeo, quod illa prior ſententia non ſubiaceat damnationi, & conſequenter quoad praxim eo oleo ſic mixto Sacramentum Extræmæ Vnctionis licitè miniſtrari poteſt. Ita *Ioannes de Cardenas cit. differt.2.c.7.art.1. Felix à Panormo tom.2.d.4.num.*1160. aliique. Patet. Quia vbi ſententia eſt certa eam amplecti poſſumus, non attenta alia ſententia tutiori. Atqui hæc ſententia docens poſſe miſceri oleum non benedictum oleo benedicto in minori quantitate, quamuis repetitis vicibus ſit addita maior quantitas olei non benedicti eſt certa: Ergo, &c. Probatur minor. Hanc certitudinem facit tum praxis antiqua Eccleſiarum. Vnde *Diana p.9.reſ.*44. ait, opinionem, quæ requirit, minorem quantitatem olei non benedicti ſucceſſiuè immittendi, eſſe contra praxim, & vſum ferè omnium Eccleſiarum. Tum *Concilium Mediolanen.4 par.2.init.* quod

itá

ità habet: *Sacro oleo deficiente, ſi tempus non patitur, vt aliundè haberi poſſit, illa retineatur canone præſcripta, vt cum oleo conſecrato miſceatur non conſecratum. Id verò non conſecratum guttatim ita infundatur, vt ſemper quod infunditur, minus ſit oleo conſecrato, quod vel exiguum in vaſe reliquum eſt.* Tum declaratio Sacræ Congregationis S. Officii, quæ ad petitionem Archiepiſcopi Hiſpalenſis die 23. Septembris 1682. declarauit: *Poſſe*. Rituale autem Romanum in verbis relatis non obſtat, quia tantum vult, quod oleum non ſacrum debeat eſſe in minori quantitate; an autem facta prima permixtione poſſit de nouo aliud permiſceri, ſi rurſus non ſufficeret, non explicat. Si autem inſtes, ſi verum eſt, quod oleum non benedictum participat benedictionem à benedicto; quid iuxtà Rituale neceſſe eſt, quærere oleum benedictum, cum ſufficiat facere additionem non benedicti? Reſpondeo, has additiones olei non benedicti fieri ſolum, quando neceſſitas poſtulat: eſt enim congruentius, quod totum oleum ſit ab initio benedictum. Nulla ergo neceſſitas eſt eius additionis, quando habetur oleum ab initio benedictum.

Quartò quæritur. An Chriſma ſit materia huius Sacramenti tuta in praxi?

Materiam remotam huius Sacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, conſtat ex *Concilio Florentino, & Tridentino.* Eſt autem *Suarij p. 3. to. 4. d. 40. ſect. 1. Poncij, Maſtrij*, & aliorum docentium, etiam chriſma, quod ex oleo, & balſamo conficitur, eſſe poſſe materiam huius Sacramenti, ſed oppoſita ſententia affirmat futurum eſſe inualidum id Sacramentum, ſi aſſumatur Chriſma pro materia eius, vt tradunt *Valentia, Card. Bellarmin. Bonac. & Barb.* quos refert, & ſequitur *Caſtropalaus d. 4. tr. 26. d. vn. pu. 2. num. 5.* Hoc præmiſſo.

44 Reſpondeo, Opinionem docentem licitè in praxi poſſe adhiberi pro materia huius Sacramenti Chriſma ſubiacere huic damnationi; quia ſequitur opinionem minus tutam circa valorem huius Sacramenti. Deficiente tamen prædicto oleo infirmorum, debet ſubſtitui Chriſma; nam in caſu neceſſitatis, quando non datur medium certum, aſſumendum eſt medium probabile. Ita *Ioannes de Cardenas cit. c. 7. ar. 2. num. 494. Reiffenſtuel in Theol. mor. tr. 14. diſt. 11. q. 1. num. 6.* ibi: *Et licet extra caſum neceſſitatis, ob admixtionem balſami, eo vti non liceat: ſi tamen per errorem, aut alias adhibeatur, Sacramentum validè adminiſtrabitur. Felix à Panormo ſupra num. 1165.*

Quintò quæritur. An ſubiaceat huic damnationi opinio aſſerens; non requiri vnctionem quinque ſenſuum, atque adeò poſſe fieri in vnico, & in qualibet parte corporis?

Sententiam docentem poſſe fieri in vnico, & in qualibet parte corporis tenent *Scotus, Adrianus, & Ioannes de Medina apud Caſtropalaum ſupra pu. 3. num. 4.* Non eſſe validum Sacramentum, aut ſaltem eſſe dubium valorem

rem eius, niſi vngantur omnia organa quinque ſenſuum, docent *D.Thomas, D.Bonau.Richardus, Paludanus, Maior, ſupplementum Gabrielis, & Sotus*, quos relatos ſequitur *Suarez to.4.in 3 p.d.43.ſect.2. num.8. Henriquez, Valent. Bellar. Coninch, Laym. & Bonac.* quos refert, & ſequitur *Caſtropalaus ſupra num.6. Gonetus, Labat, Auerſa, Petrus à S.Ioſeph, Thomas à S.Maria*, & alii.

45 Reſpondeo. Cum hæc ſecunda ſententia ſit tutior, prima ſententia extra caſum neceſſitatis, in praxi ſubiaceat damnationi. Quia eſt opinio minus tuta, & verſatur circa valorem Sacramenti. Ita *Ioannes Cardenas num.497. Felix à Panormo* ſupra. Verum quia prima ſententia eſt probabilis; per vnius enim organi vnctionem, factam cum expreſſione quinque ſenſuum corporis infirmi; ſaluatur totum id, quod ad hoc Sacramentum, requiritur à S. Iacobo Apoſtolo; ſimulque illa vnica vnctio ſufficienter ſignificat effectum huius Sacramenti; & Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum; quæ exigunt ſeptem, vel ſaltem quinque præcipuarum partium vnctiones, loquuntur de eo, quòd fieri debet extra caſum neceſſitatis: non autem per hoc intendunt definire, omnium harum partium vnctionem eſſentialiter requiri ad valorem Sacramenti: in caſu neceſſitatis ſufficiet vnica vnctio, in quacumque corporis parte fiat, cum vnica tantum forma, omnes tamen corporis ſenſus exprimente, taliter: *Per iſtam Sanctam Vnctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, &c.* Ita *Maſtrius d.22.Theol.mor.num.38.* poſt *Suarium, Coninchum, Laymanum, Poncium*, & alios, *Reiffenſtuel ſupra num.13.qui num.15.* addit, quod hæc ſententia non ſolum à tota Vniuerſitate Louanienſi approbata fuit, vt refert *Diana p.3.tr.4.reſ.168.* ſed etiam præſcripta in diuerſis Ritualibus Diœceſanis, vt Mechlinenſi, & Paſſauienſi, pro tempore peſtis graſſantis, nec non & in Rituali Diœceſano Triſigenſi, vbi *c.6. de Sacramento Extremæ Vnctionis memb.1.circa finem* ſic habetur: *In morbis contagioſis, & peſte graſſante, vt periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad Vnctionem expoſitum, ac detectum, dicendo: Per iſtam Sanctam Vnctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, lumbos (ſi inungendi fuerint) & greſſum. Et tunc preces, quæ præmittendæ, & ſubiungendæ forent, poterunt priuatim dici.* Conſonat *Felix a Panormo ſupra.* Idem docuerunt *Gabr.à S.V.q.3. §.4. Diana*, & alij; qui tamen ſuadent tanquam tutius in tali caſu velociter vngere vnum oculum, vnam aurem, & cæteros ſenſus ſine crucis ſigno ſub vnica forma, vt ſupra.

46 Sextò quæritur, quæ ſint materiæ damnationis in Sacramenti matrimonij confectione?

47 Certum eſt, quod non eſt materia damnationis huius propoſitiones ea, quæ ſpectant ad matrimonium iam contractum; ſed ſollum ea,

quæ

quæ ſpectant ad matrimonium contrahendum, vt hic notat *Ioannes de Cardenas cit.diſſer.2.c.8. ar.1. num.517.* Nam cum decretum dicat, non eſſe licitum eligere opinionem minus tutam circa valorem, & tendat in eum finem, ne confeſſio Sacramenti exponatur fruſtrationi; & matrimonium iam contractum eſt, quaſi non eſſet, ideò, &c. Et ſic Sacra Rota Romana in deciſionibus ſuis datis pro valore matrimonij contracti vtitur opinionibus probabilibus. Enimuerò opinio multorum eſt, metum reuerentialem, dirimere matrimonium, tamen opinio oppoſita,& ſi ſit multò probabilior, non videtur eſſe omninò euidens, cum habeat contra ſe opinionem multorum, & grauium Doctorum, nempè *Nauarri l.4.conſil.in 1.edit.de ſponſ.conſ.36.Pontij l.4.c.5.*& aliorũ:igitur Sacra Rota Romana in quadam deciſione Trullenſis Matrimonij (quam affert *Diana in fine par.11.*) in iudicio contradictorio decidit pro valore matrimonij celebrati inter D. Carolum Principis Vallemontani filium primogenitum, & D. Nicoleam Henrici Lotaringij Ducis filiam: ad cuius matrimonij valorem declarandum vtitur Sacra Rota ea opinione probabiliori, in §. *Et quidem*, illis verbis: *Solius metus reuerentalis nulla ad effectum, de quo agitur, ſit habenda ratio, niſi ſit qualificatus minis, & verberibus, vel grauioribus circumſtantijs.* Et deindè refert auctores huius opinionis, & inter alios *Thomam Sanchez l.4. d 6. num.7.* & ibidem citantur aliæ deciſiones eiuſdem Rotæ. Eadem S.Rota Romana in quadam deciſione Neapolitana matrimonij data die 13. Martij 1651. quam affert *Diana in fine par.x.* declarat validum matrimonium inter D. Ioannam Mariam de Xart, & D.Michaelem de Vaex, Ducem de Caſamaſſima. Vbi pro nullitate allegabatur, quod teſtes non fuerint ſpecialiter ad eum contractum vocati, neque rogati: item, quod contrahentes non fuerint à Parocho interrogati; præterea, quod Parochus inuitus adfuerit matrimonio, immò & quod intermiſſo Miſſæ Sacrificio receſſerit ab altari, eo quod nollet præſtare aſſenſum tali matrimonio: circa quæ omnia non deſunt opiniones Doctorum pro nullitate matrimonij, & Sacra Rota in ea deciſione ſtat pro valore matrimonij, iuxta opiniones oppoſitas, quæ ſuffragantur valori eius. Et citat auctores huius partis fauentes valori; & alias deciſiones eiuſdem Rotæ pro eiſdem opinionibus fauorabilibus valori. Agendo verò de matrimonio contrahendo:

48 Reſpondeo, & dico primò. Quando in quæſtione facti vtrinque ſunt teſtimonia probabilia, & ex coniecturis vtrinque probabilibus reſultat purum dubium, ſi hoc dubium eſt vincibile, non licet contrahere matrimonium, donec vincatur dubium; nam ſi quis contrahat matrimonium cum eo dubio exponit fruſtrationi Sacramentum: poteſt enim contingere, quod facta debita diligentia, clarius, & certiùs appareat exiſtentia impedimenti dirimentis, Si verò reſultet purum dubium omnino inuincibile,

non obſtat impedimentum contrahendo matrimonio: Nam dum impedimentum dirimens eſt in ſtatu puri dubij inuincibilis, illud non impedire, nec dirimere quia ſtandum eſt pro libertate, cum communi ſententia docet *Thomas Sanchez l.8. de matr. d.6. n.18.* & nuper *Ioannes de Cardenas cit. diſſer. 2. c.8. ar.2. num.525.* qui *num.528.* addit, quod ſi in tali caſu ſit præſumptio pro carentia impedimenti, iam datur probabilitas pro exiſtentia impedimenti, non autem pro carentia eius; & ſi non poteſt contrahi matrimonium, & opinio, ſi quæ eſſet, quæ doceret, poſſe, ſubiaceret damnationi huius propoſitionis.

49 Dico ſecundò. In quæſtione iuris, ſi opinio, quæ docet deeſſe in caſu, de quo agitur impedimentum dirimens, ſit dubiæ aut tenuis probabilitatis, & talis eſt, de cuius probabilitate dubitant viri prudentes, & ſapientes, & illi reſiſtunt tamquam parum ſecuræ, ac dicunt, vel reiiciendam eſſe, vel non eſſe admittendam, vel carere fundamento, vel parum tutam, vel malè audire inter Theologos; ſi praxi exponatur, ſubiacet damnationi huius propoſitionis; quia tunc relinquitur tuta ob opinionem, quę non eſt in poſſeſſione probabilitatis. Similiter opiniones ſunt dubię probabilitatis, quæ ſunt contra ſtylum curiæ; itemque illæ, quæ repetitis vicibus reijciuntur à Sacra Rota Romana, vel ſemper exulant à Tribunalibus Eccleſiaſticis. Ita *Ioannes de Cardenas ſupra ar.3. num.530.* qui *num.533.* addit, quod inter opiniones non receptas communiter, vt probabiles, adeoque non approbatas tacitè ab Eccleſia, eſſet illa opinio, quæ recenſetur ab aliquibus inter probabiles, quod vbi petitur à Romano Pontifice diſpenſatio, vt conſanguinei contrahant, tacita tamen copula, quæ prius interceſſit, diſpenſatio eſt valida, & conſequenter valet matrimonium virtute eius diſpenſationis contractum. Aſſerit ergo & benè, hanc opinionem *Pontij, Hurtadi, Præpoſiti,* & aliorum, non approbari ab Eccleſia, quia non admittitur, vt verè probabilis. Et non ſolùm à Doctoribus, ſed etiam ab omnibus Tribunalibus Eccleſiaſticis reijcitur, & eſt contra ſtylum Curiæ, qui habet vim legis, ex *c. Quam graui, de crimine falſi.* Sic etiam reiicitur tanquam tenuiter probabilis opinio docens, validam eſſe diſpenſationem in impedimento affinitatis, tacita circumſtantia gradus duplicati.

Si autem vera eſt probabilitas, *Filguera in ſua Lucerna hic concluſ.5.* affirmat, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore circa Sacramenti valorem, in rebus, quæ non ſunt de iure diuino, ſed tantum Eccleſiaſtico, vt contingit in matrimonii impedimentis. Et ante hoc decretum docuerant alii non pauci Doctores, qui licèt ex vna parte propugnent opiniones probabiles circa valorem Sacramenti, non poſſe deduci ad praxim, relictis tutioribus, ex alia autem docent, in matrimonio poſſe practicari opiniones verè probabiles circa valorem illius, in impedimentis matrimonii. Sic inter iſtos *Suarez,* qui licèt *tom.3. in 3. p. d.21. ſect.4.*

ſect.4. ad finem, & alibi doceat, non poſſe miniſtrum Sacramentorum ad praxim deducere opiniones probabiles circa valorem Sacramenti, relictis tutioribus; tamen eodem *tom.3.qu.67.in comment. dub. vlt.* loquens de cognatione ſpirituali Patrini ait, non contrahi in Baptiſmo, qui fit in neceſſitate abſque ſolemnitate, cum tamen hæc opinio non ſit tutior pro Sacramento Matrimonii; & ſimiliter *Diana p.4.tr.4.reſ.4.* ait, quod quando opinio probabilis adeſt circa valorem matrimonii, putà, quod hic contractus ſit matrimonium, tunc licet contrahere, quia in ædificationem Eccleſiæ Summus Pontifex illam approbat. *Sanchez* verò, qui *l.1.Decal.c.9. num.33.* docet miniſtrum poſſe miniſtrare Sacramentum cum opinione probabili circa valorem, relicta tutiori, vbi non repugnat conſuetudo Eccleſiæ, & iuſtitia, vel charitas proximi: *lib.5. de matrim.d.6. num.18.* ait: *Quando res non eſſet verè dubia, ſed eſſent opiniones, quibuſdam aſſerentibus id eſſe impedimentum; alijs verò negantibus: ſi opinio negans eſſet verè probabilis, quamuis affirmans eſſet probabilior, poſſet ille ſequens opinionem probabilem inire id matrimonium, abſque aliqua diſpenſatione.* Non licere verò in miniſtris matrimonii conficere illud cum opinione tantum probabili circa valorem eius, relicta tutiori, docent *Hozes hìc n.31. & Hurtadus de la Fuente cit.diſſert.1.c.7.* Nihilominus.

50 Dico tertiò. Quando circa valorem matrimonii ſunt opiniones verè probabiles, id eſt, quæ communiter admittuntur à Doctoribus tamquam probabiles, verſanturque circa valorem contractus, pendentem à iure humano, tunc Eccleſia approbat prædictum valorem, ex quo reſultat certitudo valoris matrimonii. Ita *Ioannes de Cardenas cit.cap.8.art.3.* & alii.

51 Probatur, quod Eccleſia tacitè approbat, & reddat certum valorem ex duplici principio. Primum eſt conſuetudo Eccleſiæ. Nam ſicut conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta habet vim abrogandi legem humanam certam, ex *c.cum tanta, de conſuetudine:* ita etiam habet vim abrogandi leges humanas dubias, aut probabiles de impedimentis dirimentibus, in quantum neceſſarium fuerit eis abrogare. Id autem præſtat conſuetudo celebrandi matrimonium ſub opinione verè probabili de carentia impedimenti ex iure humano. Etenim & ab antiquo tempore vſitatum eſt, viros ſapientes conſulere circa valorem matrimonii iuxtà opiniones receptas tanquam verè probabiles: & æquè antiquiſſimum eſt in Eccleſia, quod motis litibus ſuper valore matrimonii Iudices Eccleſiaſtici decernant matrimonia, ſuper quibus lis mouebatur, eſſe valida, vtrique non rarò moti ex opinionibus probabilibus de valore. Nec opponas, quod tunc Iudex iudicat ſuper matrimonio contracto, dicens validum, ratione poſſeſſionis. Nam poſſeſſio non eſt ſufficiens ad ferendam ſententiam in articulo proprietatis: quando autem mouetur lis circa valorem matrimonii, mouetur circa articulum proprietatis; & conſequenter

poſſeſſiò non eſt ſufficiens ad ferendam ſententiam circa valorem matrimonii. Cum ergo Sacra Rota declarat validum matrimonium celebratum iuxtà opinionem verè probabilem, vt in exemplis ſupra poſitis, & indè maneat moraliter certum id matrimonium eſſe validum, non ex ſola poſſeſſione id habet, ſed ex capite iam relato, & ex alio infra referendo. Et denique ante contractum matrimonii occurrere ſolent Iudici Eccleſiaſtico graues difficultates circa valorem diſpenſationis præuiæ requiſitæ, aut commiſſionis diſpenſandi, quam dat Pontifex Vicario Generali Epiſcopi. Tum ſic. A valore diſpenſationis circa impedimentum dirimens pendet valor matrimonii. Si enim Breue Pontificium eſt ſubreptitium, matrimonium virtute eius diſpenſationis eſt nullum, & tamen conſuetudo recepta, fert, quod ferat ſententiam Iudex Eccleſiaſticus ex opinione probabili, vt quotidiè experimur: & alias onus intolerabile eſſet Iudici Eccleſiaſtico: ergo datur conſuetudo, quod Judex Eccleſiaſticus ferat ſententirm circa valorem matrimonii, ex opinione probabili. Secundum certum principium eſt fauor matrimonii. Nam in Sacris Canonibus cauſa matrimonialis eſt fauorabilis. Vt patet ex *c.fin.de ſent.& re iudic.* vbi dicitur: *Duobus Iudicibus, vt accepimus, diuerſas ſententias proferentibus, ſi ex iuriſdictione ordinaria præceſſerunt, tenet pro Reo, non pro Actore ſententia, niſi in cauſa fauorabili, puta matrimonio, libertate, dote, ſeù teſtamento pro ipſo Actore fuerit promulgata*. Ex ex *cap.litteris, de probat.* deciditur inter probationes æquales Judicem ſtare debere pro Reo, præterquam in liberali cauſa. Vbi *Gloſſa V.liberali*, ait: *In cauſa matrimoniali*. Et ita docent *Ioannes Andreas, Hoſtienſis, Antonius, Ancharanus, Henricus, Alexander de Neauo, Præpoſitus, Cardinalis, Abbas, Alciatus, Angelus, Syluester, Tabiena, Armilla, Menochius, Bruxellus, Alexander, Carrerius, Cuccus, Vngarellus, & Maſcardus*: quos relatos ſequitur *Sanchez l.1.de matrim.d.18. num.5.* materiam fauorabilem latiſſimè interpretandam eſſe, & ampliandam conſtat ex *reg.15. de reg. iur.in 6.* vbi præſcribitur odia eſſe reſtringenda, & fauores ampliandos. Et ita tradunt communiter Juris Interpretes, ac Theologi omnes. Quod adeò verũ eſt, vt quando agitur cauſa de valore matrimonii, quia hæc eſt fauorabilis, opinio vnius ſingularis Doctoris probabili ratione innitentis, ſtans pro valore præferenda eſt ſententiæ plurimorũ, niſi textu aperto, aut ratione euidenti innitãtur. Jta enim docẽt *Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Antonius, Ancharanus, Henricus, Neuo, Præpoſitus, Felinus, Decius, Barbatia, Bertius, Roſella, Cuccus, & Nauar.* quos refert, & ſequitur *Sanchez ſup. n.7.* qui obſeruat, id in vtroque foro intelligendum eſſe, & præter citatos, cum *Maſcardo, & Villalobos*, idem tradit *Caſtropalaus tom.1.tr.1. d.2.pu.1.*

Si obiicias cum *Hozes*, ex matrimonio contracto, quando ſunt opiniones vtrinque probabiles, magna incommoda ſequi. Nam ſic poterunt contrahentes ex probabilitate contrariæ opinionis recedere à matrimonio, etiam poſt diuturnam cohabitationem.

52 Con-

52 Contra eſt. Nam matrimonium celebratum iuxtà opinionem probabilem eſt omnino indiſſolubile, neque in vim opinionis oppoſitæ poſſunt coniuges recedere à matrimonio. Tum quia tunc matrimonium celebratur certo validum ex tacita diſpenſatione Eccleſiæ; ſi neceſſaria eſſet, iuxtà ſupradicta. Tum etiam ex ipſa natura indiſſolubilitatis matrimonii coniuges ità ſtrictè ſe obligant ad permanendum in matrimonio, vt cedant iuri probabilitatis, quo ſe poſſent tueri contra permanentiam matrimonii. Et ratio eſt, quia ſe obligant, quantum ſtrictè poſſunt; cum ergo poſſint cedere eo iure, quod dat probabilitas: vtique ita ſe obligant cedendo eo iure; vnde & ex parte ipſorum matrimonium eſt indiſſolubile, & ex parte Eccleſiæ, quæ in huiuſmodi dubiis imponit eamdem obligationem coniugibus ſtandi contractui matrimoniali.

53 Hinc primò poteſt licitè celebrari matrimonium tanquam certè validum inter Patrinum, & matrem baptizati in caſu neceſſitatis ſine ſolemnitate, quia communiter admittitur vt probabilis ſententia docens, non contrahi cognationem ſpiritualem à Patrina in Baptiſmo facto ſine ſolemnitate. Ita *Ioannes de Cardenas cit. ar. 3. Briſacenſis*, *Thomas Franciſcus Rotarius*, & alii. Secundò, quando matrimonium contractum eſt in facie Eccleſiæ coram Parocho, & Teſtibus, & poſtea aduertitur impedimentum dirimens occultum, obtenta diſpenſatione, poteſt matrimonium denuò contrahi ſine Parocho, & teſtibus, & opinio hoc docens, vtpotè communiter recepta tamquam verè probabilis non ſubiacet damnationi. Ita *Reiffenſtuel ſupra diſt. 15. qu. 15. num. 172. Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 1269. Briſacenſis tr. 5. de matr. d. 1. qu. 2. ar. 9. num. 126. Sporer*, & alii contra *Thomam à S. Maria*, & alios. Sed prior ſententia eſt ſatis probabilis pro praxi, eo vel maximè, quod ſic poſſe fieri, declaraſſe Pium V. ex *Nauarro* refert *Sanchez de matr. l. 2. d. 37.* Tertiò, non ſubiicitur damnationi huius Decreti opinio *Sanchez* communiter recepta, docens, poſſe Epiſcopum diſpenſare in impedimento dirimenti in caſu vrgentis neceſſitatis; præcipuè pro bono animæ, quando ſcilicet non datur aditus ad Romanum Pontificem, vel eſt periculum in mora: idque non ſolum in matrimonio contracto, ſed etiam in contrahendo. Ita *Ioannes Cardenas hic c. 8. ar. 13. qu. 1. à num. 636. Felix à Panormo num. 1262. Briſacenſis tr. 6. de matr. d. 2. qu. 3. ar. 1. num. 107. Sporer Theol. p. 4. c. 2. ſect. 2. num. 452.* aliique. Ratio eſt, quia certus eſt valor contractus matrimonialis celebratus iuxta opinionem receptam communiter vt probabilem: ſic ſe habet hæc ſententia, vt conſtat ex innumeris Doctoribus. Videatur *Conradus in praxi diſpenſ. Apoſtol. l. 8. c. 4. n. 40.*

54 Subiicitur verò huic damnationi opinio *Caietani, Soti, Martini, & Petri de Ledeſma, Lopez, Henriquez, Rodriquez*, & aliorum aſſerentium, matrimonium inualidum poſſe reualidari, etiamſi alter coniux ſit inſcius nullitatis. Ita *Ioannes de Cardenas cit. ar. 13. qu. 3. num. 673. Felix à Panormo*

num.

num. 1270. & alii. Et ratio eſt, quia ea opinio non eſt communiter recepta tanquam probabilis, ſed eſt tenuis, & dubiæ probabilitatis; & in diſpenſationibus, quas Sacra Pœnitentiaria concedit pro his caſibus expreſſe ponit hanc conditionem, vt coniux ignarus impedimenti fiat conſcius illius, vt patet ex formula, quæ reperitur apud *Marcum Paulum Leonem in Praxi ad Litteras maioris Pœnitentiariæ, par. 2. pag. 171.* Verum quia hæc damnatio non comprehendit extremam neceſſitatem, vt notant *Ioannes de Cardenas num. 677. Felix à Panormo ſupra, Reiffenſtuel*, & alii, & variæ circumſtantiæ concurrere ſolent, in quibus grauiſſima neceſſitas adſtringit ad non reuelandum impedimentum alteri coniugi. *Sanchez l. 2. de matr. d. 36.* addit aliquas cautelas practicas, cum quibus matrimonium reualidari poteſt. Prima eſt, ſi coniux conſcius impedimenti dicat, ſe non habuiſſe conſenſum, quando contraxit impedimentum. In quo non mentitur, quia prior ille conſenſus ratione impedimenti fuit nullus. Ita cum *Sanchez Felix à Panormo ſupra, & Ioannes de Cardenas nu. 680.* addens, quod hæc cautela non raro prodeſſe poterit.

55 Sed quia in aliquibus viris ex hac cautela poteſt oriri temeraria aliqua ſuſpicio, vnde grande malum immineret fœminæ, propterea idem *Sanchez num. 8.* ſubiungit, quod ſi tale periculum immineret, poſſet reualidari matrimonium ſic, ſi ſcilicet coniux impedimenti conſcius petat ab alio ſic: *Me ita diligis, vt ſi non eſſet inter nos matrimonium, denuo contraheres: ac ex nunc vis me in coniugem, ac ſi non fuiſſet validum matrimonium inter nos contractum.* Sequuntur poſt hoc Decretum *Ioannes de Cardenas ſupra num. 630. & 681. Iacobus Pratelius tom. 5. Theol. c. 7. §. 7. n. 1192. & Thomas à S. Maria in collect. de Sacram. tom. 3. par. 8. ſelect. 2. diffic. 2.* qui addit; ſufficere etiam ſi dicat: *Volo, vt pro mea conſolatione habeas me in coniugem.* Ratio eſt; quia nouus ille conſenſus conditionatè adhibitus procedit ex cognitione æquiualenti ſcientiæ nullitatis matrimonii. In iſto enim caſu vult coniux inſcius contrahere denuò matrimonium ſub ea conditione, ſi prius matrimonium irritum fuit. Conſultò dixi: *Volo, vt ex nunc*; quia non ſat eſſet dicere, *Si non conſiſteret inter nos matrimonium, denuò contraherem*; vel: *vellem denuò contrahere*; quia non eſt conſenſus de præſenti hic & nunc contrahendi, qualis ad matrimonium requiritur, vt benè notant *Ioannes de Cardenas, & Pratelius.*

Quando verò neque hic conſenſus à marito inſcio poſſet extorqueri, quia non vult reſpondere, vel timeretur ſcandalum, & periculum vitæ alterius coniugis ex illa petitione facta, & ex alia parte maritus petit debitum ab vxore, ipſaque ſine ſcandalo ſubterfugere nequit, poteſt abſque verbis denuò matrimonium illud conſiſtere, copula illa affectu maritali habita ex parte ſua, non ex parte alterius, cum putet eſſe matrimonium, conſtat eo affectu haberi. Et ratio redditur, quia licet ea opinio extra caſum neceſſitatis parum probabilitatis habeat, accedente tamen

men grauiſſima neceſſitate, præcipuè fauore animæ accreſcit illi maior probabilitas: dicemus autem infra, quod in caſu neceſſitatis poteſt deduci ad praxim etiam opinio tenuis, & dubiæ probabilitatis. Ita *Sanchez ſupra num. 9. Ioannes de Cardenas num. 681. Sporer num. 460.* & ſic accipias *Thomam à S. Maria* citatum dicentem: *At ſi fuerit periculum, quod coniux detecta inualiditate matrimonij non conſentiat; ex quo ſcandala, & graues moleſtiæ meritò timentur, concedit Sanchez loco citato, & alij cum Diana tom. 2. tr. 6. reſ. 177. ſufficere, quod ſola pars conſcia defectus renouet, & declaret alteri parti ſuum conſenſum; quia ſufficit, quod alter aliquando conſentijt, & non reuocauit.*

56 Vltimò quæritur. An in dubio poſitiuo circa impedimenta Iure Diuino, & naturali dirimentia, certus ſit, valor matrimonii ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici.

57 Affirmant *Ioannes de Cardenas cit. diſſert. 2. c. 8. ar. 11.* motus; nam reſponſio data ab Vrbano VIII. in conſultatione circa matrimonia Infidelium Regni Paraquariæ in India Occidentali, qui conuerſi ad Fidem baptizantur (vt refert *Nicolaus de Techo in Hiſtoria Paraquariæ impreſſa Leodij anno 1673. lib. 10. cap. 15.*) fuit in dubio circa impedimenta iure diuino naturali inducta: nempè, an matrimonia eorum infidelium eſſent valida, an inualida: item, an poſſint accipere quamlibet ex pluribus vxorem ex baptizatis cum ipſo, an primam, &c. quæ dubia verſantur non circa ea, quæ iure humano ſtatuta ſunt, ſed circa ea, quæ iure diuino. Et tamen Vrbanus reſpondet, matrimonia contrahenda regulari debere per opiniones probabiles fauorabiliores eis barbaris hominibus. Ergo etiam quando dubium verſatur circa impedimenta dirimentia ex iure naturali, & diuino, licitum eſt vti opinione verè probabili ex mente Vrbani VIII. Si autem matrimonium in hoc dubio celebratum iuxta opinionem verè probabilem non eſſet certè validum, perperam dixiſſet Pontifex; quod deberet celebrari iuxta opiniones probabiles fauorabiliores.

58 At ego negandum cenſeo. Et in hoc aſſentior *Tyrſo Gonzalez in tr. de recto vſu opinionum probabilium diſſert. 14.* Et ad motiuum oppoſitum reſpondeo cum eodem *Gonzalez*, & aliis, neque miniſtros Paraquariæ voluiſſe, vt Infidelibus illis, ad Fidem conuerſis permitteretur inire nouum coniugium, quando poſt factum examen dubium adhuc eſſet, an prius matrimonium fuiſſet validum; neque Pontificem declaraſſe id licitum eſſe abſque ſpeciali diſpenſatione ſua: qua prius matrimonium in infidelitate contractum diſſolueretur, ſi fortè validum fuiſſet. Hoc enim eſſet prorſus irrationabile, iniuſtum, ſacrilegum, & contra definitionem expreſſam Sacrorum Canonum. Sed ſolùm fuit inter Miſſionarios diſſenſio aliqua circa ſententiam moraliter certam, videlicet, an ſufficeret, habere opinionem moraliter certam de nullitate prioris matrimonii, vt omni ſcrupulo dempto permitteretur Infidelibus ad Fidem con-

uer-

Digitized by Google

uerſis nouum pro libito matrimonium contrahere. Et iſtud quidem eſt; quod *Ioannes de Lugo* propoſuit Summo Pontifici. Nempe, quod multi docti, & pii viri omninò cenſebant non eſſe ſaltem communiter apud Ethnicos illos verum matrimonium, ſed ſolum concubinatum, ideoque permittebat, quod coniugem baptizatam reciperent, quando ad Fidem conuertebantur. Alii verò ſcrupulum habebant; & eos cogebant ad repetendum primum coniugem, ex quo magna incommoda ſequebantur. Ideoque ad tollendos ſcrupulos, & dubios ad hoc impedimentum auferendum illis conuerſis ad Fidem, deſiderari, & humiliter peti à Sanctitate Sua, & facultatem diſpenſandi in caſu dubii tribuere dignaretur. Et Pontifex cenſuit, in eo caſu non opus eſſe ſpeciali diſpenſatione ſua: quia ſatis conſtare viſum eſt, prædicta matrimonia eſſe nulla. Quod vt melius intelligatur. Sciendum eſt matrimonia Guaranæ Gentis, de quibus in præſenti ſermo eſt, eſſe longè diuerſa ab aliis Infidelium matrimoniis: de quibus differit *Eſparza l.10.de Sacr.qu.116. & 117.* & valida eſſe contendit, non obſtante, quod apud eos vigeat conſuetudo repudii, dummodò in ipſo contractu matrimoniali non ſignificetur vllo modo voluntas retinendi poteſtatem ad repudiandum pro aliquo euentu; nam ſi hæc voluntas aliqua ratione ſignificetur, eo ipſo deficit forma eſſentialiter requiſita ad verum matrimonium, & ipſe *Eſparza* tanquam indubitatum ſtatuit *qu.illa 116.ar.1.* Itaque prædicta matrimonia Guaranæ Gentis, qualia deſcribuntur in Hiſtoria Paraquariæ Prouinciæ à *Nicolao del Techo*, & propoſita ſunt Vrbano VIII. à *P.Ioanne de Lugo*, poſtmodum Cardinali, potius reuocanda ſunt ad ea, de quibus ipſe *Eſparza q.117.ar.16.* in hunc modum ſcribit: *Dicendum poſtremò eſt, ſeu potius aduertendum, in partibus Infidelium aſſuetis repudio, præſertim quæ ſunt ad modum barbaræ; nulliuſque, aut vix vllius regiminis, & modi agendi politici, adiungi non rarò coniunctioni, quam putant, & vocant matrimonialem, circumſtantias perabſurdas, ratione quarum matrimonia euadunt nulla, E.g. quod paciſcantur parentes pro filio, & filia, nullo ipſius præeunte, vel ſubſequente conſenſu, &c. Quod vir, & fœmina inuicem copulandi paciſcantur ita, vt mutuæ traditioni ſuperaddatur conditio de recedendo, ſi tale, vel tale quid contigerit, nempè ſterilitas, adulterium, infirmitas incurabilis, ſæuitia, occurſus commodioris, aut delectabilioris conſortij, idque deducitur in pactum exterius, vel ſit volitum purè internè tanquam conditio contractus, & mutuæ traditionis. In ijs enim, & ſimilibus caſibus, & multò magis quando adeſt animus admittendi pro libito, & qualibet cauſa, abſque agnitione vllius iuris, aut vinculi mutui, manifeſtum eſt matrimonium euadere nullum.* Malè ergo *Ioan.de Cardenas*, *Tirillus*, & alii dixerunt, Vrbanum VIII. reſpondiſſe pro valore matrimoniorũ celebratorum cum opinione probabili, & minus tuta matrimoniorũ; ſed pro opinione moraliter certa, & abſolutè tuta, ſed fauorabiliori illis Barbaris, exoptantibus nullitatem. Pontifex enim ſolummodò approbauit, vt ſequerentur opinionem Barbaris fauorabiliorem, non verò probabilem.

PRO-

PROPOSITIO II.

Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem.

1 QVando non eſt controuerſia de facto, ſed de probabilitate iuris, quatenus ſcilicet ambæ partes conueniunt in facto, & ſolum diſcrepant, quod quęlibet pars prætendit ſibi fauere iura, & diuerſæ ſunt Doctorum opiniones, quomodo intelligi debeant iura, & leges, Iudicem tam ſupremum, quam inferiorem poſſe ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & ſecundum eam iudicare, & ferre ſententiam, docent *Aragonius 2.2.q.63.ar.4. Medina 1.2.q.19.ar.6. Ioannes à S.Thoma eadem q.19.diſp.12.ar.6.num.18. Martinez ibidem dub.6.circa 2.concluſ. Salas to.1.in 1.2.tr.8.d.vn.nu.72. Ioannes Sancius d.44.num.51.& 54. Diana, Lorca, Delrius*, & alij, quos citant *Card.de Lugo de iuſt.& iure to.2.d.37. ſect.10.& Boſſius.*

Etiam in quæſtione de facto, Iudicem poſſe ſequi ſententiam probabilem, relicta probabiliori, docuerunt *Serra 2.2. q.67.ar.3. dub.2.verſ.dicendum eſt ſeptimò, & Leander à Murcia l.1.diſquiſ.mor.reſ.17.nu.8.*

Vt verò iacet proſcripta reperitur apud *Bonacin.m to.2. d 2.de peccatis q.4.pu.9.num.13.*ibi: *Probabiliter tamen etiam exiſtimo cum Claue Regia l.1.c.11.num.8. Aragonio 2.2.q.63.ar.4.dub.vn. Salonio ibidem contr.2. concluſ.4. Salas 1.2.q.21.tr.8.d.vn.ſect.12.nu.18. Filliucio tr.21.c.4.quæſ.6.num.145.* & alijs, *Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem, etiam minus probabilem.* At Doctores iſtos, quos refert, loquuntur tantum, in controuerſia de iure.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *In Iudice ante actum Iudicij requiritur ſcientia ſufficiens, & legitima iuriſdictio.*

3 *Multipliciter aliquis poteſt iuriſdictionem ſortiri.*

4 *Iudex in dubio tenetur magnam facere diligentiam pro inueſtiganda veritate.*

5 *An Iudex debeat iudicare ſecundum allegata, & probata, vel ſecundum priuatam ſcientiam?*

6 *Quando Iudex habet certam ſcientiam contra reum, ſi tamen hic ſecundùm allegata, & probata non appareat nocens, tenetur hunc abſoluere.*

7 *Quando Iudex habet certam ſcientiam priuatam pro reo, qui tamen ſecundum allegata, & probata oſtenditur nocens; tenetur omnia remedia adhibere.*

bere pro reo liberando. Et quæ ſint iſta remedia?

8 Eligitur ſententia affirmans poſſe Iudicem proferre ſententiam contra eum, quem certò ſcit eſſe innocentem in cauſis ciuilibus, & in illis in quibus puniendus eſt reus pœna pecuniaria, non verò in cauſis criminalibus reſpicientibus pœnam mortis; vel mutilationis.

9 In cauſis criminalibus quando Iudex nullo modo poteſt reum innocentem adiuuare, debet potiùs Officium dimittere quam innocentem condemnare.

§. II.

10 Quoties minor probabilitas ſe tenet ex parte facti: tunc certò certius apparet, illi adiudicandam eſſe V.g. hæreditatem qui efficaciores habet probationes ab illam obtinendam. Et contrarium tamquam ſcandaloſum damnatur.

11 Nec quoties minor probabilitas ſe tenet ex parte iuris poteſt Iudex iudicare ſecundùm opinionem minùs probabilem, relicta probabiliore. Contrarium etiam tamquam ſcandaloſum ablegatur.

12 Hoc decreto comprehenduntur deciſiones interlocutoriæ Iudicis, in quibus agitur de præiudicio partis.

13 Nomine Iudicis venit Iudex Ordinarius, & Delegatus, imò & arbiter.

14 Confeſſarius in hoc Decreto non continetur ſub verbo Iudex.

15 Confeſſarius poteſt abſoluere pœnitentem iuxta ſententiam ipſius pœnitentis probabilem. Quid ſi ipſe Confeſſarius eam à principijs extrinſecis falſam iudicauerit?

16 An etiam teneatur Confeſſarius in eo caſu pœnitentem abſoluere. Et ſub qua culpa?

17 Confeſſarius vt Doctor, Paſtor, & medicus ſpiritualis pœnitentis in conſilijs dandis, ſecundum quam ſententiam conſulere debet?

18 Afferuntur aliqui caſus, in quibus Iudex poteſt iudicare ſecundum ſententiam minus probabilem, ſeù potiùs tenetur iudicare in fauorem cauſarum, aut perſonarum, quas leges impares faciunt.

19 An pro eo, qui poſſidet Iudex poſſit ferre ſententiam ſecundum opinionem minùs probabilem?

§. III.

20 An Iudex poſſit ſuum iudicium alieno iudicio ſubijcere?

21 An iuxta hoc Decretum Iudex ſequi debeat eam opinionem, quæ probabilior eſt ab intrinſeco, an quæ ab extrinſeco? Et quæ ratio habeatur de opinione vſu recepta?

22 An debeat parere Iudex inferior, ſi ei ſuperior præcipiat, vt dicat ius ſecundum minùs probabilem?

23 An condemnatio huius Propoſitionis comprehendat etiam Aduocatos, & Procuratores?

24 Aduocatus non poteſt patrocinari cauſam iniuſtam; & hanc defendens non ſolum peccat mortaliter, ſed etiam reſtitutioni eſt obnoxius.

25 Te-

25 *Tenetur etiam aduocatus reſtituere Clienti expenſas, ſi hunc non admoneat de iniuſtitia cauſæ. Quid de pœna pecuniaria, à qua ſuo iniquo patrocinio reum liberauit?*

26 *Aduocatus diſpoſitus ad quamcumque cauſam tuendam, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam eſt in ſtatu peccati, & abſolutionis indignus.*

27 *Aduocatus ſi in cauſæ proſecutione aduertat de illius iniuſtitia, tenetur eam deſerere, Clientem de iniuſtitia admonito?*

28 *Clienti, qui habet bonum ius in poſſeſſorio, & nullum in re ipſa, non licet Aduocato patrocinari.*

29 *Licèt ſi cauſa Clientuli ſit magis probabilis, poſſit, non ipſum decipiendo, eam defendere: attamen non poteſt Iudicem pecunia inducere ad pronunciandum pro eo; & pecuniam tributam repetere non poteſt. Sed quid ſi Iudex eſſet alias iniuſtè iudicaturus?*

30 *An ſi cauſa ſit, ſeù æquè dubia, vel probabilis, poſſit Aduocatus pro qua maluerit parte patrocinari?*

31 *Quid ſi cauſa ſui Clientis ſit minùs probabilis?*

32 *Quæ in hoc obſeruanda ſunt ab Aduocatis?*

33 *Quid in Principe indicente bellum ex opinione minùs probabili?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: In Iudice ante actum iudicij duo potiſſimum prærequiri: ſcilicet ſcientiam ſufficientem, & legitimam iuriſdictionem. Vnde Iudex petens, aut ſuſcipiens munus iudicandi, quo indignus eſt, vt ſit veriſimile, inde aliquod detrimentum euenturum, peccat mortaliter. Ita *D. Antoninus 3.p.tit.9.c.2.in princ.& 2.p.tit.1.c.19.§.5. Gabr.in 4.d.15.q.6.num.3.Nau.in man.c.26.num.12.Burgos de Paz proœmio in leges Tauri num.164.* & alij communiter. Sicut & Medicus, Chirurgus, & alij ſimiles tenentur ab iis abſtinere, ſi eam peritiam non habent, quæ requiritur ad benè, & vtiliter ea exequenda. Quod ſi aliquod detrimentum litigantibus acciderit, ſiue in ſubſtantia litis, ſiue in ſuperfluis expenſis propter Iudicis ignorantiam culpabilem, totum illud Iudici Doctores imputant cum obligatione reſtituendi. Non deſunt Doctores qui docent, & ſi Iudex munus iudicandi petierit, atque etiam ſi alii eſſent digniores; dum tamen ipſe eſſet dignus, & debitam diligentiam adhibeat, non peccare mortaliter, nec teneri ad reſtitutionem damnorum; quia (inquiunt) quidquid ſit de peccato eligentis eum in Iudicem, electus tamen tutus eſt in conſcientia. Ita *Sotus l.3.de iuſt.q.6.ar.2.col.14.& Burgos de Paz ſupra nu.174.& ſeqq.* Contrarium tamen docent *Angelus V.Culpa nu.10. & Sylu.*

§.4. dicentes, Iudicem, qui Officium petierit, teneri ex culpa leui, ſi alius diligentior fuiſſet. Quod ſi priorem ſententiam ſequi volueris intelligas cum eodem *Burg. s loco cit.* niſi ex dolo, vel mendaciis electi, alius dignior fuiſſet relictus, ex *l. 2. ff. quod quiſque iuris*, & ex his, quæ tradit *Paulus de Caſtro in Auth. Hodie, Cod. de iudic.* Præterea Iudex, qui errorem à ſe factum agnouerit in præiudicium litigantis, etiam ſi à ſe ſine graui culpa factus fuerit, tenetur illum errorem impedire, ſi citra ſuam infamiam poterit; quod fieri poſſet admonendo occulte partem læſam, vt ſibi appellatione, aliaque ſimili remedio conſulat, iuxta ea, quę in ſimili de teſte docet *Caietanus 2.2. q.70. ar 4.* & quæ traduntur communiter in *c. præterea, de teſtibus cogendis*. Eſtque indubitabile, quia totum hoc pertinet ad debitam ſui muneris exequutionem, & quia alioquin ſi dum poteſt, non impedit ſuum errorem, imputabitur iam ei quaſi conſeruanti id, quod propter inaduertentiam inculpabilem priùs non imputabatur. Per ſe, & æquitate ſeruata non peccat Iudex dans vni parti *Allegatas* informationes. *Card. de Lugo de iuſt. & iure d. 37. ſect. 15. n. 183. Caſſianus à S. Elia in arb. virt. V. Iudex, Flore 1.*

3 Notandum eſt ſecundò, ex *Soto l. 5. de iuſt. q. 4. ar. 1. Leſſio l. 2. c. 29. dub. 6.* & aliis communiter; multipliciter contigere, quod aliquis habeat iuriſdictionem in alium. Primò Ordinariam, vt Pontifex habet in omnes Chriſtianos, Rex in ſuos ſubditos, &c. Secundò delegatam à Superiore, vt Legatus Papæ, vel alii ſimiles. Delegatus ad videndum, vt tamquam peritus in arte poſtea deponat, non eſt teſtis, ſed Iudex. Talis eſt matrona deputata à Iudice, vt aſpiciat puellam, an ſit Virgo. Ita cum *Decio in c. Propoſuiſti num. 53.* & aliis, *Caſſianus à S. Elia ſupra Flor. 2.* Tertiò ex conſenſu alterius, qui ſe ſubmittit, vt contingit in Iudicibus arbitris, qui ex conſenſu partium conſtituuntur: qui tamen non habent auctoritatem publicam: & licèt poſſint ſua ſententia ligare, non tamen poſſunt cogere ad eam implendam, vt docet *D. Thomas 2.2. q. 67. ar. 1. ad 2. Sotus vbi ſupra ar. 3.* & alij. Quartò, ſortitur quis iuriſdictionem ratione delicti commiſſi in eius territorio, *c. Poſtulaſti, & c. fin. de foro compet.* de quo vltra alios videri poteſt *Sanchez l. 6. conſil. c. 1. dub. 15. & 16.* Quintò ratione contractus, Domicilij, vel rei, de qua litigatur. Sextò ratione iniuriæ, vt ſi ſubditus vnius Principis paſſus ſit iniuriam à ſubdito alterius, qui interpellatus nolit punire ſuum ſubditum, poterit petere vindictam à ſuo Principe. *Card. de Lugo cit. d. 37. ſect. 3. nu. 16.* Si nullo ex his modis quis habeat iuriſdictionem in alium, regula generalis eſt: Quicumque exercet iuriſdictionem in aliquem, quam legitimè non habet, peccat peccato vſurpationis iudicii. Quo peccato, iuxta veriorem ſententiam, etiam peccauit Pilatus iudicando Chriſtum; Chriſtus enim etiam vt homo ratione vnionis cum Verbo erat dignus honore, reuerentia, & obedientia omnium, nec decebat, eum eſſe verè ſubditum alicuius tamquam legitimi ſuperioris. Et licèt videatur excuſari poſſe Pilatus ob ignorantiam, non tamen omninò, cum Pilatus haberet mul-

ta

ta principia ad dubitandum, & inquirendum de ſuprema Chriſti poteſtate. Igitur grauiter peccat Iudex ſecularis, qui iudicat perſonas Eccleſiaſticas, quæ ſunt ab eius iuriſdictione exemptæ, vt conſtat ex *c. ſi diligenti, de foro compet.* vbi habetur non poſſe Clericos in hac parte renunciare iuri ſuo; quia hoc priuilegium non eſt in fauorem perſonæ: ſed totius ſtatus. Hoc tamen non obſtat, quin Clericus aliquos laicos arbitros ſibi conſtituere poſſit, quorum ſententiæ parere teneatur: hoc enim non eſt ſiſtere ſe coram tribunali ſeculari, vt notat *Sotus ſupra ar. 1. in fine.* Et Iudices laici non habentes facultatem à Pontifice, non poſſunt ab Inquiſitoribus permitti, vt aſſiſtant in rebus tantum Fidei. *Diana p. 4. tr. 8. reſ. 105. Caſſianus à S. Elia ſupra.* E contra peccat vſurpatione iudicii Iudex Eccleſiaſticus iudicans ſeculares in cauſis merè temporalibus, quę ad forum Eccleſiaſticum nō pertinent vt cōſtat ex *c. cum quidam, de exc pt. in 6.* & ſententia erit nulla, tamquam à Iudice, ex *c. at ſi clerici, de Iudicijs.* In cauſa Adulterii ad imponendam pœnam ſanguinis, ſolus Iudex ſæcularis eſt competens: in aliis verò pœnis datur locus præuentioni. *Riccius p. 5. collect. 2076.* In cauſa diuortij Iudex Eccleſiaſticus cognoſcit de Adulterio. *Germonius de Sacror. immunit. l. 3. c. 12. nu. 58.* Idemque eſt Iudex in cauſis ſeparationis ad tempus, vt ob lepram. Vbi autē cauſa principalis erit de dote ſpectat ad Iudicem laicum. *Diana p. 1. tr. 2. reſ. 87. olias 86.* Dixi ſupra, *in cauſis merè temporalibus, & quæ ad forum Eccleſiæ non pertinent*; quia bene poteſt Prælatus Eccleſiaſticus iudicare ſæculares in ſpiritualibus, vel etiam temporalibus, quatenus ordinantur ad ſpiritualia, vt docent *S. Thomas 2. 2. q. 60. ar. 6. ad. 3. Sotus 3. de iuſt. q. 4. ar. 6. ad 3.* & probatur ex *c. nouit, de Iudicijs,* vbi Innocentius III. ſic ait: *Nullus qui ſit ſanæ mentis, ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correptionem contempſerit, per diſtrictionem coercere.* Hinc fit, poſſe Iudicem Eccleſiaſticum compellere perſonas ſæculares ad ſoluendas decimas, quæ ordinantur ad alendos ſacros miniſtros, & ad ſoluendas contributiones, quæ ſæcularibus imponuntur pro reparatione Baſilicarum: item poſſe præcipere ijs, qui aliena retinent, vt reſtituant, ne in peccato exiſtant, & ſi non obedierint, eos excommunicare. *Card. de Lugo ſupra ſect. 3. num. 19.* qua autem moderatione vtendum ſit in excommunicatione pro temporalibus reſtituendis ferenda, colligitur ex *Trident. ſeſſ. 25. c. 3. de refor.*

4 Notandum eſt tertiò, Iudicem in dubio teneri magnam facere diligentiam pro inueſtiganda veritate, iuxta illud *Iob. 29. Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.* Quod intelligitur ſecundum viam iuridicam, & ſeruando terminos iuris. Poteſt vti aliqua ſimulatione ad extorquendam veritatem à reo, vel actore: Exemplum affert *Naldus v. Iudex num. 3.* tum in Salomone in cauſa illarum mulierum, quarum vtraque petebat ſuperſtitem filium ſibi reddi: tum etiam in Carolo Magno, de quo legimus, quod vt ſontem agnoſceret, mandauit, patrem & filium ſimul

damna-

damnari ad mortem pro homicidio ad altero ipſorum perpetrato. Poteſt quoque Iudex ſupplere de iure, & de facto in his, quę aduocati oſcitanter omittunt, iuxta *tex. in c. bona memoriæ il t. de poſtulat. prælat.* vbi Doctores id notant, *Naldus ſupra num. 6.* Certum eſt, quod regulariter loquendo Iudex teneatur iudicare ſecundum allegata, & probata, ideſt ſecundum publicas allegationes, & probationes in iudicio factas. Hinc quippe in *can. Iudicet. 3. q. 7.* dicitur: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſtica propoſito voluntatis; ſed iuxta leges, & iura pronunciat; ſtatutis iuris obtemperat; non indulget propria voluntati: nihil paratum, & meditatum domo defert; ſed ſicut audit, ita iudicat; & ſicut ſe habet negotij natura, decernit: obſequitur legibus, non aduerſatur; examinat cauſa merita, non mutat.* Concordat, *textus in c. 1. de ſent. & re iud. in 6.* vbi Eccleſiaſticus Ordinarius, ac etiam delegatus, grauiſſime puniendus decernitur, ſi contra conſcientiam, & contra iuſtitiam, in grauamen partis alterius quicquam in iudicio fecerit per gratiam, vel per ſordes. Item textus in *l. Rem non notam, Cod. de Iudicijs,* vbi idcirco Iudice à principio ſui officij iubetur iurare, *ſe ſe omnimodò cum veritate, & legum obſeruatione Iudicium eſſe ſubituros.* Nec obſtat *Auth. Hodie Cod. de Iudicijs,* vbi Iudices hodie debent *iurare ſe facturos, ſecundum quod eis viſum fuerit iuſtius, & melius.* Reſpondetur enim, id intelligendum eſſe, quod Iudex debeat iudicare, ſecundum quod ſibi videtur iuſtius, iuxta leges tutum, & merita cauſæ, vt explicat *Gloſſa ibidem V. Iuſtius:* non autem, quaſi habeat liberum arbitrium, quod lubet ſtatuendi. Verùm Iudex multa habet ſuæ prudentiæ, & arbitrio à lege commiſſa: differunt autem, quia quædam ſunt in leuamen, & commodum ipſius: quædam verò in fauorem litigantium. In arbitrarijs primi generis poteſt Iudex abſque peccato concedere, aliquid vni parti, & non alteri; ſecus autem eſt in his, quæ ſunt ſecundi generis; quod ſi Iudici apertè & indubiè conſtaret de iniuſtitia alterius partis, poſſet tunc in ſibi arbitrarijs alteri parti fauere. *Salonius to. 1. q. 63. ar. 4. controu. 1. Naldus ſupra num. 4.*

5 An autem Iudex poſſit, ac debeat iudicare ſecundum allegata, & probata, etiam contra propriam conſcientiam; ideſt condemnare eum, qui per teſtes, aut alias probationes conuictus eſt, ſiue de crimine, ſiue de debito aliquo, quem tamen Iudex priuata ſcientia certò ſcit eſſe innocentem: vel Auctore non probante abſoluere reum, quem tamen certò ſcit eſſe ſontem, vel debitorem? Celebris eſt quæſtio, præſertim quoad priorem partem. Et quidem quando Iudex non habet omninò certam ſcientiam, ac indubitatam conſcientiam, tunc tenetur eam deponere, ac iudicare ſecundum allegata, & probata. Ita *Abbas in c. Paſtoralis §. Quia verò num 9. de offi. deleg. Reiffenſtuel in 1. decret. tit. 32. §. 2. quæſ. 2. nu. 35.* & alij communiter, atque in ſimili habetur deciſum in *c. per tuas 35. de Simon.* & meritò, nam totus ordo iudiciarius peruerteretur, ſi ob priuatam aliquam notitiam, nec dum omninò certam, imò ſæpiùs fallibilem, poſſet Iudex relin-

que-

quere iudicialiter allegata, & probata.

6 Similiter licèt Iudex inferior habeat certam ſcientiam priuatam contra reum, vtpotè quia è domo ſua proprijs oculis vidit illum delinquentem; nihilominus cauſa in iudicium deducta, tenetur procedere ſecundum allegata, & probata, ſicque Actore non probante debet reum abſoluere. Ita *Abb. ſupra num.8. poſt Ioannem Calderinum ibidem, Couar. l.1. var. reſol.c.1.num.8.* & alii. Ratio eſt, quia generale eſt, quod Actore non probante Reus abſoluitur, *c.cum Eccleſia, §.fin.de cauſa poſſeſſ. & propriet. & l. Qui accuſare, Cod. de edend. cum concord.* & tali Iudex abſoluendo reum, non agit contra ſuam conſcientiam, cum non pronunciet eum eſſe innocentem, ſed ſolum, quod contra ipſum nihil legitime fuerit probatum. De Principe verò ſupponitur communiter, poſſe ex priuata ſcientia aliquem occidere, quando non agitur de puniendo delicto, ſed de impediendo malo Reipublicæ imminenti per aliquam perſonam; tunc enim Princeps vtitur defenſione naturali Republicæ ſibi commiſſę. Non deſunt Iuriſtæ *Couar. Cynus, Bartolus, Albericus, & Felinus,* quos affert *Leſſius l.2.c.29.num.93.* nec non *Matienzo in Dialogo relatoris p.3.c.42.n.3.* affirmantes, poſſe Principem punire delinquentem ex priuata ſcientia. At communis ſententia, à qua non puto diſcedendum, negat id licere ſaltem regulariter. Ita cum *Caietano, & Soto, Leſſius* vbi ſupra, cum *Martino Nauarro, Petrus Nauarra l.2.de reſtit.c.3.nu.197.Malderus 2.2.tr 6.c.1. dub.14.Sanchez l.3.conſil.c.vn.dub.4.* & alii apud *Dianam p.3.tr.5. reſ.98.* & alii recentiores communiter, & colligitur ex *D.Thoma 2.2.qu.67.art.3. ad 3.* Patet tum ex *c.1.2.& 4.2.qu.1. Nos* (inquit Auguſtinus ibi) *in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut contra conuictum, aut ſponte confeſſum*. Idem habetur in *c.conſuluiſti 2.qu.4.* & aliis multis. Tum ratione, quia etiam ſi Reſpublica haberet huiuſmodi poteſtatem (de quo pauló infrà) non tamen eſt credibile, quod eam in Principem tranſtulerit: eſſet enim contra omne bonum regimen dare vni homini poteſtatem ſupra vitam omnium, ſine alio teſtimonio, quam ſuo. Dixi tamen, ſaltem regulariter, quia ſententiam *Fagundez in 8.precep. Decal.c.20. num.18.* docentem, in aliquo caſu raro, vbi ex ordine iuridico maxima inconuenientia ſequerentur, habere Principem talem poteſtatem, non iudicant improbabilem *Malderus, & Leſſius,* qui exemplifi at, ſi aliquis Reginæ vim inferret, ſoluſque Rex id ſciat; tali enim caſu ad vitandam infamiam Regiam, videtur nonnullis Principem conceſſione tacita Reipublicæ poſſe occidere adulterum ſine alio ſtrepitu iudiciali, vel ipſius ſpontanea confeſſione. Contrarium tamen etiam in hoc caſu verius eſſe, omnes ferè fatentur, & meritò, quia Reſpublica non habet ius contra vitam, vel membra ciuium, niſi quando certò ipſi conſtat delictum: non poteſt autem certò conſtare Reipublicæ per dictum vnius: poteſt autem per duos, vel tres, qui faciunt certitudinem moralem; non ergo potuit Reſpublica

maius

maius ius in Principem transferre, quàm ipſa habeat, & per conſequens non poteſt dare ius ad occidendum pro delicto adhuc ipſi Reipublicæ dubio. Hinc benè dixit *Caietanus*, non excuſari Principes, quando reum ſibi notum ſecretò faciunt occidi, vt ipſius, & poſterorum honori conſulatur; magis enim debent conſulere famæ totius Reipublicæ, quam illius delinquentis, & quidem ſi habent ius ad occidendum, habebunt etiam ad infamandum. Verum quando ex citatione delinquentis ſequerentur grauia ſcandala in Republica, timerenturque probabiliter ſeditiones, vt ſi delinquens eſſet Dux generalis exercitus, & militibus chariſſimus, liceret tunc eius cauſam ſecretò tractare, aſſignando conuenientem patronum, qui ageret cauſam rei, & eum diligenter defenderet, omniaque Chriſtiano more diligentiſſimè peragendo, vt conſeruaretur, quantum poſſet, ordo iudicialis, ac denique conuictum, ita, vt certò conſtaret de delicto inexcuſabili per legitimam probationem, poſſet Princeps eum occidere, ſeruato tamen, quantum fieri poſſet ordine charitatis ad ſalutem animæ occidendi. Ita Doctores communiter. Qui duo obſeruanda in hoc eſſe ſubnectunt. Primum eſt, quod adſint teſtes ſufficientes ad conuincendum reum, & omni exceptione maiores: iam enim tunc adeſt, quantum ſat eſt, ad reddendam Rempublicam certam de illo delicto. Secundum eſt, quod nonniſi rariſſimè, & grauiſſimis cauſis fiat; non enim præſumitur aliter conceſſa hæc poteſtas Principi; nam frequentior vſus illius eſſet in grauiſſimam Reipublicæ perturbationem. Et ſupponit *Turrianus d. 48. dub. 4. num. 5.* hanc poteſtatem, quam habet Princeps, poſſe etiam ex graui cauſa communicari ab eo alicui Iudici inferiori, cui non minus ipſe fidat, quam Reſpublica: dum tamen expreſsè non communicatur, non credo ſufficere voluntatem interpretatiuam Principis. Ita *Card. de Lugo cit. d. 37. ſect. 5. num. 53.* qui *num. 54.* ſubdit, quod in cauſis ciuilibus, & ablatione officiorum, &c. maiorem fortaſſe poteſtatem habet Princeps ad hoc, vt ex ſcientia priuata poſſet aliquando condemnare reum non conuictum: nam harum rerum à Republica habet maius dominium, & poteſt diſponere de his in ordine ab bonum publicum.

7 Quando verò Iudex habet veram ſcientiam priuatam pro reo, hoc eſt, ſi penitus certò, firmiter, & indubitanter nouit. Eum eſſe innocentem, qui tamen ſecundum allegata, & probata oſtenditur nocens: tunc primò tenetur omnia remedia tentare, omnemque diligentiam adhibere pro reo illo liberando, de cuius innocentia ſibi certiſſimè conſtet. Ita *Abbas in d. §. Quia verò, num. 8. Pirhing in tit. de officio Iudicis num. 8.* aſſerens hoc eſſe certum apud omnes. Id ſiquidem exigit tum præceptum dilectionis proximi, tum obligatio virtutis Iuſtitiæ, prohibentis, proximum iniuſtè lædi, & innocentem condemnari: hoc enim ſcienter vel permitteret, vel etiam procuraret Iudex ille, qui certiſſimè ſciens innocentiam rei, non curaret opportuna media adhibere pro eius liberatione, Porrò media liberandi

reum

Digitized by Google

reum certò innocentẽ, ſiue in cauſis ciuilibus, ſiue in criminalibus poſſunt eſſe ſequentia. Primum, Iudex dilato paulisper iudicio, iterũ, atq; exactius examinet teſtes, denuoque conſideret producta inſtrumenta, etiam (iuxta exemplum Danielis Prophetæ *Daniel.13.*) ſingillatim interrogando circumſtantias loci, temporis, ac huiuſmodi, vt vel ſic falſitas eorum deprehendatur. Secundò, inquirat Iudex cauſas, ſi quas inuenire valet, ob quas repelli poſſit actio, vel accuſatio, vt putà ope cuiuſpiam exceptionis. Tertiò poterit reus talem Iudicem recuſare, allegando, quod eius teſtimonium pro defendenda ſuo innocentia, ſibi ſit neceſſarium: iuxta textum notabilem in *c.dilecto, 49. de Teſtibus*. Quartò poterit inſuper, & ſi alia media non ſuppetant, tenebitur Iudex cauſam remittere ad ſuperiorem, & coram eo rei innocentiam, ſibi priuatim certitudinaliter cognitam, proponere, & de ea teſtimonium ferre. Quintò, loquendo de maioribus cauſis criminalibus, & in defectum omnium memoratorum mediorum, poſſet ſecluſo ſcandalo, diſſimulanter Iudex permittere, vt reus innocens è carceribus fugiat, aut, ſi eſt Princeps Supremus, tenetur per abſolutam poteſtatem eidem vitam donare, pœnamque remittere. Quod vt ſuauius fiat, poteſt coram populo teſtificari, & iurare illum hominem eſſe innocentem. Ex quibus omnibus patet, rariſſime poſſe contingere, quod Judex non poſſit liberare eum, quem certò nouit innocentem.

8 Dato tamen illo caſu, licet ſententia ſatis communis, & probabilis *D.Thomæ 2.2.qu.67.ar.2.* & ibi *Serræ*, *Caetani*, & aliorum Thomiſtarum, Ciuiliſtarum cum *Barthcolo in l.Illicitas, ff.de offic.Præſid.* & Canoniſtarum cum *Gloſſa in c.Iudicet, 3.qu.7.* doceat, poſſe Iudicem ſemper proferre ſententiam in quacumque cauſa iuxta allegata, & probata; mihi magis placet ſententia, quæ diſtinguendo tenet, Judicem poſſe quidem ſecundum allegata, & probata contra propriam ſcientiam ferre ſententiam in ciuilibus, & cauſis criminalibus minoribus vbi ſolum agitur de pœna pecuniaria, priuationis officii, vel bonorum; non verò in criminalibus, quæ reſpiciunt pœnam mortis, vel mutilationis. Suadetur ſecunda pars. Tum quia *Daniel.23.* dicitur: *Innocentem, & iuſtum non occides. Exodi 23. Inſontem, & iuſtum non occides, quia auerſor impium*. Tum quia occidere innocentem eſt intrinſecè malum, ſicut cognoſcere non ſuam: ſed nemo poteſt licitè cognoſcere, quam certẽ ſcit eſſe non ſuam: Ergo nec etiam licebit occidere innocentem, quantumuis probetur nocens per falſa, & apparentia teſtimonia. Minor eſt communis, & conceditur ab Auctoribus contrariis. Maior verò probatur, quia ſicut homines non ſunt domini ſeminis ad coitum cum non ſua, ita minus ſunt domini vitæ alienæ ad occidendum innocentem. Si dicas primò, quod Iudex publica auctoritate fungitur, & ex ea iudicat, *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* & conſequenter impertinens ad iudicandum eſt illa ſcientia, quæ ipſi vt priuatæ perſonæ competit. Vndè licèt conſcientia propria non concordet allega-

tis; quia tamem aliud facit aliquid in eo, quod homo, aliud in eo, quod Iudex eſt; vt *cauſi Eccleſia, §.fin.23. qu.4.* poteſt Iudex iudicare ſecundum conſcientiam, quam habet vt Judex, relicta, ſeu depoſita ea quam habet, vt homo priuatus, *arg.c.ſi Sacerdos,2.de offic.ordin.* Reſpondeo ex eo, quod Judex ſit perſona publica ſolum ſequi, quod non poſſit ex priuata ſcientia per ſententiam diffinitiuam reum abſoluere, vel condemnare, non tamen ſequi, quod debeat ipſum condemnare ſecundum probata, & allegata, quando certiſſimè ſcit ea eſſe falſa. Si dicas ſecundò. Aliquando propter propter bonum commune licèt occidere innocentem, vt in oppugnatione Ciuitatis, cum diruitur Turris, vel arx, in qua ſunt multi innocentes. Reſpondeo, ibi non intendi directè occiſionem innocentis,, ſed reductionem arcis hoſtilis, quæ non debet relinqui (licèt ex eo ſequatur mors innocentis) contra Principis voluntatem; in præſenti autem caſu Iudex directè, & immediatè intendit occidere hominem innocentem, quod quidem directè intendere numquam eſt licitum propter eum finem. Si dicas tertiò. Si Judex tunc non poſſet ferre ſententiam ſecundum allegata, & probata: ſequeretur perplexitas conſcientiæ, ſi ſcilicet Iudex contrarium allegatis ſciret ex confeſſione Sacramentali. Reſpondeo primò hoc argumentum æquè militare contra contrariam ſententiam; nam ſi aliquis ex Confeſſione Sacramentali ſciat matrimonium aliquod eſſe nullum, & in iudicio probatur validum, vel debet proferre ſententiam pro matrimonio, & tunc peccat præcipiendo copulam cum illa, quam ſcit non eſſe vxorem; vel abſtinet à prolatione ſententiæ, & tunc reuelat confeſſionem coniugis. Quod tu dixeris in hoc caſu, dici poterit in illo priori. Rurſus, ponamus ipſum coniugem habentem vxorem (prout fit apud Græcos,& potuiſſet apud nos fieri) cognoſcere ex confeſſione ſuum matrimonium eſſe inualidum; tunc ſi ipſa reddit debitum coniugi, peccauit in copula cum illa, quam ſcit non eſſe ſuam, ſi verò non reddit, peccat reuelando confeſſionem? Ergo. Ad hos itaque & ſimiles caſus omnes eodem modo debemus reſpondere, ſemper intelligi exceptam notitiam illam confeſſionis Sacramentalis: illa enim non eſt humana, ſed alterius ordinis diuerſi, adeò vt illa non obſtante, poſſit homo non ſolum occidere alium, ſed etiam ſe ipſum, vt in caſu, quo Sacerdos ex confeſſione ſciret ſibi miſſum eſſe venenum in calicem; debet enim ſumere calicem, ex cuius ſumptione ſcit ſe moriturum ſi non poteſt illam omittere abſque aliqua confeſſionis reuelatione, vt cum aliis docet *Suarez tom.4. in 3.p.d.23. ſect.7.num.7.* Si ergo poteſt ſeipſum interficere, facilius poterit alios: facilius etiam poterit habere copulam cum non ſua. Ratio autem eſt in primis, quia licet in foro Sacramentali teneatur credere pœnitenti, non tamen extra illud: quare extra illud poterit Judex credere magis teſtibus condemnantibus reum, quàm illi pœnitenti; quis enim ſcit, an fuerit mentitus. Similiter poteſt propter eamdem rationem Confeſſor abſol-

uere

uere pœnitentem: quem ex alterius confeſſione nouit venire indiſpoſitum ad confeſſionem. Ratio denique generalis eſt, quia Chriſtus Dominus potuit inſtituere illud ſigillum Sacramentale in eo altiſſimo ordine ſuper reliqua præcepta, & de facto propter multas congruentias creditur ita feciſſe in fauorem huius Sacramenti, & propter eius maiorem religionem. Qua Chriſti inſtitutione ſuppoſita, ſicut homo poteſt occidere, non abſoluta illa ſcientia, ità poterit Iudex damnare innocentem. Ex hoc autem non licet arguere ad aliam notitiam, quæ non ſit Sacramentalis. Prima verò pars huius doctrinæ, quod in cauſis ciuilibus, & in pœnis pecuniariis, exilii, priuationis officiorum, & ſimilibus poſſit Iudex condemnare ſecundum allegata, & probata illum, quem certò ſcit innocentem, ſuadetur, quia licet reſpublica non habeat dominium ſupra vitam, & membra ſubditorum, habet tamen illud ſupra hæc alia bona, ita vt adueniente iuſta cauſa propter bonum commune poſſit de illis diſponere, & auferre bona, priuare officiis, expellere ciues à Ciuitate, &c. Ergo incredibile eſt, dediſſe hanc poteſtatem Iudici ad eum finem, vt ſecundum leges, & probationes iudicetur, ne contemnatur ordo iudicialis, cuius obſeruatio ſummoperè conducit ad pacem, & quietem Reipublicæ. Et hanc partem euincit *textus in c. Paſtoralis, §. quia verò, de offic. deleg.* Et vtramque partem docent *Imola*, & alii Juriſtæ in *in l. à Diuo Pio, ff. de re iudic. Adrianus quodlib. 2. pu. 3. & quodlib. 6. ar. 3. Nauarra ſupra c. 3. n. 161.* & alii, quos relatos ſequitur *Leſſius cit. c. 2. num. 78. Conin. b de Sacram. d. 13. de cenſ. num. 106. & 110. Malderus tr. 6. c. 1. dub. 13. Layman l. 3. Theol. moral. tr. 6. c. 2. q. 1. Pirhing. ſupra n. 9. & 10.* & alii.

9 Hinc, ſi nullum ſupra memoratorum mediorum adhiberi poſſet, vel ſufficeret, potius deberet Iudex in cauſis criminalibus maioribus officium dimittere, quam reum innocentem condemnare ad mortem contra propriam conſcientiam; non obſtante, quod etiam hoc modo nihil eſſet reo profuturus: prout cum alijs verius cenſet *Leſſius cit. c. 29. num. 78.* contradicente *Card. de Lugo ſupra num. 49.* qui addens hoc ipſum cum proportione locum habere in aliis inferioribus miniſtris, inquit iuxta ſuam ſententiam rarius eos teneri renunciare officio, quam Iudicem, quia ferè numquam illa renunciatio proderit reo. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

10 DIco primò. Quoties maior probabilitas ſe tenet ex parte facti, tunc certò certius apparet, illi tamquam digniori adiudicandam eſſe hæreditatem, V. g. qui per inſtrumenta, aut teſtes efficacius, aut

validius probat ſe habere qualitates requiſitas ad illam obtinendam. Et contrarium aſſerere cenſetur hoc Decreto, vt minimum tanquam ſcandaloſum, maximè abactum: Et ante hoc decretum etiam communiter reijciebatur. *Nec eſt* (inquit *Aragonius cit. tr.4. verſ. Ad tertium*) *aliqua opinio probabilis, quæ dicat, licitum eſſe contra huiuſmodi hominem ſententiam ferre.* Et teſtatur *Ioannes Cardenas to.1. d.6. nu.85.* *quod omnes tamquam certum ſupponunt, & meritò, in quæſtione de facto non poſſe Iudices ſequi minorem probabilitatem, ſed ſemper ſtare debere pro maiori probabilitate.* Idem teſtatur *Malderus to.2. l.6 par.2. tr.1. docum.6.* Illi tamen Auctores, dum dicunt, omnes Doctores ita ſentire, intelligunt ferè omnes; nam reuera etiam in quæſtione de facto contrarium docuerunt ante Decretum *Serra*, & *Leander à Murcia* in principio relati, nec non *Bonac.* cuius eſt ſententia proſcripta, id probabile exiſtimauit; ſed iſti nec ante condemnationem hanc Innocentii erant audiendi; nulla quippe ratione, aut auctoritate graui ducti receptiſſimam iſtam traditionem oppugnarunt.

Probatur autem aſſertio tum ex dicendis in ſequenti aſſertione, tum quia in *l. ob crimen, §. fin. ff. de teſtibus Iudici iniungitur*, vt in facto controuerſo motum animi ſui confirmet ex argumentis, & teſtimoniis, non quibuslibet, *ſed quæ rei aptiora, & verò proximiora eſſe comperuit*; ſiue ex illis, quibus potius lux veritatis aſſiſtit, vt traditur in *c. In noſtra 32. de teſtibus*. Vndè Iudex ſecus faciens, violat iuſtitiam diſtributiuam, & commutatiuam.

11 Dico ſecundò. Nec quoties maior probabilitas ſe tenet ex parte iuris, poteſt Iudex iudicare ſecundum opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. Et contrarium aſſerere hoc Decreto, vt minimum tanquam ſcandaloſum ablegatur, & ante Doctores etiam communiter docuerunt, certum eſſe, & abſque dubio, non licere Iudici à probabiliori recedere, & pro minus probabili ſententiam pronunciare, vt rectè animaduertit *Caſtropalaus tom.1. d.2. pu.12. num.2.* Et *Antonius Terillus tomo de conſcientia probabili*, quem edidit decem annis ante hoc Decretum, *aſſert.5.* propoſitionem huic contradictoriam his verbis expreſſit: *Hæc propoſitio, Iudici in iudicando licet ſequi opinionem minus probabilem, ab ipſo pro tali euidenter cognitam, aut abſolutè traditam, non eſt probabilis.* Et *Ioannes Pollenter* in ſuo erudito opere, poſt allata verba *Terilli* Catalogum contexit Doctorum Societatis, qui ante *Terillum* hanc eandem opinionem proſcriptam, vel tanquam improbabilem, vel ſaltem tanquam falſam reiecerunt, & enumerat vltra quadraginta, eorum verba tranſcribens. *Henriquez* etiam in *clauſ. Pontificia c.18. num.4.* contrarium appellarat pernicioſum in praxi.

Probatur primò auctoritate *D. Ambroſij* iuriſperitiſſimi in *Pſal.118.* vbi inquit: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis, ſed iuxta leges, & iura pronunciat; ſtatutis quoque iuris obtemperat,* non

non indulget propriæ voluntati: Nihil paratum domo defert, ſed ſicut audit, ſic iudicat, & ſicut ſe habet negotij natura. Iudex ergo ad leges, & iura reſpicere debet, nulloque modo ad perſonas, non amicitiam, non conſanguinitatem, vel aliam ipſarum qualitatem conſiderando. Vndè ad hoc ſignificandum Iuſtitia pingitur cum bilance in vna manu, & cum gladio in altera, quo ſymbolo ſignificatur, Iudicem iuſtè iudicantem nullo affectu in alterum ex litigantibus debere inclinari, ſed ſententiam proferre pro parte, cui magis iura fauent, & quæ pro ſe validiora adducit fundamenta. Quod ſi omnibus inſpectis iura vtriuſque partis appareant æqualia, in neutrius partis fauorem poteſt ſententiam proferre, ſed rem diuidere, vel compoſitionem inter partes facere, iuxta dicta in *Lapide Lydio comment. ad Propoſ.26.* Videatur *Anacletus Reiffenſtuel.cit.tit.32.§.3.quæſ.3. num.63.* vbi ex *Abbate, Felino, Barb.* & aliis, quod etſi regulariter loquendo non poſſint partes litigantes compelli ad componendum, tranſigendum, vel compromittendum; nihilominus ex cauſa graui poſſunt ad hoc compelli à Judicibus; inter graues autem, iuſtaſque cauſas connumeratur, cum primis ea, ſi partes diù iam litigauerint, & poſt accuratam cauſæ diſcuſſionem neutra pars litigantium inſpectis allegatis, de iure, vel de facto ſuperâre videatur, ſitque cauſa adeò intricata, quod de facili decidi non valeat, *c.Placuit, d.90.* & notat *Abbas in Rubr.de Tregua, & Pace, num.1. Barb.de poteſt.Epiſc.alleg.79.n.9.Reiffenſtuel.n.67.*

Confirmatur, quia bonus Iudex, qui videns meliora fundamenta ſimpliciter pro vna parte, in eius fauorem iudicat, & interrogatus cur ita fecerit, reſpondere meritò poteſt, quia vidi huic parti aſſiſtere validiora fundamenta; iſte enim communiter integer, & incorruptus vocatur; ſecus verò faciens iniquus habetur, eiuſque ſententia iniqua appellatur. Quamuis enim contingere poſſit, rem non eſſe illius, cuius fundamenta meliora apparent, nihilominus cum etiam contingere poſſit, non eſſe alterius, cuius fundamenta ſunt minus veriſimilia, Judex habet prudens fundamentum ad iudicandum de facto rem eſſe illius, cuius iura magis fauent, & non habet prudens fundamentum ad oppoſitum. Vnde ſi contingat Iudicem re ipſa falli, ſi id non proueniat ex paſſione, vel imperitia, & negligentia Iudicis, debet litigans hoc imputare prouidentiæ diuinæ, & non poteſt iuſtè de Iudice conqueri. Quod ſi affectus ſpecialis erga vnum è litigantibus, vel negligentia in examinanda lite, & liberandis vtriuſque partis fundamentis, fuit in cauſa, vt ius illius partis apparuerit Iudici veriſimilius, non excuſabitur Iudex ille coram Deo, ſed reus erit iniuſtitiæ commiſſæ, ſi ob hanc ignorantiam culpabilem dominum verum re ſua priuauerit. Et idcircò munus Judicis eſt maximè periculoſum. Accedit *regula 41. iuris in 6.* quæ ita habet: *Inſpiciendum in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſueuit.* Legatur *Tiraquellus ad l.ſi vnquam, Cod.de reuoc.donat.* vbi adducit multas leges hoc ipſum

pro-

probantes, & *Menochius l. 1. de præſumpt. qu.* 29. & 30. vbi ex iure ciuili latè demonſtrat, præſumptionem minus validam omninò tolli præſumptione validiori contraria. Ergo iuxta iura præſumptio minus valida, quam ſecum adducit opinio minus probabilis in Judice, omninò vincitur per præſumptionem validiorem opinionis oppoſitæ probabilioris. Ac proinde Judex debet ſententiam proferre in fauorem illius partis, pro qua militat validior præſumptio veritatis. Hæc autem militat pro illa parte, quæ pro ſe habet vrgentiora fundamenta, atque veriſimiliora.

Probatur ſecundò. Quia Reſpublica conſtituit Iudicem ad lites dirimendas, ſecundùm quod ei melius videbitur. *l. Rem non im, §. Hodie, Cod. de Iudicijs*, vbi dicitur, *Iudices iurare ſe facturos, quod eis viſum fuerit iuſtius, & melius, & l. Quidam exiſtimauerunt*, & ibi *Gloſſa fin. ff. ſi certum petatur.* Vndè communiter Doctores inquiunt, quod Iudex obligatur ex quaſi contractu, quem cum Republica tenet, de miniſtranda iuſtitia meliori modo, quo poteſt, per quem ceſſit iuri ſuo de vtendo opinione minus probabili. Confirmatur, quia iudex eſt inſtitutus à Republica, ſeu Principe, vt vnicuique iuxta merita cauſæ ius ſuum tribuat, & neminem lædat, *c. Forus §. in omni, de verb. ſignific. c. 1. 23. q. 2. & c. Iudicantem* 30. *q.* 5. & ne ſit acceptor perſonarum, *c. neceſſe, 3. q. 9.* Pars autem illa, pro qua ſtat probabilior opinio Iudicis; maiora habet merita, & maius ius in cauſa; Ergo iuxta ea decidere debet.

Probatur tertiò ex abſurdis, quæ ex opinione proſcripta oriuntur. Et primò, quia Iudices facit arbitros, & dominos omnium maioratuum, prædiorum, & bonorum, de quibus controuertitur, ad quem ſpectent. Si enim Iudex in ferenda ſententia poteſt ſequi quamcumque opinionem probabilem, poterit rem, de qua litigatur, cui voluerit adiudicare, perindè ac ſi foret ſua: Secundò, quia ex illa ſententia ſequitur, fruſtrà quæri à litigantibus ſuperiores, & eloquentiores Aduocatos, ſeu cauſarum patronos; & tamen lumen naturæ dictat litigantibus, vt pro defenſione ſuorum iurium quærant ſapientiores cauſidicos. Tertiò. Quia ex illa ſequitur, nec Principes teneri ad iuſtitiæ adminiſtrationem eligere viros ſapientiores, & legum peritiſſimos alijs præferre, nec ipſos Iudices, & Senatores obſtringi animum applicare ad exactam iurium vtriuſq; partis cognitionem, vt ſic deprehendere poſſint, ad quem litigantium re ipſa attineat fundus maioratus, vel prædium, de quo litigatur. Nam cum facile ſit ſcire, an pro vtraque parte ſit ſententia probabilis, præſertim auditis vtriuſque partis aduocatis, & quilibet vtcumque in euoluendis titulis, & indicibus librorum verſatus, facile poſſit deprehendere, an ſint graues Doctores pro vtraque ſententia. Hoc autem eſt contra ipſam iudiciorum naturam, & luminis naturalis dictamen: eſt quoque contra ſcripturam, quæ magnam ſapientiam in Iudice requirit. *Pſal. 2. Erudimini, qui iudicatis terram. Eccleſiaſt. 10. Iudex ſapiens iudicabit populum*, Hinc quartò ex illa

ſen-

ſententia ſit, munus iudicandi non eſſe periculoſum, quod etiam eſt aperte falſum, & contra ſcripturam. *Sapient.6. Horrendè, & citò appareb.t vobis, quoniam iudicium duriſſimũ ijs, qui præſunt, fiet. Eccl.6. Noli quærere fieri Iudex.* Denique, quia illa ſententia viam aperit, vt Iudices muneribus corrumpantur, & pauperibus dimiſſis, potentibus faueant; atque omnia ſecundum affectum humanum diſponant pro amicis, conſanguineis, & potentibus. Iudex quippè ſeparabit homines, quibus iura minus fauent; gratitudinem oſtenſuros, ob rem litigioſam ſibi adiudicatam.

Dico tertiò. Hoc decreto comprehenduntur deciſiones interlocutoriæ Iudicis, in quibus agitur de præiudicio partis, ſiue in quibus litigatur de iure partium. Et ita ſi Titius habeat ius probabilius, vt concedatur ei terminus temporis, quem poſtulat, contradicente Sempronio, contra hoc decretum procedat Iudex negando ei talem terminum. Ita *Ioannes de Cardenas hìc diſſert.3.c.6.num.62.* alijque, contra *Hozes hìc num.5.* qui tamen admittit in Iudice circa tales actus obligationem ſequendi probabilius, & ex parte contra *Hurtadum De la Fuente diſſert.2.c.6.num.69.*

Probatur. Quia nullũ eſt verbum in hac damnatione, quæ illam limitet ad ſolam ſententiam potiſſimam cauſæ, vt clarè cõſtat ex illis verbis: *Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem* etiam minus probabilem. Atqui id verbum iudicare vniuerſaliſſimum eſt ad decidendum quamcumque litem, aut quemcumque litis articulum, ſuper quo eſt controuerſia partium, *Gloſſa in Clem.1.V.Sententias, de re iud.& Gloſſa in l.1.V noui iuris ff. Quod quiſque iuris, Abbas in c.cauſam matrimonij, num.6. de officio legati, Ludou. Gomez in c.2.§.ſtatuto à num.11.de conſtit.in 6.* Ergo &c. Facit vlterius, quod ſententia proprie talis dicitur illa, quæ continet Iudicis pronunciationem determinantem controuerſias litigãtium. Atqui hanc pronunciationem dicitur habere interlocutoria; licèt enim per eam Iudex non determinet cauſam principalem, determinat tamen alienam cauſam ſuper aliquos articulos eiuſdem cauſæ principalis: Ergo &c. Præterea hæc damnatio eo reſpicit, vt ſemper Iudex ſuffragetur iuri meliori, & probabiliori, & partis alterius: ſed in actibus interlocutorijs poteſt inueniri ius melius, & probabilius alterius partis: Ergo etiam in his debet intelligi hæc damnatio.

13 Dico quartò. Nomine Iudicis, veniunt Iudex ordinarius, & delegatus, imò & arbiter. Ita *Corella hìc num.23.* alijque.

Probatur: Omnes iſti verè ſunt Iudices, & vbi nomen Iudex indefinitè legitur, per illud ſpecies cuiuſque ſignificatur, *Gloſ.V. ſi à Iudicibus in Clem.1.* de appellat. Verbum enim *Iudex* in iure generale eſt, comprehendens omnes illos, qui in foro externo iudicandi, & cognoſcendi auctoritate, & poteſtate funguntur. Excluduntur verò, qui ſunt ſolum amicabiles compoſitores.

14 Dico quartò. Confeſſarius, in hoc decreto non continetur ſub verbo *Iudex.* Ita Doctores communiter.

Pro-

Probatur; quia licèt communiter à Doctoribus vocentur Judices ipſi Confeſſarij, & verè talis ſit quilibet eorum, cum ad modum iudicij officium ſuum exequantur; tamen quia Iudices ſunt fori animæ, propterea non veniunt ſub vocabulo *Iudex*, de quo agitur in hac ſecunda propoſitione reiecta: nam de ſolo Judice fori externi eſt intelligenda.

15 Hinc Confeſſarius poteſt abſoluere pœnitentem alias diſpoſitum iuxta ſententiam ipſius pœnitentis, dummodò ſit verè probabilis. Ita Doctores communiter; quidquid dicant *Gonetus*, & quidam alij. Jmo Confeſſarium poſſe abſoluere pœnitentem quoties pro illo ſteterit aliorum probatæ auctoritatis opinio, etiam ſi confeſſarius à principijs intrinſecis falſam iudicauerit, docent *Sotus in 4.d.18.q.2.ar.5.§.Vndè ad argumentum, Sancius d.41.ſelect.num.7.& 8.& d.44.num.35. Bonac.*& alij, quos ſequitur *Boſſius p.1.tit.1.§.22.num.*207.& cum *Candido*,& alijs *Machadus to.1. in diſcurſu practico de probabilitate opinionum, ar.6.& 7.*

16 An autem teneatur Confeſſarius eum abſoluere? Reſpondeo. Si opinio ſe tenet ex parte Confeſſarij, vt ſi ſit probabile V. g. ipſum poſſe denegare abſolutionem, non obligatur confeſſarius ſequi opinionem pœnitentis. *Card.de Lugo l.1.mor.dub.28. Tambur.l.3. methodi confeſſ.c.9. num.9.* alijque. Et hoc videtur ſatis rationabile. Quando opinio ſe tenet ex parte pœnitentis, ſi Confeſſarius ſiue proprius, ſiue delegatus incœpit audire confeſſionem tenetur ſequi opinionem probabilem pœnitentis, ſi alias confeſſor delegatus ſine proteſtatione non ſequendi opinionem pœnitentis illum incœpit audire. Hæc Doctrina quoad primam partem de proprio Sacerdote, eſt communis, & vera: quidquid velint *Fagnanus*, & *Gonetus*. Quoad ſecundam verò partem de delegato, licèt antiqui aliqui, inter quos *D. Antoninus 3.p.tit.17.§.1. & Sylu.V.Confeſſio* contrarium docuerint; hodie tamen communis, & vera ſententia idem de vtroque affirmat. Ita *Sotus, Nauar. Suarez, Sanchez, Diana, Franc.Bonæſpei, Gabr.à S.V.* & alij, quos citatos ſequitur *Franc.à Ieſu Maria de Pœnit.c.12.pu.3. num.44. Madernus tr.5.q.4.ar.13.nu.3. Boſſius* alios referens *l.c.num.225. Felix à Panormo, Sporer*, & alij. Et ratio eſt, quia in eo caſu pœnitens integre confeſſus eſt, & eſt rectè diſpoſitus. Ergo iniuriam illi facit Confeſſor, ſi illum non abſoluat. Vnde etiam Delegatus denegans iſti abſolutionem peccat mortaliter, quando confeſſio eſt de mortalibus; quia videtur grauis iniuria irrogari pœnitenti; secùs ſi ſit de venialibus; quia non videtur grauis iniuria. Jta *Thomas Sanchez l.c.num.24.Ioan.Sanchez d.33. num.54. Diana p.2.tr.13.reſ.11.*& ex *Suarez Card.de Lugo d.22.de Pœnit.ſect.2.num.48. Tambur.cit.c.9. §.1. num.3. & 4.* Contra *Salas, Vaſquez, Manteſinum, & Madernum* putantes eſſe veniale, etiam ſi confeſſio ſit de mortalibus. Dixi: *Si alias Confeſſor Delegatus ſine proteſtatione non ſequendi opinionem pœnitentis incœpit audire confeſſionem:* nam ſi hæc proteſtatio præceſſit, non eſt cur teneatur ſe opinioni pœnitentis conformare; cum pœnitens id onus ſibi

impo.

Digitized by Google

impoſuerit. Ita *Dicaſtillus l.10. num.554. Antonius à Sp.San.de Pœnit.d.18 ſect.5.num.1474. Card.de Lugo d.22.de Pœnit.ſect.7. num.28. Tambur.l.c.nu. 2. Renzi*, alijque. Et quando omiſit proteſtationem, tenetur Confeſſarius etiam delegatus ſe conformare opinioni pœnitentis, licèt ipſe falſam, & improbabilem exiſtimet, dummodo inter Doctores probatæ auctoritatis probabilis reputetur. Ita cum alijs *Sanchez l.1.ſum.c.9.num.30. Ioan.Sancius d.44.ſelect.num.31. & 35. Diana cit.reſ.11.*& cum *Henriquez, Baſſæo, Candido*, & alijs *Machadus to.1.diſp.pract.ar.6. Ouiedus*, & alii.

17 Hæc de Confeſſario vt Iudice; Confeſſarius verò vt Doctor, Paſtor, & Medicus Spiritualis pœnitentis in cõſilijs dandis de futuro, inter opiniones oppoſitas probabiles, debet ſemper illam conſulere, quæ vtilitati Spirituali Pœnitentis magis deſeruit, etiam contra ſuam propriam opinionem. Ita *Sporer tr.1.Proœm.c.1.ſect.3.num.48.* ſed de hoc pleniùs alibi.

18 Dicta de Iudice procedunt vbi cætera ſunt paria legaliter; ſecus in cauſis, aut perſonis, quas leges impares faciunt: *V*nde primò in negotijs, vbi leges poſtulant ſpecialiter, quod aliquid ſit in iure expreſſum, vt in irregularitate contingit; vel certum, aut manifeſtum de iure; tunc euidens eſt, meliorem eſſe conditionem negantis, quàm affirmantis, non tantum in caſu paritatis, verum etiam in caſu incertitudinis. Quare ad declarandum aliquem irregularem ex delicto, aut ex defectu, & inhabilem ad beneficia obtinenda, ſufficere non poteſt non ſolum opinio minùs probabiliter affirmans illam eſſe in iure expreſſam, verùm etiam probabilior; ſed ad hunc effectum excluſionis ſufficit opinio minus veroſimilis negatiua excluſionis. Quia expreſſum propriè, nihil dici valet, niſi quod eſt clarum, certum, & indubitatum; cuiuſmodi haudquaquam ſunt, quæ hinc inde probabiliter controuertuntur, & cum formidine, ac periculo errandi ab vtraque parte ſuſtinentur, vt benè *Suarez d.40.de cenſ.ſect.5.num.6.* his verbis: *Vt opinor, plus eſt eſſe aliquid in iure expreſſum, quam ſub controuerſia vtrinque probabili in iure contineri, quantumcumque probabilitas in partem affirmatiuam inclinet.* Secundò circa matrimonium iam contractum rectè docent Doctores, quos relatos ſequitur *Boſſius de conſcientia p.1. tit. 1.nu.*680. in fauorem eius eſſe iudicandum, non ſolum contra probabiliorem, ſed etiam contra communem, vt patet ex *c.licet.47.de teſtibus, & atteſtat.* Atque ad legitimitatem, tanquam cauſam valdè fauorabilem, & matrimonij appendicem, eumdem fauorem extendunt cum *Rota, Merlino*, & aliis *Boſſius num.679. Breſſerus l.4.de conſcientia, num.126.* Item ad dirimendam litem in fauorem Eccleſiæ, dotis, libertatis, teſtamenti, piarumque cauſarum, perſonarumque miſerabilium, vt viduæ, pupilli, aut orphani, id ipſum iura concedunt, pronunciantque multi ex Scriptoribus, quos *Boſſius* congeſſit loco antea citato. Tertiò etiam in quæſtione facti criminoſi Iudex debet ex iuſtitia, aut charitate, cum opinio minus veroſimilis fauet innocentiæ, ſecundùm eam iudicare, reumque abſoluere ſal-

I tem

Digitized by Google

tem à pœna ordinaria, eſto probabilius ſit, crimen fuiſſe perpetratum. Ita *Malderus de iuſt. & iur. tr.9.c.1.verſ.dico in ciuilibus, Salas eo tr.8.num. 1115. Baldellus 1.p. Theol.mor.p.4.d.15. num.9.& 10. Leſſius de iuſt. & iur. l.2.c.29.num.169. Villalobos in ſum.1.p. tr.1.diffic.13. num.4. & 14. Diana in addit. quæ habentur ſub finem p.3. reſ.13.* vbi etiam refert *Moure, Alphonſum de Leone,* & alios. Poſſe etiam Iudicem, etſi non debeat, in eo caſu iudicare pro reo, maximè cum fieri poteſt abſque graui accuſatoris detrimento, tenet *Salonius 2.2.qu.63. ar.4.col.1089. Fagundez l.8. in Decal.c.26.num.38. Diana* aliis relatis ea *reſ.13. Thomas Hurtadus 1.p reſol. moral. tr.3. c.6.d num.323.* pro excluſione obligationis pugnans ſatis ex profeſſo, & *n.35* concludens, id eſſe licitum, tametſi non debeatur. Et ratio colligitur ex *reg.192. ff.de reg. iur.* quæ de omnibus dubiis loquitur, & cum dubia pro obſcuris, & incertis frequenter accipiantur, ad ea quoque, quæ ſub opinione ſunt poſita, ampliandus eſt eius fauor, tàm in facto, quam in iure. Niſi fortè lex aliud diſponat, vt ſæpe facit in odium quorumdam criminum, aut in fauorem Fidei, vel Reipublicæ, vel Principis, quorum ſalus ſuprema lex eſſe debet, & cauſa fauorabilior. Videndus *Martinus del Rio l.5.diſq.magic.append.2.q.1.concluſ.2.* Et poſt hoc Decretum *Lumbier num.1731. & Eman.de Filguera §.immò*, affirmant in criminalibus poſſe, & debere Judicem ſequi opinionem minus probabilem, quando hæc eſt in fauorem rei, exiſtimantis hanc reſolutionem non opponi huic Decreto Innocentii.

19 An autem etiam pro eo, qui poſſidet, poſſit Judex ferre ſententiam ſecundum opinionem minus probabilem, quæſtio eſt hic reſoluenda. In qua *Filguera hìc §.ſi autem* docet, poſſe Iudicem ſequi opinionem minus probabilem in hoc caſu; quia ſemper eſt melior conditio poſſidentis. At melius *Ioannes de Cardenas hìc diſſert.3. c.5.num.39. & ſeq.* aſſerit, quod quando in iudicio verſatur articulus proprietatis ſine plena probatione poſſeſſionis legitimæ, poteſt, & debet Iudex rem decernere ſecundum opinionem probabiliorem de proprietate, & ſine attentione ad poſſeſſionem. Quia Iudex debet procedere iuxta allegata, & probata: Sed non eſt probata poſſeſſio legitima: Ergo Judex debet ius dicere eodem modo, ac ſi pro neutra parte eſſet poſſeſſio. Si verò vna pars probauerit plenè poſſeſſionem legitimam, & altera pars habeat ſolum proprietatem probabilem, aut probabiliorem, & vterque articulus verſetur in eo iudicio, non poteſt Judex ius dicere pro parte non poſſidente, quamuis habeat proprietatem probabiliorem, quia tunc Judex debet ius dicere ſecundum ſententiam certam; eſt enim certum, quod ille, qui plenè probauit poſſeſſionem legitimam, non poteſt ſpoliari propter opinionem probabilem de proprietate; adeoque implicat contradictionem, quod cum Petrus, E.g. habet ius certum retinendi rem ratione poſſeſſionis legitimæ, poſſit eſſe probabile, quod illam debet reſtituere Joanni ratione proprie-

tatis,

tatis, quæ probabiliter huic competit. Quia, ſi certum eſt, quod poteſt retinere rem, eſt certò falſum, quod non poteſt illam retinere; Ergo non poteſt eſſe probabile, quod debet reſtituere illam, ſiue, quod idem eſt, quod non poteſt illam retinere; cum implicet contradictionem, quod eadem propoſitio ſi certo falſa, & probabilis. Si autem Judex cenſuerit à principiis intrinſecis, proprietatem partis poſſidentis eſſe certam, poterit, & debebit ius dicere pro parte non poſſidente; quia contra proprietatem certam nulla præualet alterius poſſeſſio. Si denique in iudicio controuertatur vterque articulus poſſeſſionis, & proprietatis, & poſſeſſio ſit ſolum probabiliter legitima, tunc poteſt, & debet Judex ius dicere ſecundum opinionem probabiliorem de proprietate; nec tenetur ſtare præcisè poſſeſſioni. Ratio eſt, quia vbi poſſeſſio non eſt omnindò certa, & proprietas alterius eſt probabilis, Iudex debet perpendere rationes vtriuſque articuli, & ſtare pro iure probabiliori.

§. TERTIVS.

Quædam incidentia dubia reſoluuntur.

DVbitatur primò. An Judex poſſit ſuum iudicium alieno iudicio ſubijcere?

20 Reſpondeo. Si Judex ſit moraliter certus de probabilioritate ſuæ opinionis, non poteſt ſuum iudicium alieno iudicio ſubiicere; quia eſt moraliter certus de obligatione iudicandi. Si verò non ſit moraliter certus de probabilitate, ſed ſolum probabiliter patet eam probabiliorem, (vt ſæpè contingere ſolet) tunc poteſt alieno iudicio ſe conformare, cum enim non habeat certitudinem de ſua probabilitate, poteſt aliorum peritorum iudicium melius exiſtimare. Ita ex *Lumbier, Ioannes de Cardenas cit.diſſert.3.c.2.ar.2.nu.18.& 19. Felix à Panormo to.2. ex. Confeſſ.d.4. nu. 95.* aliiſque.

21 Dubitatur ſecundò. An iuxta hoc Decretum Judex ſequi debeat eam opinionem, quæ probabilior eſt ab intrinſeco, an quæ ab extrinſeco.

Reſpondeo. Si Judex inueniat pro ſua opinione in quam inclinat minorem probabilitatem extrinſecam, ſed ſolidiora, & efficaciora fundamenta, in tali caſu Judex debet potius gubernari probabilioritate intrinſeca, quam extrinſeca contraria; quia in tali caſu probabilioritas intrinſeca præualet. Ita *Ioannes de Cardenas cit.diſſert.3.d.2.art.1. Hurtadus De la Fuente cit. diſſert.2. c.2. num.13.* aliique. Hinc *Fagnanus in c. nè innitaris, num.279. de conſtit.* docet, quod licet Judex ſequens communem ſententiam poſthabita veriori excuſetur à pœna in foro externo, eo quod opinio

 nio

nio communis inducat errorem probabilem in foro externo, vt eſt *textus cum Gloſſa in cap. vn. de poſtulat. prælat. in 6.* tamen non excuſatur in foro conſcientiæ, vt ex mente Innocentii declarat *Bart. in leg. fin. Cod. de pœn. iudic. qui malè iud cant*; quia debuit eligere eam, quæ validioribus rationibus firmatur, *§. item pretium. Inſtit. de empt. & vend. & l. edicto, Cod. de edicto D. Adriani tollendo*. Reſpublica enim conſtituit Iudices ad lites dirimendas ſecundum quod melius videbitur, *l. qui dam exiſtimauerunt*, & ibi *Gloſſa finalis, ff. ſi certum petatur*. Aliud eſt de opinione vſu recepta; hanc enim ſequi debet Iudex. Ita *Arriaga tom. 3. Theol. d. 24. num. 40. Filguera hic §. circa*, & alii; hæc enim regulariter eſt probabilior. Etenim duplici modò poteſt intelligi, quod opinio ſit vſu recepta. Primò, quatenus praxi, & moribus Ciuium recepta eſt. Et hoc modo ſemper eſt probabilior, & quandoque omnino certa; nam conſuetudo præſcripta vim habet abrogandi legem, & vim interpretandi legem authenticè, imò & inducendi nouam obligationem. Cum ergo ius humanum his tribus modis cedat conſuetudini, ita in materia iuris humani non poteſt non præualere, & ad ferendum iudicium de praxi inducere certitudinem, vel probabilioritatem. Secundò modo poteſt intelligi, quod opinio ſit vſu recepta, quatenus licèt operatio ipſa non nitatur conſuetudine, in Tribunali tamen eſt conſuetudine receptum, quod feratur ſententia iuxta talem opinionem. Et eodem modo neceſſe eſt, quod talis opinio reputetur certa, vel probabilior; adeſt enim axioma inter Juriſprudentes vulgatum, quod opinio communis habenda eſt pro lege quatenus intelligentia legis humanæ pendet ab interpretatione omnium, aut ferè omnium ſapientum.

22 Dubitatur tertiò. An Iudex inferior debeat parere Superiori præcipienti, vt dicat ius ſecundum minus probabilem ſententiam.

Reſpondeo. Si Iudex inferior formet iudicium omninò certum, quo cenſeat ſuam opinionem eſſe probabiliorem; nec debet, nec poteſt obtemperare ſuperiori præcipienti, ferendo ſententiam ſecundum opinionem minus probabilem ſui ſuperioris, quia ſubditus & inferior non debet, nec poteſt parere Superiori in eo, in quo cernitur manifeſtè peccatum; vt hic cernitur; eſt enim ex hac deciſione Pontificis manifeſtè peccatum, Iudicem ferre ſententiam ſecundum opinionem minus probabilem. Si verò Iudex inferior cenſet cum formidine, & ſine certitudine, ſuam opinionem eſſe probabiliorem; Judex autem ſuperior cenſeat ſuam opinionem eſſe probabiliorem, tenetur ille obtemperare, & ferre ſententiam ſecundum opinionem ſuperioris; quia vbi non cernitur manifeſtè peccatum, tenetur ſubditus obedire ſuperiori, ſiue ſit in materia dubia, ſiue in materia probabili: ſed in hoc non cernitur manifeſtè peccatum. Ergo, &c. Ita *Ioannes de Cardenas hic c. 2. & 3. n. 21. & ſeqq.* aliique.

23 Dubitatur quartò. An condemnatio iſtius Propoſitionis compræ-

Digitized by Google

præhendat etiam Aduocatos, & Procuratores.

Reſponſio eſt negatiua: quia Aduocati, & Procuratores non definiunt cauſas, nec proferunt ſententiam. Atque opinio condemnata loquitur ſolum cum Iudicibus, qui proferunt ſententiam: Ergo non extenditur ad Procuratores, nec ad Aduocatos. Ita *Lumbier.obſeru.4. num.96. Torrecilla conſ.l.8.num.161. Corella num.25.* & alii dicentes, quod poſſunt Aduocati patrocinari ſequendo opinionem minus probabilem. Verum ſermo eſt de Aduocato ſecundum præciſum officium Aduocati: nam ſi Iudex non ſit litteratus, & Aduocatus faciat officium Aſſeſſoris, idem iudicandum erit de illo, ac de Iudice, vt notat *Ioan.à S.Thoma cit.d.12. ar.6.num.25.* Similiter Conſiliarii in conſiliis dandis tenentur ſequi, quantum fieri poteſt, ſententias certas, vel probabiliores; quia Conſiliarii in conſiliis publicis de neceſſitatibus Principis, vel Reipublicæ, V.g. dum conſultatur de Tributo aliquo imponendo ſitne vera neceſſitate iuſtum, nec ne, habent ſe per modum Iudicum inter Principem, vel Rempublica, & ſubditos tanquam partes litigantes, vt conſultiuum iudicium ferant. Ita *Vaſquez opuſc.de reſtit.c.6.§.3. Franc. Bardi diſcep.4.c.22.Sporer ſupra num.62.* & alii. Vt autem plena huius habeatur notitia.

24 Animaduerto, quod cauſa Clientis eſt iniuſta, quamuis *Caramuel in Theol.mor.l.3.num.*1470. cenſeat, quod ſi pars velit litigare, poſſit Aduocatus patrocinari quamuis videat actorem nullum ius in rem, quam petit, habere: hanc tamen ſententiam prorſus improbabilem exiſtimant communiter Doctores cum *D.Thoma 2.2. qu.71.ar.3. in corpore.* Iſte enim Aduocatus humano generi eſt pernicioſus, patriam, ſuoſque perdit, ac partium facultates exhaurit, & innumerorum malorum eſt cauſa. Itaque Aduocatus, qui cauſam iniuſtam ſcienter ſuſcipit, præbendo auxilium litiganti; ſiue vt litem vincat, ſiue vt cauſa ipſa differatur, ſiue vt faciat collitigantem concordare, & inire, putà, ex quibus graue damnum is patiatur, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem eius damni, quod contra iuſtitiam altera pars incurrit. Ita *S. Thomas* ſupra dicens manifeſtum: niſi ille, pro quo patrocinatus eſt, quique commodum ex victoria iniuſtè obtenta accipit, eam faciat. *Sayrus l.12.clauis c.25.num.14. Reginaldus l.2.num.671. Filliuc.tr.40.num.282.* & alii communiter cum *D. Antonino 2.p tit.1.c.19.§.vlt.* Et hoc verum eſt, non ſolum quando cauſa principalis iniuſta eſt, ſed etiam qnando habet aliquod caput iuſtum, ſi hoc caput aſſumat Aduocatus, vt ſic aduerſarium vexet, & eum in principali iuſto impediat, differat, aut peruertat; ſcienter enim hoc faciens peccat, & ad reſtitutionem tenetur; quia medium, & finis debet eſſe iuſtus. Ita *Caiet. V. Aduocatus, verſ. Primò, Sayrus, & Reginaldus locis relatis,* cum *Gloſſa, & Angelus apud Sayrum, Medina in ſumma cap.de Aduocatis, & Procuratoribus, Caſalichius l.1.reſ.mor.c.4.n.5.*

25 Nec ſolum tenetur principale, & expenſas parti aduerſæ, ob in-

iurio.

Digitized by Google

iurioſam actionem, & defenſionem iniquam, ſed etiam clienti ſuo expenſas reſtituere tenetur, ſi illum non admoneat de iniuſtitia cauſæ; quia ſuo mendacio, vel diſſimulatione pernicioſa patitur Cliens illud detrimentum. Sin autem illum admonuerit de iniuſtitia cauſæ, nihil illi reſtituere tenetur, *arg. reg. ſcienti de reg. iur. in* 6. Ita *S. Antoninus, Sayrus, & Filliuc. locis relatis Gabr. in 4. d. 12. q. 6. ar. 2. concluſ. 2. Angelus V. Aduocatus §. 14. Reginaldus l. 25. num. 672. Bannez 2. 2. q. 71. ar. 3. dub. 3.* & ibidem *Serra, Megalius V. Aduocatus num. 21. Madernus to. 2. tr. 5. q. 4. ar. 16. num. 2. Illſung. tr. 1. d. 1. ar. 7. §. 4. num. 8. Auguſtinus Lucenſis in ſua cautela l. 2. c. 2. nu. 9.* & alij.

Aurea ſunt verba *Auguſtini Epiſt. 54. Si iuſtitia ſinceriùs conſulatur, iuſtius dicitur Aduocato redde quod accepiſti, quando contra ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, fefelliſti, iuſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Et infra. *Quis tandem Aduocatus facilè reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat recipe quod mihi, cum tibi malè adeſſem, dediſti, & redde Aduerſario tuo, quod me agente inique abſtuliſti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectiſſimè pœnitet, etiam hoc facere debet; vt ſi ille, qui inique litigauit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, eius tamen iniquitatis nolit iſte habere mercedem; niſi fortè reſtituendũ eſt alienũ, quod per falſum clanculo aufertur, & reſtituendũ non eſt alienum, quod in ipſo foro, vbi peccata puniuntur, decepto Iudice, & circumuentis legibus, obtinetur.* Non tamen Aduocatus in caſu poſito tenetur reſtituere Fiſco pœnam pecuniariam, à qua ſuo iniquo patrocinio reum illum liberauit, & quam Fiſcus haberet, ſi reus victus, & condemnatus fuiſſet, ſicut nec teſtis falſus in eadem cauſa iniuſti tenetur eam pœnam pecuniariam reſtituere ante condemnationem; cum hoc ſit de ratione pœnæ, quatenus pœna eſt, vt non debeatur ante condemnationem. Ita *Salon. 2. 2. q. 71. ar. 3. contr. 1.* & ibidem *Bannez du. 3. concluſ. 3. Serra,* & alij: *Filliuc. num. 283. & Baſſæus V. Aduocatus num. 6.*

26 Hinc Aduocatus, qui eſt taliter diſpoſitus, vt quamcumque cauſam ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam defendere non vereatur; peccat per eam malam animi affectionem, ſi actualis ſit & aduertenter in eam conſentiatur: vt docent communiter cum *Ioanne à S. Thoma cit. d. 12. ar. 6. n. 22.* dicente tales Aduocatos eſſe in malo ſtatu, & ita indignos abſolutione, vt etiam docet *Auguſtinus Lucenſis ſupra num. 12.* Excuſatur tamen Aduocatus à peccato iniuſtitiæ, ſi adhibita diligenti examinatione cauſam iniuſtam defenderet, bona fide exiſtimans eſſe iuſtam; quia ignorantia illius non eſſet tunc culpabilis; ſicut contingeret eam eſſe, ſi debitam diligentiam in examinando non adhibuiſſet. Ita ex *Caietano, Angles, & Rodriquez, Filliuc. ſupra num. 284. Reginald. l. 25. num. 672.* item pari ratione dicens de cliente, qui bona fide putat ſe cauſam iuſtam habere; limitat tamen, vt procedat tantum cùm Aduocatus eſt vir doctus, eruditusue ſuffiecinter in ijs, quę ſecundum ſtatum ſuum ſcire tenetur. Nam nil eſt cur excuſetur ineruditus, quandoquidem in tali negotio mala fide procedit.

Digitized by Google

27 Quod ſi Aduocatus à principio exiſtimauit ſuum clientem iuſtam habere cauſam, & deinde in cauſæ proſecutione nouit eam eſſe iniuſtam, ſtatim ac cognoſcit ſe cauſam iniuſtam ſuſcepiſſe, tenetur eam deſerere, admonito Cliente de illius iniuſtitia, ac ſuaſo, vt liti cedat, vel cum Aduerſario componat, ſine damno eiuſdem, ac ſine dolo, & vi illata, aut metu incuſſo ad extorquendum illius conſenſum in compoſitionem: quandoquidem talibus rationibus agendi committitur iniuſtitia. De qua ſi Aduocatus Clientem ſuum non admonuit, prout potuit, & debuit, peccauit, & incurrit obligationem reſtituendi. Ita *Reginald.l.25.n.673. Rodriquez ſup. n.4. Valen. Madernus*, & alii cõmuniter cũ *D.Thoma 2.2.q.71. ar.3.ad 2.* & ibidem eius Interpretibus. Hinc non poteſt Aduocatus inducere litigantes ad compoſitionem faciendam, quando ſcit certum eſſe ius partis aduerſæ; poſſet tamen id facere, quando exiſtimaret ſuum Clientem non ceſſurum à lite, ſed vexaturum Aduerſarium: tunc enim poſſet Aduerſario ſoli conſulere compoſitionem, qua redimeret ſuam vexationem. Ita *Rodriquez ſupra, Card.de Lugo de iuſt. & iure d.91.num.6.*

28 Si Cliens habet tantum bonum ius in poſſeſſorio, & nullum in re ipſa: aliqui viri docti, inter quos affertur *Parladorus*, probabile putant, licere Aduocato patrocinari tali Clienti. At contrarium puto verum cum *Burgos de Pace ſupra num.258. Maderno ſupra nu.7. Boſſio*, & alijs. Ratio eſt, quia tunc Cliens tenetur in conſcientia abſque lite reddere proprietatem. Ergo etiam Aduocatus non poteſt patrocinari; quia hic tantum agit vires principalis; & cum principalis differendo ſolutionem peccet, ita & Aduocatus peccabit cooperando dilationi. Neque officit, quod Iudex poſſit tunc principalem conſeruare in poſſeſſione. Nã hoc facit tantum permiſſiuè, donec conſtet de proprietate; non ſic autem ſe habet Aduocatus, qui videtur cooperari poſitiuè ex parte Clientis, inſtruendo illum, & docendo modum, quo poſſet Aduerſarium iniuſtè vexare: ad quod faciendum non videtur habere poſſe bonam fidem excuſantem; ſicut poteſt Iudex habere ad permittendum. Diſparitas eſt etiam de meretrice; quia hæc habet libertatem exercendi meretricium, & id exercendo nulli infert iniuriam: & ideo licitum eſt Judici, & Aduocato ſuam libertatem tueri; licèt ipſa peccet petendo hoc à Iudice; at illi ad hoc permiſſiuè tantum concurrant.

29 Si cauſa Clientuli eſt magis probabilis, poteſt abſque dubio eam defendere. At non poteſt Iudicem pecunia inducere ad pronunciandum pro eo: & pecuniam tributam repetere non poteſt; quoniam in propria cauſa nemo iuſtus eſt Iudex, & de facili decipi poteſt: imò eſtò, quod pro certo ſciret probabiliorem, immò certam habere cauſam, adhuc tamen peccat mortaliter; quia Iudicem corrumpit. Jta ex *Soto Duardus in c.omnis vtriuſque ſexus §.3.to.2.d.19.ſect.2 nu.18.* Quod quidem limito cum eodem, & *Alloza V. Aduocatus ſect.4.num.5.* non procedere vbi Iudex eſſet aliàs iniuſtè iudicaturus; quoniam hoc caſu dans pecuniam Iudici, vt iuſtam ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiam ferat, non dicitur illum corrumpere, ſed potiùs propriam vexationem redimere. Vnde cum turpitudo ſit ex parte Iudicis tantum, poteſt ſaltem in foro conſcientiæ elargitam pecuniam repetere. *Graſſius p.1.deciſ. aur.l.2.c.15.num.3.& 4.* Aduocatus etiam non debet decipere Clientem ſuum, certius ei promittendo ſententiã, quã debeat, ſed fideliter ante incœptionẽ cauſæ tenetur ei aperire veritatẽ rei, vti eſt. *Auguſtinus Lucenſis vbi ſup.n.11. Madernus citato art.16.n.15. Duardus cit.ſect.2.n.8. Caſalicbius d.l.1. c.4.num.9. Reiffenſtuel theol.mor.tr.1.diſp.3.q.4.nu.64.* & alij. Vnde ſi Clientulum decepit; ſuadens cauſam eſſe certam, qui alias non litigaſſet, teneretur ei reſtituere. *Syluester V. Aduocatus q.10. Caſalicbius, & Lucenſis locis relatis.*

30 Si cauſa eſt anceps, ſeù æquè dubia, vel probabilis tã pro vna parte, quàm pro alia, ſiue hoc dubiũ oriatur ex facto, ſiue ex iure, poteſt Aduocatus pro qua maluerit parte patrocinari, ſiue cauſa ſit ciuilis, ſiue criminalis, ſiue agatur de re notabili, vel de maiori parte bonorũ, aut etiã de omnibus bonis. Et ratio huius eſt, quia ſi in caſu, in quo in æquilibrio dubitatio pendet, non liceret Aduocato patrocinari; ferè nunquam liceret; cum lites ferè ſemper ex hoc ſumat initium, & pendeant ex hoc quod cauſæ aut in iure, aut in facto in dubio verſantur, vt rectè obſeruat *Sotus l.5. de iuſtit. q.8.ar.3.* Tum quia munus Aduocati non eſt dare ſententiam, aut definire tradendo vni, quod petit, & ab alio auferendo, ſed ſuum officium eſt ſincerè proponere fundamentum iuris, & facti, & rationes, quæ cauſæ ſui Clientuli facere poſſunt, vt Iudex ea videat, & poſtea ſententiam proferat; quare accidere poteſt, vt illud, quod Aduocato videtur tantum probabile, Iudici videatur probabiliſſimum, & ſecundum eam opinionem ſententiam proferat, vnde ſicuti poteſt quilibet ex litigantibus ſua fundamenta proponere, ita & Aduocatus. Ita *Sotus citatus, Nauar.in man.c.25.num. 28. Tolctus l.5. Inſtruct c.60. Leſſius de iuſt.& iure l.2.c.31.dub.9. Card.de Lugo cit.d.41.num.7. Arriaga d.24. num.26. Boſſius* alios referens de conſcientia *p.1.l.1.num.783.& ſeq. Madernus cit.ar.16.num.1. Serra 2.2.q.71.ar.3.quæſt.1. Baſſæus V. Aduocatus nu.6. Megali eodem V.nu.22. Patritius Sporer theol.mor. to.1.tr.1.c.1.ſect.3.num.65. Reiffenſtuel, Lucenſis,* & alij. Debet tamen admonere Clientem de dubietate ſuæ cauſæ: Si ergo cliens ſuus id edoctus voluerit; poteſt ſuſcipere, & proſequi cauſam vſque ad finem. Ita cum alijs *Duardus cit.ſect.2.num.7. Reiffenſtuel, Lucenſis*; & alij. Non tamen placet quod aliqui abſque diſtinctione, & explicatione docent, Aduocatum poſſe in cauſa dubia (ſi dubium eſt negatiuum) patrocinari. Sic *Malderus, Lorca, & Merolla*; quos affert *Diana p.2.tr.13.reſ.6.& p.4.tr.3.reſ.47.* Sed debet diſtingui cum *Card.de Lugo loco cit.* nam ſi dubium ſit ſtantibus meritis cauſæ, pro qua debeat ſententia proferri, vnicuique fas eſt ſua merita proponere; ſi verò perpenſis omnibus allegatis, & quæ allegari poſſunt, certum ſit, debere ſententiam pro reo proferri, quia cauſa manet dubia,

& reus

& reus in dubio debet abſolui; tunc non licet Aduocato fauere actori in cauſa criminali; quia tunc non tuetur cauſam dubiam, ſed certò iniuſtam: Accuſator enim videns ſe non poſſe probare, contra reum, iniuſtè accuſat, vt omnes fatentur: Ergo Aduocatus iniuſtę accuſationi aſſiſtit. Et ita etiam docet *Ioánnes Salas 1.2.tr.8.d.vn.ſect.11. num.*108. Quod idem procedere in cauſa ciuili, docent *Card.de Lugo, & Madernus locis relatis. Ioannes à S. Thoma cit.ar.6.nu.*32. Actor enim ſciens, ſe nón poſſe probare contra poſſeſſorem, ſed rem manere dubiam, iniuſtè agit, & eum vexat: cum in dubio melior ſit cauſa poſſeſſoris: Ergo Aduocatus ſciens ſe nihil pro Actore poſſe allegare, quo eius intentio probetur, ſed rem ſemper debere manere dubiam, atque adeo Iudicem debere iudicare pro reo, non poteſt iuſtè iuuare actorem petentem ſententiam iniuſtam, & tenetur ad damna partis contrariæ. Imò & ad expenſas, quas ſuus cliens facit, ſi de hoc non monuit eum.

31 Si denique cauſa ſui Clientis èſt minùs probabilis: vel cauſa ipſius ferè nihil habet probabilitatis, vt vix ſit moraliter ſpes in eo obtinendi, eo quod apud Iudices ſemper, aut ferè ſemper reiiciatur, & tunc reus iniuſtitiæ, ac ſubinde reſtitutionis obnoxius eſſet Cauſidicus illam tuens. Ita *Salonius, & Salas*, quos refert, & ſequitur *Sanchez l.1.ſum.c.9.nu.*54.*Card. de Lugo ſupra nu.8. Megala V. Aduocatus num.*23. *Diana p.9.tr.8.reſ.62. Madernus loco cit.* aliique; quia illa cauſa communiter non æſtimaretur probabilis. Difficultas tota eſt quando cauſa vtriuſque eſt probabilis, alterius tamen probabilior, an poſſit Aduocatus defendere minùs probabilem, quæ tamen recepta ſit interdum apud Iudices? In qua tres adſunt ſententiæ. Prima docet, teneri Aduocatum patrocinando ſequi opinionem probabiliorem, & peccare defendendo minùs probabilem, ita vt teneatur reſarcire damna, tum parti læſæ, pro qua conſulit, tum parti, contra quam conſulit. Sic *Nau.in.man.25.num.28.Fagnanus in cit.c.ne innitaris num.383. Angelus V.opinio, Lucenſis ſupra n.10. Reginaldus*, & alij. Citatur etiam pro hac ſententia *Arriaga ſupra num.*28. qui aſſerit licitum quidem eſſe vtrique tam parti, quàm Aduocato inchoare agere ſuam cauſam, etiam ſi ab initio iudicent eſſe minus probabilem; quia fortè continget, vt ponderatis omnibus rationibus deprehendatur poſtea probabilior; tamen ſi certò cognoſceret, alienam eſſe probabiliorem, nec videat, vnde poſſit propria apparere poſtea vel probabilior, vel certè æquè probabilis, debeant ij deſiſtere ab ea cauſa; quia tunc directè agerent, vt illa iniuſtè decideretur: quod proculdubio illicitum eſt: agerent enim, vt eam cum minori iure obtinerent, quod nequit facere Iudex. Secunda ſententia diſtinguendo docet, quod ſi agatur de cauſa parui momenti, poteſt Aduocatus patrocinari etiam parti Actoris minus probabili. Si autem agatur de cauſa criminali, & graui, vtpote quia in ipſa agitur de amiſſione vitæ, vel honoris, vel amiſſione omnium bonorum, non poteſt Aduocatus patrocinari parti

Digitized by Google

Actoris minùs probabili. Ita *Sotus l. 5. de iuſt. q. 8. ar. 3. Sylvius 2. 2. q. 71. ar. 3. Leſſius l. 2. c. 31. dubit. 9. Malderus 1. 2. q. 19. ar. 5. diſp. 86. aſſert. 8. Martinez 1. 2. to. 1. q. 19. ar. 6. dub. 6. concluſ. 3. Ioannes De la Crux in direct. conſcientiæ p. 1. præcepto 8. ar. 5. dub. 1. concluſ. 2. Toletus, Salas, Graffiis,* alijque. Tertia denique ſententia aſſerit, licitum eſſe Aduocato defendere quamlibet cauſam probabilem, quamuis contraria ſit probabilior, idque patrocinando tam Actori, quàm Reo. Sic *Vaſquez 1. 2. q. 64. c. 1. Salas cit. tr. 8. d. vn. ſect. 11. nu. 103. & ſeq. Sanchez cit. c. 9. num. 63. Card. de Lugo ſupra nu. 8. Franciſcus de Lugo de Principijs theol. mor. p. 1. c. 3. q. 9. num. 75. Turrianus 1. 2. to. 2. q. 71. ar. 3. Lorca 1. 2. to. 1. d. 39. memb. 2. Madernus cit. ar. 16. num. 5. Boſſius ſupra nu. 775. Azorius, Sayrus,* & alij, quos citatos ſequitur *Baſſæus V. Aduocatus, num. 6. Serra 2. 2. q. 71. ar. 3. quæſ. 2. Hurtadus, Præpoſitus, Caſtropalaus,* & alij plures, quos refert, & ſequitur *Diana p. 2. tr. 13. reſ. 4. & p. 9. tr. 8. reſ. 62. Megala V. Aduocatus n. 22.* Hęc ſententia communiter probatur, quia Officium Aduocati non eſt rem definire, tradendo vni, quod petitur, & ab altero auferendo; ſed ſuum officium eſt ſincerè proponere fundamenta iuris, & facti, & rationes, quæ cauſæ ſui Clientis facere poſſunt, vt Iudex ea videat, & poſtea ſententiam ferat. Quare ſicut poteſt quilibet ex litigantibus ſua fundamenta proponere; ita & Aduocatus; cum in hoc ſit veluti Vicarius litigantis. Et forſan Iudex probabiliorem eſſe cenſebit ſententiam, quam Aduocatus minus probabilem exiſtimat. Nec Aduocatus in cauſa, cuius iuſtitia minùs probabilis eſt, petit à Iudice, vt ſententiam ferat iuxta opinionem minus probabilem, ſed tantum proponit ea, quæ ſuo Clienti fauent, vt ſi probabiliora videantur quam alia, quæ in alius partis fauorem adducuntur, vel ex alio capite ſunt ſufficientia, vt ex vi illorum poſſit Iudex in fauorem Clientis ſententiam ferre, eam pronunciet. Neque diſtinctio illa de cauſa parui momenti, & ciuili, vel magni momenti & criminali, quam adducit ſecunda ſententia habet fundamentum in re; nam ſi Reus habet ius in cauſis grauioribus, habebit etiam in omnibus, cum lex vniuerſaliter dicat, fauendum eſſe Reo in æquali cauſa. Vnde ad ſummum poteſt limitari hoc, vt notant *Filliuc. tr. 40. c. 10. num. 285. Madernus num. 5.* & alij, quando Reo imminet graue damnum, Actori autem cauſam vincere parum intereſt: in hoc enim caſu non ex iuſtitia, ſed ex charitate videtur Aduocatus teneri non agere contra Reum: quod & cenſet etiam *Sporer ſupra num. 64.*

32 Hāc tertiā ſententiā amplectuntur poſt hoc Decretū etiā *Felix à Pan. cit. d. 4. n. 97. Reiffenſt. cit. q. 4. n. 63.* & alij. Verū tria obſeruanda ſunt. Primò: non poſſunt Aduocati ſine culpa, defendendo partem probabilem contra probabiliorem vti fallacijs, iura fideliter non referendo, atque ideo Iudicem decipiendo, & faciendo vt Aduerſarius cauſam perdat, vel ei graue damnum inferatur: vnde non ſolum peccat contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, dum eorum fallacijs Iudicem inducunt ad iudicandum

con-

Digitized by Google

contra opinionem probabiliorem. *Sayrus l.1.Theſauri c.11.num.20. Duardus cit.ſect.2.num.9.* alijque. Vnde ait *Sotus ſupra citatus*, quod vix abſque periculo poſſit infirmior cauſa defendi, ac debilior, quia ſimilium cauſarum defenſio non caret periculo adulterandi leges. Secundò Aduocatus debet huius minoris probabilitatis ſuum Clientem monere, alias peccat mortaliter, cum onere reſtituendi damna ſuo Clienti obuenientia. *Præpoſitus 1.2.q.19.ar.6.dub.5.§.1. Caſalichius l.1.c.4. nu.1. Reiffenſtuel num.64. & Diana cit.reſ.62.* qui hinc putat, quod populares Aduocati fędè labuntur, & in mortale peccatum incidunt, etiam defendendo opinionem probabilem; quia non declarant Partibus opinionem Aduerſariorum eſſe probabiliorem, ſed ferè ſemper certè victoriam illis ſpondent. Tertiò nequit Aduocatus proferre ius ſui Clientis vt certum, ſi ſolùm eſt probabile, ſi ſit Aduocatus celebris, cuius dicto ſtare Iudicem timeatur, indeque non trituraturum probabilitatem vtriuſque partis, *Mendo in epitome V. Aduocatus n.3. & Ioannes à S. Thoma ſup.n.32.* loquendo de ſtylo, & conſuetudine Aduocatorũ, & Partium, quatenus communiter Partes litigantes, & earum Aduocati multa petunt, & multa maiora conantur, quam ſibi debentur, ait, *Plerumque iſta fieri cauſa exaggerationis, quia communiter ſciunt Iudices ſic cauſam diſcuſſuros, vt illa, quæ exceſſiuè petuntur, aut conſuluntur, daturi non ſint, & ideo cum exaggeratione multa petuntur, vt ſaltem fiat, quod moderatum eſt. Et quia iam hoc poſitum eſt in conſuetudine, & Iudices ſic intelligunt illa pati, nec propterea mouentur ad concedendum, ſed ſolum quod iuſtum appareet, ideo in talibus non inuenitur ſcrupulus, ſed ſtatur conſuetudini. Si tamen Aduocatus vellet ſimilia ſic proponere, & patrocinari; vt non quaſi per exaggerationem dicta, ſed vt ſimpliciter, & obtinenda conſuleret, peccaret, ſi ei patrocinaretur ſciens eſſe iniuſta, aut ſic dubia, vel minus probabilia, vt Iudex licitè non poſſet pro ea parte ſententiam ferre; ſic enim neque poſſet conſulere, & vt obtineret cooperari, & patrocinari.*

33 Obijcies. Princeps ad hoc, vt inferat bellum alteri, non ſufficit, ſi habeat cauſam tantùm probabilem, ſi alius habeat probabiliorem: Ergo nec Aduocatus poteſt patrocinari cauſæ minùs probabili contra probabiliorem.

Reſponderi poteſt negando conſequentiam, & aſſignando diſparitatem: quæ videtur manifeſta; quia illatio belli eſt ſententiæ executio: patrocinatio autem cauſæ eſt tantùm propoſitio motiuorum, & rationum, quæ poſſunt mouere Iudicem ad ſententiam ferendam: quare poteſt Aduocatus, ſicut quilibet principalis ſua proponere motiua; & non poteſt Princeps bellum mouere; quia hoc ſupponit ſententiam iam latam; hæc autem non ſupponitur lata, niſi pro eo, cuius ius eſt magis probabile, & contra eum, qui ius minus probabile habet.

PROPOSITIO III.

Generatim dum probabilitate ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quamtumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

1 Hæc propoſitio excerpta eſt ex *Tamburino*, qui *l.1. Decal. c.3. §. 3.num.3.* hæc habet: *Dum probabilitate ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca quamtumuis tenui, iuxta Paſqualigum dec.20. Breſſerum, & Franciſcum de Amico apud Bardi l.c.c.13. modò à probabilitatis finibus non exeatur, vt explicabitur mox num.11. in fine, confiſi, aliquid agimus |, ſemper prudenter agimus.*

Doleo me non poſſe acquieſcere excuſationi *Hurtadi De la Fuente*, *Pauli Segneri*, & aliorum, qui cenſent, hanc propoſitionem proſcriptam non eſſe *Tamburini* ex eo, quod in verbis relatis ipſius deſit aduerbium generatim. At illud *ſemper* facit ſubintelligi. In fine autem *num.11.* hæc habet: *donec ab alia euidenti ratione in vnam ſolam partem impellatur intellectus, tendere in vtramque partem poterit. Atque hæc ratio allatam doctrinam probat, etiamſi altera pars ſit probabilior; modò maior probabilitas alterius dictæ partis non ſit tanta, vt deyciat à probabilitate illam oppoſitam, quia tunc, expulſa iam probabilitate, non eſt mirum, ſi inclinari ad aſſentiendum illi oppoſitæ nequeat prudenter intellectus.* Itaque omnem probabilitatem tenuem admittit pro regula operationis, dummodò ſit probabilitas (vt vocat ipſe) practica, quæ attendit poſſeſſionem, pacta, neceſſitatem proximi. Cæterum etiam iſtis modificationibus adhibitis illa propoſitio de tenui probabilitate (excepto caſu neceſſitatis, vt ſupra *in comment. ad propoſ. præcedentem*) debuit reprobari: numquam enim (excepto caſu neceſſitatis) quis vti poteſt probabilitate tenui, nec ea confiſus prudenter vnquam agit. Sed iſte Auctor, cæteroqui doctiſſimus, incœpit errare a notione ipſa opinionis probabilis, vt mox oſtendetur.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Opinio quid ſit, & quotuplex?*

3 *Opinio probabilis alia dicitur probabilis probabilitate intrinſeca, alia extrinſeca. Communis quæ ſequenda?*

4 *Quotuplex ſit opinio probabilis, que probabilior, & quæ tutior?*

5 *Opi-*

Digitized by Google

5 *Opinio ſpeculatiuè probabilis talis eſt etiam practicè?*

6 *Quæ eſt opinio tenuiter probabilis, an ei æquiualeat probabiliter probabilis?*

§. II

7 *Qui probabilitate tenui, ſiue intrinſeca ſiue extrinſeca confiſus aliquid agit, peccaminoſè agit, ſaltem extra caſum neceſſitatis: & contrarium vt ſcandaloſum abigitur.*

8 *Qui tenui probabilitate innititur, prudens non eſt, ſed in proximo periculo lapſus.*

9 *Si liceret generatim operari iuxta tenuem probabilitatem, ſequeretur poſſe omnes ſine peccandi timore pro libito viuere. Et quidem etiam in ijs, quæ ſunt intrinſecè peccaminoſa.*

10 *Operari iuxtà tenuem probabilitatem eſt operari contra prudentiam abſque veri indagatione.*

11 *Non agitur prudenter, quoties agitur cum non ſatis probabilitatis.*

12 *Tenuis probabilitas non eſt vera, nec abſolutè probabilitas.*

13 *Qui ſe fidit fundamento tenui, audacter, temerariè, ac imprudenter agit.*

14 *Semper temerè agit qui cum modica ſeù tenui ratione ardua aggreditur.*

15 *Sicut tenuis occaſio non ſufficit, vt quis prudenter lucrum faciat, ita tenuis ratio, vt prudenter agat.*

16 *In caſu neceſſitatis licitum eſt vti opinione tenuiter probabili.*

17 *Damnatæ manent hoc decreto pro praxi opiniones, quæ non ſunt certò probabiles, ſed ſolum probabiliter probabiles.*

18 *Opinio probabiliter probabilis æquiparatur tenuiter probabili, ſeù dubiæ probabilitatis.*

19 *Damnationi huius propoſitionis non ſubijcitur ſententia communis docens; poſſe deduci ad praxim opinionem probabilem, relicta probabiliori, exceptis quibuſdam caſibus.*

20 *Ex eo, quod vna opinio ſit minus probabilis, quam oppoſita, non infertur, quod illa ſit tenuiter probabilis.*

21 *Oſtenditur oppoſitum vt falſum ex hocmet decreto Innocentij.*

22 *Si Sacra Congregatio voluiſſet damnare aſſertum de opinione minus probabili admittenda ad praxim, damnaſſet per ſuos terminos formales, & non per circumloquium de tenuiter probabili.*

23 *Valdè differunt verè probabile, licèt minùs probabile, & tenuiter probabile.*

§. III.

24 *Ex duobus opinionibus æquè probabilibus, quælibet per ſe loquendo ſequi poteſt, licet per accidens ratione ſcandali non liceat.*

25 *Licitum eſt ſequi opinionem magis, aut æquè probabilem, quamuis ſit minus tuta.*

26 *Si quærere deberemus opiniones magis tutas, ceſſarent humana commercia.*

27 *Cum*

Digitized by Google

27 *Cum iudicium eſt indifferens, liberum eſt voluntati ſequi partem, quam voluerit.*

28 *Vtrum liceat ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliori tutiori?*

29 *Refertur communiter ſententia affirmatiua.*

30 *Poteſt quis ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, ac tutiori, quando controuerſia verſatur circa honeſtatem actuum, & obligationem: niſi aliud exigat natura actus, & materia, in qua eſt controuerſia.*

31 *Suadetur aſſertio ex* c.laudabilem, de frigidis, & maleficiatis.

32 *Subditus tenetur obedire ſuperiori præcipienti rem probabiliter licitam, licèt præceptum ſuperioris non reddat licita, quæ ex ſe illicita eſſent.*

33 *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter, & cum ratione operatur.*

34 *Etiam in opinione minùs probabili, & tuta reperitur obiectum rectæ rationi conforme.*

35 *Maior probabilitas, & ſecuritas, quæ in oppoſita ſententia reperitur, non deſtruit probabilitatem, & ſecuritatem, quæ in alia opinione inuenitur.*

36 *Reſpondetur ad Doctrinam* Pagnani, Gonetí, *& aliorum aduerſariorum.*

37 *Licitum eſt eligere id, quod eſt minùs bonum, & minùs perfectum, relicto meliori, & perfectiori.*

38 *Prudentia ex Ariſtotele eſt habitus cum recta ratione actiuus circa ea, quæ bona, & mala homini ſunt.*

39 *Natura non eſt defectuoſa, ſi faciat bonum, & non melius.*

40 *Tam in opinone probabili, quam minùs probabili reperitur formido.*

41 *Qui ſequitur ſententiam minùs probabilem habet etiam iudicium practicum reflexum certificans conſcientiam de rectitudine, & bonitate morali ſuæ operationis.*

42 *Operans per iudicium reflexum ex opinione minus probabili, iudicat abſolutè bonam ſuam operationem.*

43 *Opinio docens poſſe nos ſequi ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori & tutiori, eſt probabilior.*

44 *Negandum eſt, regulatum vſum probabilitatum ſolum in vltimis ſæculis inualuiſſe.*

45 *Lex illa eligendi probabiliorem, ſolum viros doctiſſimos in re morali ligare poſſet.*

46 *Noſtra ſententia magis conformatur legi humanæ: ac diuinæ.*

47 *Onus eſſet intolerabile, ſi ſemper inueſtigare teneremur opinionem probabiliorem.*

48 *Regula illa:* In dubio melior eſt conditio poſſidentis, *habet locum non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed etiam in alijs.*

49 *Quoties dubium eſt, an impoſitum ſit præceptum naturale, diuinum, vel humanum in aliqua re, eo non obligatur dubitans.*

50 *Coniux dubitans de valore matrimonij poteſt poſt adhibitam diligentiam debitum*

tum petere, ratione poſſeſſionis ſuæ libertatis.

51 Fagnanus *oſtendit ſe non rectè calluiſſe banc doctrinam*

52 Fagnanus *docet, multas ſequi ineptias, & abſurditates ex noſtra doctrina: At eius fundamentum eſt fictitium.*

53 *Quando controuerſia verſatur circa valorem actus, aliud regulariter eſt dicendum.*

54 *Quando Medicus poteſt applicare infirmo medicamentum certum, non poteſt illud relinquere, & applicare probabile. Deficiente certo, tenetur adhibere illud, quod probabilius iudicat profuturum.*

55 *Si ſit deſperatus de ſalute ægrotus, licitum eſt applicare illi aliquod remedium, de quo ſpes aliqua adſit, quod ſit profuturum, etiam ſi probabiliter è contrario timeretur nociturum. Secus ſi ſalus non ſit deſperata.*

56 *Si in concilio Medicorum quis exiſtimaret aliquod medicamentum allaturum mortem, alio Medico contrarium putante, non poteſt illud applicare, niſi conuincatur rationibus contrariæ ſententiæ.*

57 *Sunt aliqui caſus, qui exigunt ſaltem maiorem probabilitatem.*

§. *IV.*

58 *Quæ ex Scriptura, & Patribus afferunt* Fagnanus, *& alij, ſi quid, probarent, nec ſententiam probabiliſſimam poſſe nos ſequi, quod decreto Alexander VIII. proſternitur.*

59 *Probabilis in concurſu probabilioris, vel æquè probabilis, non reddit omninò intellectum dubium; & textibus* Fagnani *facilis eſt reſponſio.*

60 *Cum quis iudicat vtramque opinionem aduerſam eſſe æqualiter probabilem, ſi vnius ſolutis rationibus, aſſentiatur alteri, falſum eſt, quod iudicat vtramque non magis apparere veram, quam falſam.*

61 *Non implicat, eumdem intellectum, poſſe iudicare per principia intrinſeca, duas opiniones contrarias eſſe æquè probabiles; vel vnam probabilem, alteram probabiliorem; & oſtenditur eſſe ſententiam communem cum* D. Thoma, Scoto, *imò* D. Auguſtino, *ratioque manifeſta conuincit.*

62 *Intellectus licèt ſit potentia neceſſaria, tamen cum electio ſit libera, & voluntaria, applicatur ad eliciendam vnam, & non alteram ex æquè probabilibus.*

63 *Paritas inter ſtaterram, & intellectum quando currat, & quare in præſenti non procedat? Explicatur locus Philoſophi, & oſtenditur,* D. Thomam *ſtare pro noſtra ſententia.*

64 *Via probabilitatis eſt ex vijs, quibus peruenitur ad ſalutem, & oſtenditur ex ſcriptura.*

65 *Qui ſequitur opinionem probabilem eſtò minus tutam, non ſe exponit periculo peccandi, niſi tantùm materialiter.*

66 *Formaliter loquendo, & quoad imputabilitatem, omnes opiniones veræ, & non tenuis, ac dubiæ probabilitatis ſunt æquè tutæ, & per accidens benignores poſſunt eſſe tutiores.*

67 *Cur*

67 *Cur imprudenter agit, qui ſe exponit periculo incidendi in latrones probabiliori, &c. & non qui ſequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori?*

68 *Oſtenditur, locum* D. Chryſoſtomi hom. 44. in Matthæum *non eſſe ad rem. Et explicatur, num tutus ſit in conſcientia is, qui propoſitum habet plures Doctores conſulendi, quouſque inueniat reſpondentem iuxta deſiderium ſuum.*

69 *Oſtenditur, non oppugnare noſtram ſententiam dictum illud:* Prudentiores ſæculi ſemper eligunt meliora, & tutiora.

70 *Non eſt contra prudentiam non ſequi quod prudentius apparet.*

71 *Etiam in concurſu probabilioris probabilis eſt regula vera prudentiæ, niſi alia ſit longè probabilior.*

72 *Aperitur noſtram ſententiam non inuiti ſophiſmate.*

73 *Explicantur canones, qui videntur decernere, præualere ſententiam probabiliorem pro praxi.*

74 *Locus* D. Auguſtini *procedit tantum in quæſtione facti.*

75 *Quæ affert* Fagnanus *vt abſurda de Iudice, & alijs, non militant contra noſtram ſententiam. Et quid in principe indicente bellum ex opinione probabili?*

§. V.

76 *Ad rectè operandum neceſſe eſt, & ſufficit iudicium practicum moraliter certum.*

77 *Quando hæc certitudo moralis habetur, & ex quo?*

78 *Num is, qui probabilius reputat, non licere opinionem minùs probabilem ſequi; adhuc poſſit noſtram ſententiam ad praxim deducere?*

79 *An poſſimus etiam in morte opinionem probabilem amplecti?*

80 *Num in vita, vel ſaltem in morte quis teneatur confiteri peccatum, quod probabili opinione credit eſſe mortale?*

81 *An regula tradita a Doctoribus:* Non poteſt quis ſatisfacere debito certo per ſatisfactionem probabilem, *ſit indiſtinctè vera?*

82 *Viro docto, à quo illiteratus conſilium petit, licitum ne ſit conſilium præbere contra ſuam ſententiam, ſequendo alienam, quam minùs probabilem eſſe exiſtimat?*

83 *Num vir doctus in publico docere poſſit opiniones probabiles, prætermiſſis probabilioribus?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Quod opinio (iuxta *S. Bernardum l. 5. de conſiderat. ad Eugenium,* & communem acceptionem) eſt aſſenſus

ſus veriſimilis. Triplex aſſignatur, nempè probabilis, non probabilis, & poſitiuè improbabilis. *Tamburinus cit. §.3. num.* 1. definit opinionem probabilem, quod ſit *Aſſenſus intellectus de aliqua re, qui nitatur ratione, vel auctoritate alicuius momenti, modo pro parte oppoſita nihil appareat conuincens, quamuis adſit nonnulla eiuſdem partis oppoſitæ formido*. Iam vides vnde incœpit error propoſitionis proſcriptæ: ſi enim probabilis eſt omnis opinio, quæ nititur ratione, vel auctoritate alicuius momenti, ſola ergo excluditur à probabilitate, quæ nullius momenti ratione, aut auctoritate nititur, ſeù nulla nititur: vnde tenuiter probabilis, ex hoc præcisè quod ſit talis, non excluditur. Et quia probabile, & prudens ſunt ſynonyma, ideò intulit, *dum probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Vt ergo tam perniciosa propoſitio non inferatur, aſſignanda eſt vera definitio opinionis probabilis ex *Ioanne de Cardenas p.3. criſis Theolog.tr.1. de probabilitate opinionum d.55. num.1. Ioanne Caramuele; Verde*, & alijs: Opinio probabilis *eſt aſſenſus veriſimilis, incertus, innixus fundamento firmo, & graui.* Conſonat *Felix à Panormo to.2. d.4. num.*60. dicens, quod ſit *Iudicium graui ratione, vel auctoritate munitum*. Et *Anacletus Reiffenſtuel Theol. mor.tr.1.diſt.3. qu.4. num.*38. dicens: *Conſcientia probabilis, quæ etiam opinatiua dicitur, eſt iudicium practicum intellectus, quo quis ex graui, licèt non penitùs certo fundamento, aſſentit, & adhæret vni parti determinatè, ſed cum formidine de oppoſito.* Et *num.*40. ait, quod *conſcientia probabilis ſequatur ad opinionem probabilem, ſicut aſſenſus concluſionis ad aſſenſum præmiſſarum*. Opinionem autem probabilem *num.*4. definit eſſe illam, quę graui nititur fundamento, licèt non penitus certo, ſimulque nullam habet contra ſe rationem couincentem; ſi enim ratio euidenter ſoluitur, tenuis eſt, & opinionem probabilem non conſtituit. *Segneri in opuſc. poſthumo de probabili par.2.num.*27. Hinc idem *Ioanne de Cardenas hìc diſſert.* 4.c.3. benè duo permittit; primum, cum dicitur *tenuis probabilitatis*, illud epithetum *TENVIS*, eſſe additum diminuens taliter, quod opinio tenuiter probabilis non poteſt dici abſolutè probabilis, aut verè probabilis: ſicut cum quis dicitur habere tenuem prudentiam, non dicitur verè, & abſolutè eſſe vir prudens, imò defectus prudentiæ in eo notatur, & cum quis dicitur habere tenuem ſcientiam, non poteſt abſolutè dici eſſe vir doctus, & cum dicimus aliquem eſſe tenuiter miſericordem erga pauperes, magnum defectum miſericordiæ in eo notamus. Secundum: Hi duo termini, *tenuis probabilitas* important contradictionem, aut contrarietatem inter ſe. Nam vera probabilitas eſt, quę nititur fundamento graui, & impellente intellectum ad aſſenſum; ſed tenuitas, quoàd probabilitatem dicit leuitatem fundamenti: atque adeò poſtulat fundamentum non eſſe graue: Ergo hi duo termini *probabilitas*, & *tenuis* opponuntur

modo dicto. Opinio non probabilis eſt *aſſenſus, qui licet videatur veriſimilis, incertus eſt, & nititur fundamento leui, aut ſophiſtico, aut æquiuoco.* Et quia iudicium temerarium eſt, quod nititur fundamento leui, vel nullo, omnis opinio non probabilis, eſt temeraria. Opinio poſitiuè improbabilis eſt *aſſenſus, qui licet videatur veriſimilis, eſt tamen certò falſus.*

3 Notandum eſt ſecundò: graue fundamentum, cui opinio probabilis innititur, duplex eſſe poſſe, intrinſecum videlicet, atque ex ipſa rei natura, effectibus, & circumſtantijs ipſius deſumptum: & extrinſecum, nempe ex magna Doctorum eam tenentium auctoritate depromptum. Hinc dupliciter poterit opinio quædam operanti eſſe probabilis, ſcilicet vel probabililate intrinſeca, vel probabilitate extrinſeca? *Opinio probabilis probabilitate intrinſeca* dicitur illa, cuius probabilitas habetur ex ratione, ideſt exprincipijs intrinſecis talis propoſitionis, qualia ſunt cauſæ, vel effectus ipſius, aut definitio, vel circumſtantiæ, aut quid ſimile; prout fusè dixi in *Lapide-Lydio-Theologico comment. ad Propoſ.* 27. Opinionis verè probabilis conditiones, & ſigna potiſſimā traduntur à *Patritio Sporer cit. tr.* 1. *c.* 1. *ſect.* 3. *aſſert.* 7. *§.* 1. *num.* 37. his verbis: *Si ſit conformis, vel non diſſona* 1. *Iuri diuino innato, Scripto, tradito, ob rationem datam.* 2. *Sacræ Scripturæ. Nam, quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et omnis ſcriptura legem diuinam aut ſignificat, aut declarat, aut exemplis demonſtrat.* 3. *Actionibus Chriſti humanis Ordinarijs: Quia ipſe eſt via, veritas, & vita.* 4. *Senſui Eccleſiæ, & Conciliorum. Ipſa enim eſt columna veritatis.* 5. *Doctrinæ SS. Patrum: Qui ſicut ſplendor firmamenti ad iuſtitiam erudiunt multos.* 6. *Doctrinæ Theologorum in Eccleſia communiter authoritatem ſortitæ. Opinio probabilis probabilitate extrinſeca* cenſetur ea, quæ habetur ab auctoritate, ideſt à grauitate, atque prudentia Doctorum tenentium; non tamen ex ſola auctoritate extrinſeca, abſque vlla ſaltem præſumpta probabilitate intrinſeca: auctoritas enim quorumlibet Doctorum ſe ſola formaliter non fundat opinionem, ſed ſolum vel concomitanter, vel præſumptiuè, vt cum *Marchant. Caſpenſi*, & alijs communiter docet citatus *Sporer. §.* 2. *num.* 38. Ratio fundamentalis eſt, quia nulla opinio poteſt cenſeri verè probabilis, niſi appareat conformis, vel non repugnans rectæ rationi, vel legi, præſertim diuinæ: ſed ex ſola auctoritate Doctorum quorumlibet formaliter non apparet conformitas vlla opinionis ad rectam rationem, vel legem, niſi hæc aliunde ſciatur, vel ſupponitur: Ergo ſola auctoritas quorumlibet Doctorum non fundat verè probabilem; *formaliter*; ſed ſolum vel *concumitanter* ſimul cum rationibus ab ipſis allatis, quas quis examinauit, atque probabiles, ſeu rationi rectæ, vel legi conformes eſſe iudicauerit; auctoritas enim Doctorum adiuncta rationi multam habet energiam ad firmandam opinionem, & conſcientiam probabilem: vel *præſumptiuè*;

quia,

quia, cum de veritate, vel falſitate non conſtat, ipſa auctoritas Doctorum facit præſumptionem pro probabilitate: quia præſumere debemus tot graues auctores non eſſe hallucinatos, ſed rationes melius penetraſſe, quam nos capiamus. Atque hac ratione, *præſump iuè* nimirum, *Ariſtoteles* definiuit 1. *Topic.1. Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel ſpectatiſſimis*. Porrò, Opinio communis, iuxtà dicenda tutò in praxi ſequenda, cenſeri debet, non quæ à pluribus ſolo numero, ſed quæ a probationibus numero competenti, arbitrio boni viri ex profeſſo defenditur. Vt ſi ſex, vel ſeptem Doctores graues aliquam opinionem ex inſtituto docent. *Nau.c.27. num.286. Sanchez l.1. moral.c.9.* alijque apud *Bardi diſcept.4.c.3.* Imò quinque ſufficere ait *Filliuc.tr.21. ca.4.num.141.* Vnde quando duæ oppoſitæ opiniones à probatis, & Claſſicis Auctoribus defenduntur numero competenti, ita vt quælibet habeat ſex, vel ſeptem Patronos graues, tunc vtraque opinio rectè dicetur communis. Pauciores quinque, vel quatuor (præſertim vnus, aut alter tantum) contra communem aliorum ſententiam, per ſe loquendo, & ratione ſolius auctoritatis ſuæ, non reddunt opinionem probabilem *præſumptiuè*. Quia leue cenſeri debet fundamentum auctoritas vnius, vel alterius, quando communis aliorum conſenſus eſt in contrarium. Ita ex communi *Layman cap.5. §.2. num.6.* Vide dicta *in cit. comment. ad Propoſ.27.*

4 Notandum eſt tertiò. Quoniam fundamentum illud, quo innititur opinio probabilis, poteſt eſſe maius, & minus, ſeu magis, minuſue graue; hinc ſequi inter opiniones probabiles dari latitudinem; ſicut enim ſanitas non eſt eadem in omni corpore, *Philoſopho* 1. *Ethic. c.3.* afferente, *Sanitatis non eſt eadem commenſuratio in omnibus*; ita opinionum alia eſt probabilior, quæ videlicet firmiori fulcitur fundamento, efficacioribuſque firmatur rationibus; alia minus probabilis, quæ licet habeat fundamentum ad probabilitatem ſufficiens, non tamen tam firmum, vt altera opinio: nec tamen deſinit eſſe probabilis; ſicut enim homo minus doctus altero, adhuc doctus eſt, ſic opinio; quod enim ſit minus probabilis ſolum efficitur, quod non habeat vim tam fortem ad trahendum ad ſe intellectum intelligentium, vt habet opinio probabilior; ſed non officit; habet enim ſufficientem. Tutior autem opinio dicitur ea, in qua minus periculum peccandi materialiter reperitur, & poteſt benè accidere, quod opinio aliqua ſit tutior, non tamen probabalior, imò minus probabilis. Exemplificat *Geruaſius Briſacenſis to.3. Theol.tr.1.de act.hum.d.3.q.3.ar.6.num.102.* primò in ſententia *D.Bonau.in 4.d.17.par.2.q.2.* docentis, lapſum in peccatum mortale, teneri ſtatim ſub præcepto ad confeſſionem, habita copia Confeſſarij: hæc enim indubie tutior eſt, licèt communiter habeatur minus probabi-

lis poſt *D. Thomam in eundem locum q. 1. ar. 3.* Secundò in opinione docente circumſtantias aggrauantes eſſe neceſſariò in confeſſione aperiendas: quæ licèt ſit tutior, tamen contraria communis habetur probabilior.

5 Notandum eſt quartò, atque memoria recolendum, quod ex profeſſo docui in *Lapide Lydio Theol. Proleg. 3. §. 1.* nempè opinionem ſpeculatiuè verè probabilem, talem eſſe etiam practicè; nam probabilitas practica effectus eſt ſpeculatiuæ. Ideo aliquis benè vel malè operatur, quod ſpeculatiuè licitum, vel illicitum exiſtimauit. Nequit homo ſecundùm probabilem ſpeculatiuam operari niſi eo iudicio vtatur ad dirigendam operationem: non poteſt autem tale iudicium applicare, niſi id ſe poſſe applicare ſecundum conſcientiam iudicet, talem & applicationem rectæ rationi conformem eſſe. Hinc naſcitur probabilitas practica, quæ ſpeculatiuam ad opus dirigit. *Sancius d. 44. Paſqual. dec. 362.* alijque: vnde non ſunt audiendi quidam, qui nomine tenuis probabilitatis hoc decreto confixæ, intelligunt probabilitatem ſpeculatiuam: probabilitas enim ſpeculatiua, ſi vera probabilitas eſt, tenuis non eſt, vt patet ex iam dictis.

6 Notandum eſt quintò. Quod opinio tenuiter probabilis eſt illa, quæ quamuis habeat probabilitatem apparentem, plures tamen viri ſapientes dubitant de eius probabilitate; vel de cuius probabilitate meritò dubitatur. Ita *Ioanne de Cardenas ſupra c. 5. Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 1. diſt. 3. q. 4. §. num. 46. Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 93.* & aliis. Sic enim diſtinguitur à verè probabili; & quidem hæc generat dubium practicum, in quo tutior pars eligenda eſt. Cum tenuiter probabili coincidit probabiliter probabilis. *Lumbier hìc num. 1737. Segneri. cit. opuſc. par. 1. num. 8. Corella hìc num. 26. Filguera*, & alijs contra *Ioannem de Cardenas hìc diſſer. 4. c. 2. n. 17.* & alios. Ratio eſt, quia opinio probabiliter probabilis non gaudet ea probabilitate, quæ à Doctoribus non reuocatur in dubium; ſic enim eſſet certa probabilitas; ſi ergo reuocatur in dubium, opinio dicenda eſt tenuis, & dubiæ probabilitatis. Et quidem opinio probabiliter probabilis neceſſariò generat dubium practicum circa operationem eliciendam: nec dubium practicum deponitur, niſi ex ratione aut auctoritate graui, quæ eſt certò probabilis. Si ergo certò probabilis non eſt, nec grauis indubiè eſt; dubiæ igitur erit ſicque tenuis probabilitatis. Solet hoc probari ex eo, quod Gulilemo Epiſcopo Pariſienſi apparuit quidam Cancellarius Pariſienſis affirmans, ſe in æternum damnatum ex tribus cauſis; quarum vna erat, vt ipſe dixit: *Contra ſententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum, quaſi licitè tenendorum, opinionem propriam defenſaui; & in hoc me periculo mortalis culpæ commiſi.* Sed prius ante mortem ſuaſerat ei prædictus Epiſcopus, vt vnum beneficium retinens, reliqua renunciaret, reſponderatque Cancellarius: *Experiar, an ſit damnabilis opinio de retentione plurium beneficiorum.* Ex quo colligit Lumbier, Cancellarium

for-

formidaſſe de probabilitate opinionis, atque adeo expoſuiſſe ſe periculo peccandi; ſicut ſe exponit quilibet alius tenui probabilitate confiſus operans. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

7 Dico primò. Qui probabilitate tenui, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca confiſus aliquid agit, imprudenter, & peccaminosè agit, ſaltem extra caſum neceſſitatis. Et contraria propoſitio ſaltem vt ſcandaloſa hoc decreto abigitur.

8 Probatur primò *Prudens dicitur, quaſi porrò videns; perſpicax enim eſt, & incertorum videt caſus,* ait *Iſidorus l.10. Etym.c.15.* ſed quisquis tenui probabilitate in moralibus innititur, oſtendit ſe porrò non videre, nec perſpicaciter preuidere rei incertæ caſum; cum in tenui probabilitate ſit potius proximum periculum lapſus, quàm certitudo non labendi: & tamen tale periculum non videtur; imò iudicatur non adeſſe ab agente confiſo tenui probabilitate: Ergo ſic agens generatim, imprudenter agit; & conſequenter falſum ac ſcandaloſum docet hæc tertia propoſitio.

9 Probatur ſecundò. Si liceret generatim operari iuxta quamcumque probabilitatem quantumuis tenuem, ſequeretur poſſe omnes ſine peccandi timore pro libito viuere: ſed hoc nec prudenter, nec iuxta veritatem poteſt affirmari: Ergo falſum eſt licere generatim operari iuxta probabilitatem quantumuis tenuem. Minor, & conſequentia non indigent probatione. Maior autem ſuadetur. Nam tenuis probabilitas, cùm conſiſtat in aliqua ratiuncula, aliqua apparenti paritate, &c. poterit de facili in omni materia efformari; Ergo ſi liceret generatim operari iuxta quãcumq; probabilitatem, quãtumuis tenuem, ſequeretur, poſſe omnes ſine peccãdi timore, pro libito viuere, dũmodo aliquali ducantur ratione. Et quidem etiam in ijs, quæ ſunt intrinſecè peccaminoſa poſſent hęc interuenire: poſſet enim quis dicere, Puella per metum violata nullo modo peccat, ſicut nec peccat ille, qui per metum iniuſtum grauem non ieiunat, carnes comedit, &c. Sanè benè aſſerere potuit *Cardinalis Bona lib. de doctrina vitæ Chriſtianæ §. 46.* Theologos non paucos in hac materia adeò exorbitaſſe, vt omnia facerent licita, quia omnia fecere probabilia, tenui ſcilicet probabilitate. *Et tot iam ſunt* (vt loquitur idem Cardinalis) *de humanis actibus opiniones, vt verè liceat quidquid libet. Sed quàm vereor, ne id, quod multis probabile videtur, falſum omninò in extremo iudicio inueniatur.* Hinc Alexander VII. anno 1655. in Capitulo generali Dominicanorum proteſtatus eſt, *Tadere ſe nouarum opinionum materiam, quibus diſciplina Euangelica reſolui-*

tur,

Digitized by Google

tur, *&c.* Et in eius, Innocentij XI. ac Alexandri VIII. decretis damnatæ ſunt plurimę propoſitiones , quarum multæ & maior pars earum erant ante damnationem tenuiter probabiles , vt patet, & patebit , quia leui motiuo innixæ : aliquæ tamen erant apertè improbabiles ; quia manifeſte diſcrepantes à Sacris litteris , Conciliorum , Pontificumque Decretis , Sanctorum Patrum ac Theologorum placitis , vt conſtat & conſtabit ex impugnatione earum : Aliquæ tamen erant probabiles , & poſt damnationem factæ ſunt improbabiles. Quomodo autem hoc euenit ſatis fuse docui in *Lapide Lydio-Theol. Proleg. 3. §. 2.*

10 Probatur tertiò. Operari iuxta tenuem probabilitatem eſt operari contra prudentiam : Ergo non prudenter agimus, dum quoties confiſi aliqua probabilitate , quantumuis tenui agimus. Probatur antecedens auctoritate *D. Ambroſij l. 1. de officijs c. 24.* vbi ait : *Prudentia in veri inueſtigatione verſatur ; & ſcientiæ plenoris infundit cupiditatem*, vt notauit *D. Thomas q. 47. ar. 2. ad. 2.* Sed qui operatur contentus tenui probabilitate, non verſatur in veri inueſtigatione , nec agit cum cupiditate plenioris ſcientiæ , dum ſiſtit in eadem tenuí probabilitate : Ergo Prudentia in iſto non eſt , ac per conſequens neque prudenter cum tali probabilitatis tenuitate agit.

11 Probatur quarto. Toties non agitur prudenter, quoties agitur cum non ſatis probabilitatis vt de ſe patet, & à nemine negatur : ſed agere cum probabilitate tenui eſt agere cum non ſatis probabilitatis : Ergo non eſt generatim verum, nos ſemper prudenter agere, quoties agimus cum tenui probabilitatè, minor, in qua eſt difficultas, ſuadetur . Nam probabilitas tenuis idem eſt ac parum probabile : ſed *parum* ſignificat *non ſatis* per *Ciceronem 2. de natura Deorum, & 1. Tuſcul. & Attic. lib. 10. & Plaut. Rud.* vt notat *Barboſa dictionum vſufreq. dict. 246. num. 2.* Ergo probabilitas tenuis eſt, probabilitas non ſatis, quæ in moralibus non liberat à peccato, nec aliquis poteſt eam ſequi. Additur , quod parum & nihil inter ſe æquiparantur , vt conſtat ex *l. quamuis ff. de condit. & demonſtr. &c. coram dilecto 34. de off. deleg.* & tradunt *Hippolythus ſing. 276. Tiraquellus in tr. de iudic. in rebus exiguis verſ. 8.* & alij.

12 Probatur quintò ratione ſuprà inſinuata. Non licèt operari ſine vera probabilitate : ſed tenuis probabilitas non eſt vera , nec abſolutè probabilitas : Ergo &c. Minor patet ; quia illud epithetum *tenuis* eſt additum diminuens taliter , quod opinio tenuiter probabilis non poteſt dici abſolutè , aut vere probabilis ; ſicut cum quis dicitur habere tenuem prudentiam , non dicitur verè & abſolutè eſſe vir prudens , &c. Quod ſi velis ſumere veram probabilitatem, hi duo termini *tenuis probabilitas* important contradictionem, aut contrarietatem inter ſe.

13 Probatur ſextò. Agere audacter eſt operari imprudenter : ſed quis operatur audacter, quando ſe ipſum fidit fundamento, rationi, probabilitati tantummodo tenui : Ergo imprudenter operatur. Maior eſt

certa

Digitized by Google

certa: nam audacia eſt vitium oppoſitum fortitudini, & eſt idem ac temeritas, vt optime notat *Leſſius de iuſt. & iure l. 3. c. 1. dub. 6. n. 61. & 65.* & cū vitijs sẽper reperitur imprudentia, ſicut cum virtutibus reperitur prudẽtia, veluti menſura, & regula omnium virtutum. Minor oſtenditur. Nam audacia, ſeu temeritas conſiſtit in aggrediendo aliquid, quod non conuenit, vel quando non conuenit, vel quomodo non conuenit: Tum ergo hæc verificentur, dum quis vult vitam ſuam ſpiritualem vel temporalem fidere fundamento tenui, ideò iſte dicatur audacter ac temerariè agere, & conſequenter non niſi cum imprudentia aget ſicque falſum concluditur aſſertum per iſtam tertiam propoſitionem.

14 Confirmatur primò. Nam ſemper temerè agit, qui cum modica, ſeu tenui ratione ardua aggrediur: quapropter iſte communiter dicitur agere cum præcipitatione: ſed nihil tam arduum eſt, quàm id, quod ſpectat ad æternum periculum. Ergo nec magis temere ac cum præcipitatione dicetur quis agere, quam dum cum quamtumuis tenui probabilitate aliquid agit in moralibus cum periculo labendi in peccatum. Hinc quia temerias, & præcipitatio ſunt partes imprudentiæ, vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 53. ar. 2.* ſtatuta remanet falſitas huius tertiæ propoſitionis volentis, generatim nos prudenter agere, dum agimus confiſi probabilitate, quantumuis tenui.

15 Confirmatur ſecundò. Nam *Stobæus ſerm. 4.* dici: *Imprudentibus, ſicut infantibus, vtcumque leuis occaſio ſatis eſt ad luctum*. Si ergo leuis occaſio, ſeu, ſi tenuis occaſio vtcumque leuis, & tenuis ſit, non ſufficit, vt prudenter quis luctum faciat; quin potiùs imprudenter ex tali occaſione tenui lugere, ſequitur apertè, & conuincenter à pari, quod tenuis ratio, ſeu probabilitas generatim non ſufficit ad prudenter agendum, ſed imprudenter aget, ſicque modo audaci, cæco, & ſpontanei infortunii effectiuo per imprudentiam aget, iuxta Menandri dictum.

Imprudentia nihil quidquam eſt audacius.
Imprudentia hominibus ſpontaneum eſt infortunium.
Res mihi cæca videtur imprudentia.

16 Addidi in aſſertione, *ſaltem extra caſum neceſſitatis*; quia vt etiam in *comment. ad 1. Prop.* dixi, in extrema, aut grauiſſima neceſſitate, ſeu in caſu vrgentis neceſſitatis licitum eſt vti opinione tenuiter probabili, nec hæc propoſitio ſubit damnationẽ huius Decreti Innocentij XI. Ita *Filguera hic*, vbi etiam *Corella num. 28. Ioannes de Cardenas diſſert. 4. c. 7. à num. 49. Torrecilla tr. 8. concl. 2. n. 67.* & alii citantes *Nauarrum in c. inter verba in 2. cit. Corell. 53. n. 135. Sotum de ſecreto memb. 3. q. 2. concl. 3. Sanchez l. 2. de matr. d. 36. num. 8. & l. 1. ſummæ c. 9. num. 25.* quia plerumque iſta neceſſitas grauiſſima affert rationem ſpecialem pro augenda probabilitate intrinſeca opinionis, ità vt licèt rationes opinionis alioqui ſint tenues, ipſa grauiſſima neceſ-

ceſſitas augeat tunc probabilitatem earum ; vnde ſi rigoroſè loqui velimus, tunc probabilitas non eſt leuis, ſed quæ alioqui eſſet leuis, tunc eſt grauis: & ſic tunc non affert dubium practicum, ſed aufert : vnde non mirum, quod eas ſequi tunc poſſumus. Huius doctrinæ iuuat repetere exépla in *comment.ad 1.Prop.adducta.* Primum affert *Ioannes de Cardenas*: Baptizare infantem in materia dubia, puta in lixiuio, aut in iuſculo, extra caſum neceſſitatis eſt graue piaculum : ſi ergo infans ſit in articulo mortis, neque adſit materia certa, ipſa neceſſitas tanti ponderis eſt, vt illud reddat licitum, vt docent Doctores communiter cum *D.Thoma.* Secundum affertur à *Corella*, & alijs. Nam poteſt dari abſolutio moribundo, qui in abſentia Confeſſarii dedit ſigna doloris. Poteſt etiam dari abſolutio, ſub conditione moribundo, qui Chriſtiane vixerit, quamuis nullum ſignum doloris oſtenderit, vt docent Homobonus in *exam. Eccleſ.p.1.tr.7.c.18.qu.* 84. referens ex aliis, hoc placitum amplexum fuiſſe Clementum VIII. Pontificem Maximum, ac prudentiſſimum virum, reſpectu cuiuſdam è fabrica *D.Petri præcipitis: Molfſius in ſum.to.1.tr.7.c.5. num.48. & ſeq.* referens pro ea *P. Gabrielem Loſterium Theatinum, & P.Salmeronem Ieſuitam, ac P.Lupum Capuccinum, Antonius de Litteratis in ſumma p.1. c.35. num.7. Caramuel, Verde, Renzi,* & alii, approbauitque Gregorius XV. dum erat Archiepiſcopus *Bononienſi in man.confeſſ.c.1.de forma Sacramenti Pænitentiæ num.16.* dicens, Confeſſarium non ſolum poſſe, ſed etiam debere abſoluere; quamuis contra dicant *Henriquez, Fay, Malderus, Layman, Turrianus Vaſquez,* & alii. Tertium deſumit *Ioannes de Cardenas* è multis actionibus, quæ afferunt irreuerentiam rebus Sacris, à quibus tamen, ſi grauis accedat neceſſitas, hæc aufert irreuerentiam. Nam currere per Templum eſt irreuerentia, ſi quis autem currat fugiens taurum, vel leonem ingreſſum in templum, neceſſitas ipſa aufert irreuerentiam. Magna eſt etiam irreuerentia, quod homo non ieiunus accipiat Euchariſtiam ; ſi verò intrarent Eccleſiam Hæretici cum periculo conculcandę, Euchariſtiæ, neceſſitas efficeret, ne illa eſſet irreuerentia, quod homo non ieiunus conſumeret Euchariſtiam, ſi alius non inueniretur ieiunus, vt docent Theologi. Quartum proponit *Thomas Sanchez l.2. de matr. loco cit.* Afferit enim eſſe parum probabilem opinionem eorum qui dicunt, quod ſi contracto matrimonio, vnus coniux aduertit impedimentum dirimens, poteſt (obtenta diſpenſatione) reualidari matrimonium, quamuis alter coniux ſit inſcius impedimenti, & tamen afferit, illud re ipſa poſſe reualidari, ad normam eius opinionis, ſcilicet inſcio impedimenti altero coniuge, ſi vrgeat grauiſſima neceſſitas, qualis eſſet, ſi ante contractum matrimonium fœmina illicite copulata fuiſſet cum fratre ſui viri, neque inueniri poſſet modus, quo ſine manifeſtatione proprij delicti poſſet declarare impedimentum dirimens ſuo viro, ſed eſſet periculum magni ſcandali. Ratio autem quare magna illa neceſſitas tacendi impedimentum, &

impoſſibilitas illud declarandi faciat, quod poſſit deduci ad praxim ea opinio parum probabilis, quæ verſatur circa valorem, & aliàs eſt minus tuta, hæc eſt: Tum quia impoſſibilitas moralis adeo vrgens efficit quod non poſſit eligi ad praxim opinio tutior, atque adeo, quod non verificatur, eligi opinionem probabilem circa valorem, relicta tutiori, propter dicta præſertim in *citato Comment.* tum etiam, quia cum matrimonium ſit materia fauorabilis ex iure Eccleſiaſtico, videtur Eccleſia velle in tali impoſſibilitate morali fauere matrimonio, vt reualidetur eo modo, quo non ſequantur ſcandala adeo grauia. Vnde hæc regula traditur: Tunc licitum eſt in grauiſſima neceſſitate vti opinione alioqui tenuiter probabili, quando ipſa neceſſitas affert ab intrinſeco pondus rationis, vi cuius opinio pro illo caſu neceſſitatis fiat abſolute probabilis, vt in caſibus ſupra numeratis: & propterea ſupponenda eſt tenuis probabilitas in opinione. Vnde moribundo in caſu extremæ neceſſitatis non poteſt conferri in abſentia abſolutio ſub conditione: nam Clemens VIII. ſententiam contrariam in nullo caſu eſſe probabilem claris verbis declarat, & ſic nec tenuem probabilitatem ei relinquit. Similiter quia communiter Doctores habent pro improbabili ſententiam docentem, quod ſi vnus proferret formam baptiſmi, & alius ablueret, valeret baptiſmus: nec in extrema neceſſitate ſi mutus eſſet abluens, & proferens formam eſſet mancus, ſcilicet carens manibus, admittunt poſſe fieri taliter baptiſmum. Quoniam verò *Ioannes Pontius in curſu Theol. d. 42. q. 5. concl. 4. num. 20.* reputat non omninò improbabilem illam ſententiam, ſed tenuiter probabilem, ſi abluens abluat de mandato proferentis formam, ideò admittit poſſe ſic baptizari in extrema neceſſitate.

17 Dico ſecundò: Damnatæ manent hoc decreto pro praxi opiniones, quæ non ſunt certo probabiles, ſed dumtaxat probabiliter probabiles. Ita *Lumbier hîc d. num. 1737. Corella num. 26. Filguera, Segneri, Hurtadus De la Fuente,* & alij, contra *Ioannem de Cardenas ſupra c. 3. Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 1. diſt. 3. q. 4. §. 1.* aliosque.

18 Probatur; quia opinio probabiliter probabilis æquiparatur tenuiter probabili, ſeù dubiæ probabilitatis, vt ſupra oſtenſum eſt; & ipſemet *Ioannes de Cardenas p. 3. criſis theol. d. 56. c. 9. ar. 3. nu. 599.* enumerans motiua, quæ ſunt ad dubitandum rationabiliter de probabilitate opinionis, hæc habet verba: *Primò dubito de probabilitate opinionis, quando Auctor, qui illam docet, non eſt omni exceptione maior; & ratio, qua nititur opinio, mihi non ſatiſfacit, nec videtur omnino firma. Secundò, cum Auctor vnus, vel alter ſingularem docet opinionem; nec dat rationem, qua nititur. Tertiò, cum vnus, vel alter ſingularem docet opinionem; & plures alij dicunt, vel eſſe improbabilem, vel malè audere apud Theologos, vel illam non eſſe audiendam, vel eſſe reijciendam. Quartò, quando datur principium certum, & dubitatur, an ei repugnet opinio, nec proponatur ratio ſufficienter firma ad deponendum dubium,*

Quintò, cum dubitatur, an ratio concluſionis ſit leuis, an grauis & firma: Tunc enim non eſt ſufficiens ad deponendum dubium. Ita ibi: qui d.55. num.4. referens exceptiones, quæ contra auctoritatem Doctoris opponi poſſunt, dixit eſſe quatuor. *Prima, quod doceat aliquid contra principium certum: Secunda, quod opinetur ex fundamento leui, ſophiſtico, vel æquiuoco. Tertia, quod varia improbabilia docuerit. Quarta quod doceat opinionem, ſine diſcuſſione rationum hinc inde pugnantium: quam exceptionem patiuntur meri, Summiſtæ, aut meri Compilatores*. Conſonat *Felix à Panormo* ſupra dicens, quod opinio tenuiter probabilis, *Primò eſt opinio, quam vnus, vel alter docet, & non habet rationem intrinſecam; vel ſi habet, non eſt firma, ſed leuis. Secundò ſi vnus, vel alter eam docet, quamplures autem Doctores claſſi i eam parum tutam, aut non audiendam aſſerant. Tertiò ſi per tranſitum vnus vel alter eam aſſerat, ſine ſufficienti examine, præſertim, ſi alius, qui ex profeſſo de ea agit firma ratione oppoſitum teneat. In his namque & ſimilibus caſibus, cum talis opinio ſit leuiter probabilis, & ad ſummum dubiæ probabilitatis non licet ei prudenter adhærere, ſed eligenda eſt pars tutior iuxtà regulam dubij*. Ex quibus habes, ſententiam tenuiter probabilem, & probabiliter probabilem inter ſe confundi.

19 Dico Tertio. Damnationi huius propoſitionis non ſubijcitur ſententia communis docens, poſſe deduci ad praxim opinionem probabilem, relicta probabiliori, exceptis quibuſdam caſibus, Ita *Ioannes de Cardenas hic diſſert.4.c.1. Bernardus Sannig to.1. tr.7. diſt.5. quæſt.3. Hurtadus De la Fuente, Felix à Panormo, Corella, Reiffenſtuel, Sporer, Segneri*, & alij communiter, exceptis quibuſdam, inter quos videò, & miror Tabularium Gallum (laruati nominis) crediliſſe, damnatam eſſe à Pontifice ſententiam communem Theologorum aſſerentium, poſſe deduci ad praxim opinionem minùs probabilem, & minus tutam materialiter: quaſi omnis opinio minùs probabilis, & tuta materialiter, ſit tenuiter probabilis.

20 Probatur primò. Poſſunt eſſe duæ opiniones oppoſitæ magnæ probabilitatis, quarum fauorabilior ſit minùs probabilis ſtrictiore: Ergo ex eo, quod vna opinio ſit minus probabilis, quam oppoſita, non infertur, quod illa ſit tenuiter probabilis: Ergo ex eo, quod damnetur pro praxi opinio tenuiter probabilis, non infertur quoque damnari minùs probabilem, & tutam. Conſequentiæ rectè procedunt ex antecedenti vero: ſicut enim fulgor Lunæ eſt minor fulgore Solis; & tamen ſtolidum eſſet, & contra modum loquendi Sacræ Scripturæ, dicere fulgorem Lunæ eſſe tenuem: nam *Gen.1* dicitur: *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas*. Vbi animaduertendum eſt, Lunam dici luminare magnum ob maiorem lucis ſplendorem, non ob quantitatem, quæ minor eſt quantitate aliarum Stellarum; ſed nunquid, quia Luna eſt luminare minus, aſſeremus, perperam dictum eſſe, duo luminaria magna? Abſit, ſic ſimiliter dicendum eſt n præſenti.

21 Pro-

Digitized by Google

21 Probatur ſecundò ex eo ipſo decreto. In illo enim damnantur aliquæ propoſitiones modales de modo *Probabile*. Ita *propoſitio 57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam. Et propoſitio 44. Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat.* Eiuſdem ordinis ſunt propoſitiones ſecunda, ſexta, & trigeſimaquinta. Atqui ſi hoc decretum damnaret omnem propoſitionem verè probabilem, quæ ſit minùs probabilis oppoſita, non eſſet cur damnarentur illæ modales de modo *Probabile*. Ergo &c. Minor oſtenditur. Nam ſi opinio minus probabilis damnaretur, non ſufficeret ad praxim, quod opinio ſit probabilis, ſed requireretur, quod ſit probabilior. Non ergo eſſet, cur damnentur ſpecialiter illæ modales *de Probabili*, cum in damnatione huius tertiæ comprehenderentur.

22 Probatur tertiò ſi Sacra Congregatio vellet damnare aſſertum de opinione minùs probabili admittenda ad praxim, quantò facilius eſſet id aſſertum per ſuos terminos formales damnare, quam per id circumloquium de tenuiter probabili, quæ á probabilitatis finibus non exeat? Non ergo eius intentionis fuit damnare praxim opinionis minus probabilis. Confirmatur. Nam loquendo de Iudice clarè expreſſit damnationem opinionis, quæ aſſerit, Iudicem ſequi poſſe opinionem probabilem: Quam ergo meliorem occaſionem nanciſci potuit ad damnandam pro omni caſu minorem probabilitatem, ſi eam damnare vellet?

23 Probatur quartò. Valde differunt verè probabile, licèt minus probabile, & tenuiter probabile: ſicut paruum, & magnum, tenue & graue: vt ex dictis patet: Ergo damnata pro praxi opinione tenuiter probabili, nullo modo nec virtualiter remanet damnata verè probabilis: vna enim non eſt antecedens alterius. Sed pro plena notitia huius doctinæ, quæ eſt veluti baſis, & quaſi fundamentum totius Theologiæ moralis, ſit.

§. TERTIVS.

Sit ne licitum amplecti opinionem minùs tutam fauentem libertati, non ſolum probabiliorem, aut æquè probabilem, ſed etiam minùs contraria pro lege?

24 Conueniunt Theologi cum *D. Antonino 1.p.tit.3. cap.10.§.1. & Adriano cod. de reſtitutione, longè poſt medium §. dicendum eſt ergo, & §. mihi videtur*, ex duobus opinionibus æquè probabilibus poſſe ſequi quamlibet per ſe loquendo: quod vltimum additur; nam per accidens ratione ſcandali, ſi forte ex hoc ſequatur, non licebit. Ratio eſt, quia

ſi ſunt ęquè probabiles, ſunt ęquè conſonę rectæ rationi: Ergo non eſt maior ratio, cur ſequamur vnam, quam alteram. Si dicas primò, teneri nos tunc neutram opinionem ſequi. Contrà eſt, quia ſæpè neceſſarium eſt ſequi alteram, quia vna dicit opus eſſe pręceptū, & altera dicit eſſe prohibitum: quod ſi tunc nō liceret ſequi quamlibet illarum, paſſim eſſent homnines perplexi ſine culpa ſua, propter nimiam varietatem opinionum contrariarum, æquè probabilium, ita vt quidquid agerent, aut omitterent, eſſet peccatum, quod eſt valdè abſurdum. Si dicas ſecundò, tunc ſequendam eſſe opinionem, quæ affirmat, illud opus eſſe illicitum, quia hæc eſt ſecura, alia verò periculoſa. Contra eſt, quia hoc non diſſoluit argumentum; nam fieri poteſt, vt neutra ſit tutior; vt ſi vna V. g. affirmat, illud opus eſſe faciendum ſub mortali, aut veniali, altera verò eſſe omittendum ſub eadem culpa. Si adhuc contra hanc communem doctrinam inſtes, ſtantibus duabus opinionibus contrarijs æquè probabilibus, non magis aſſentitur intellectus vni, quam alteri, ſed manet dubius erga vtramque: Ergo ſi operatur ſecundum aliquam earum, peccat, quia exponit ſe periculo errandi: Reſpondeo, nec intellectum manere dubium, nec peccare, quia quamuis opiniones ſint æquè probabiles, poteſt homo per voluntatem inclinare intellectum, vt aſſentiatur determinatè vni potius, quam alteri; & ſic non manebit dubius, ſed determinatus ad vnam partem, cum formidine tamen alterius: ex quo ſequitur, eum non peccare, confirmando conſcientiam ſuam huic opinioni; nec in hoc exponeret ſe ipſum periculo errandi; nam cum ſine culpa ſua ſit conſtitutus inter duo pericula æqualia, poteſt licitè in vnam declinare; ſiquidem non eſt maior ratio fugiendi vnum, quam aliud, & non poteſt vitare vtrumque.

Difficultas eſt hic prima, quando vna ex opinionibus æquè probabilibus ſit tutior altera: & non loquimur in materia adminiſtrationis Sacramentorum, ac ſententiæ iudicialis; in quibus quid agendum ſit, viſum eſt in præcedentibus commentariis.

25 Dico primò. Licitum eſt ſequi opinionem magis, aut etiam æquè probabilem, quamuis ſit minus tuta. Quod liceat ſequi opinionem probabiliorem, etiam minus tutam tenent *Sylu. V. dubium 2. §. 2. V. confeſſio 2. num 3. & V. confeſſio 1. num. 14. Corduba*, & alii, quos refert, & ſequitur *Salas 1. 2. tr. 8. d. ſect. 5. num. 46. & num. 51.* & alii communiter, contra *Caiet. in ſum. V. opinionis vſus*, vbi ait, peccare eum, qui relicta opinione tutiore, ſequitur minus tutam, maximè ſi non deponat formidinem. Ratio verò communis ſententiæ eſt, quia in eo caſu exceſſus ſecuritatis compenſatur exceſſu probabilitatis. Quod verò liceat etiam ſequi opinionem ęquè probabilem, minus tutam, docent *Sotus l. 3. de iuſt. q. 6. ar. 5. ad 4. Azorius to. 1. l. 2. c. 12. per totum, & c. 16. q. 2. 3. & 4. & c. 17. q. 6. Vaſquez 1. 2. d. 52. c. 4. & 5. Salas loco cit. Corneius 1, 2. tr. 8. diſt. 3. dub. 5. nu. 6. Cotonius l. 1. controu. 5. c. 5.*

Ara-

Arauius in deciſ. moral.tr.9. de ſtatu ciuili aſſert.3.num.12. Ioannes Martinez de Prado to. 1.tr.1.q.4.§.3.num.12. Reiffenſtuel & alij communiter, contra *Fagnanum, Gonetum, Mercorium, Merendam, Cordubam, Contenſonum, Baronium, Tyrſum Gonzalez*, & alios, cum quibus *Iacobus à S. Dominico.*

26 Probatur prima pars vlterius, tum quia ſequeretur abſtinendum eſſe ab executione earum omnium actionum, & contractuum humanorum, quos aliquæ opiniones damnant, vt illicitos, quia iſtæ opiniones tutiores ſunt, quàm oppoſitæ: Sed hoc dici non poteſt; nam prorſus omninò ceſſarent humana commercia, cum ferè nullus ſit contractus ciuilis, in quo non ſit opinio damnans eum vt illicitum: Ergo ſatis eſt ſequi opiniones probabiliores, quamuis ſint minus tutæ. Tum etiam, quia quidam docent nos teneri præcepto graui, dolere de peccatis ſingulis diebus feſtis: quidam teneri ſimiliter confiteri ea, ſtatim, ac à nobis committuntur, & adeſt ſufficiens occaſio: alij circumſtantiam diei feſti eſſe neceſſariò explicandam in confeſſione; & quamuis ſequi has opiniones ſit tutius, & ſecurius, quam ſequi oppoſitas; poſſumus nihilominus tuta conſcientia contrarijs opinionibus conformari.

27 Probatur ſecunda pars tum ratione, quam vocat euidentem apud omnes *Arauius: Quia tunc vtraque opininio æqua lance propendet, vtraque pariter mouet, & inclinat intellectum, & vtramque proponit intellectus ſub æquali probabilitate voluntati cum iudicio indifferenti; cum autem iudicium eſt indifferens, liberum, ac licitum eſt voluntati, quam maluerit ſequi partem. Ergo tunc quamlibet harum opinionum in praxi liberè, ac licitè, poteſt amplecti voluntas.* Tum alia, qua vtitur *Martinez: Nam qui inter opiniones æquè probabiles vnam eligit in practica, habet certitudinem moralem, quod rectè operatur quia inquiſita veritate, quantum potuit, ſi in re erret, inuincibiliter ignorat; & actus eſt formaliter bonus: Ergo in re quamlibet tutò ſequi poteſt*; & inſuper addit: *Nō cadit ſub præcepto, quod vitemus mala materialiter; quia homini hoc eſt impoſſibile, ſuppoſito, quod in multis habet ignorantiam inuincibilem.*

28 Maior eſt difficultas, vtrum liceat ſequi ſententiam minùs probabilem, relicta probabiliori tutiori? In qua non ſolum negant Auctores nobis aduerſarij in præcedenti aſſertione, ſed etiam *Tabiena, Paludanus, Angelus, Almainus, Gerſon*, & alij apud *Salas, Armilla, Petrus Sotus*, & alij, quos citatos ſequuntur *Arauius, & Martinez de Prado ſupra, Card. Brancatus, Card. de Aguirre, Riccius, Piſanus*, & alij.

29 At alij cōmunius docent, licitū eſſe amplecti opinionem minus tutā fauentē libertati, etiā minùs probabilē contraria pro lege, quando controuerſia vertatur circa honeſtatem actus, & obligationem. Ita cōmuniſſimè *Thomiſtæ, Scotiſtæ, Neoterici. Ex Thomiſtis Dominicus Sotus in 4.d.18.q.2.ar. 5.ad 5.§.Vnde ad argumentum*: dicens, Confeſſarium ſiue Ordinarium, ſiue delegatum teneri abſoluere pœnitentem ſequentem opinionem probabilem

lem minus tutam contra propriam ipſius Confeſſarij opinionem probabiliorem, & tutiorem, *Barthol. Medina 1.2.q.19.ar.6.concl.3. Thomas Villat in ſumm. controu. in 1.2. D. Thomæ tractatu poſtero de conſcientia 4. p. tr. §.6. Barthol. de Ledeſma in ſummario in edit. Salmantina anno* 1585. *tr. de Pænit. diffic.* 14. *concl.* 5. dicens certiſſimum, *Acacius de Velaſco to.2. V. opinion Probabile reſ. 319. num.7. Ioannes Nider p.3. c.11. §.4. Barnabas Gallego tr. de conſcientia edito Matriti anno* 1648. dicens ſententiam communiorem inter Thomiſtas, & longè probabiliorem, *Dominicus Bannez 2. 2. q.10. ar.1. coroll. penult. Petrus de Ledeſma in ſum. to.2. tr.8. c.22. diffic.2. circa 11. concluſ. Ludouicus Lopez 1. p. inſtruct. c.120. & 287. Franciſcus Lopez de Texeda to.1. controu. Theol. mor. l.1. tr.2. controu.7. n.9. Petrus de Tapia in ſua catena mor. l.1. q.8. ar. 12. Gregorius Martinez 1.2. q.19. ar.6. dub.6. Didacus Aluarez 1.2. q.19. diſp. 20. Marcus Serra 1.2. q.19. ar.6. dub.4. Ioannes à S. Thoma*, & alij, quos refert *Ioannes Martinez de Prado* vbi *ſupra c.1. q.3. §.2.* qui licèt hanc ſententiam non ſequatur, inquit tamen eſſe communiſſimam. Eidem ſententiæ ſubſcribunt ex *Scotiſtis Maſtrius in 2. ſent. diſp.5. q.1. ar.2. Vanſichem in Belgio, Prouincialis, in Theſibus celeberrimis Louanij defenſis*, 10. *Septembris anno* 1669. vbi *theſi* 33. adducit *Alexandrum Alenſem*, qui in ſua ſumma Theologica ſententiam probabilem, etiam minùs tutam ſequitur, ac proponit, *Felix à Panormo to.2. exam. confeſſ. d.4. num.69. Anacletus Reiffenſtuel Theol. mor. tr.1. diſt.3. q.4. num.53.* dicens communiorem ſententiam Theologorum, *Herinx, Sporer*, & alij. Ex *Carmelitis, Petrus Corneio cit. d.3. dub. 6. Lezana, Vrbanus, Antonius à Spiritu Sancto, Monteſinos*, & alij: Ex *Auguſtinianis Petrus de Aragonia 2.2. q.63. ar.4. dub. pen. & ibi Michael Salonius contr.2. concl.4.* & aliis. Ex *Benedictinis Petrus Lorca 1. d.29. q.5. §.3.* Malletus, *Caramuel, Sayrus, Henricus Heinlchin*, & alij: Ex *Theatinis Paſqualigus dec.* 5. indicans hanc ſententiam eſſe certiſſimam, & in materia morali poſſe demonſtrari, *Diana*, & alij. Ex Societate Ieſu *Vaſquez, Sanchez, Salas, Leſſius, Becanus, Henriquez, Reginaldus, Card. de Lugo, Franciſcus de Lugo, Terillus, Ouiedus, Arriaga, Tannerus, Caſtropalaus, de Rhodes, Segneri*, & alij ferè omnes; nec non *Petrus Nauarra, Martinus Nauarrus, Sanctarellus, Barboſa, Malderus, Maternus, Beia, Petrus à S. Ioſeph, Leander à Sacramento, Caſpenſis, Baſſæus, Geſualdus, Auerſa* & alij communiſſimè; nam *Sāchez* per quā prolixum catalogum dat *l.1. c.9. n.14. Machadus alleg.* 45. Doctores, centum quinquaginta nouem adducit *Saraſa in p.2.* nec pauciores pro ea recenſet *Terillus*: & *Angelus Boſſius Clericus Regularis to. moral. variorum ad tit.1.* in appendice non dubitat aſſirmare, *Apud quoſcumque doctos, & ſimul probos in toto orbe Christiano nihil magis decantatum, quàm licitum eſſe in operando ſequi quācumque opinionem probabilem dummodo ſit probabilis, etiam minus tutam, vbi non agitur de valore facti, vel de damno inſequendo, &c. ſed de ſola honeſtate operationis.* Non eſt ergo opinio ſolum Patrum Societatis, vt quidam *Gallus Larnati* nominis dicere non

eru-

Digitized by Google

erubuit: quamuis ſi illorum ſolum eſſet, plurimi facienda etiam eſſet; ſunt enim viri ſapientiſſimi: vnde ij ſufficerent, vt ei magnam authoritatem, conciliarent, præſertim, quia eam ſolidè propugnant. Videantur *Terillus Eſparza*, *Ioannes de Cardenas* & alii. Cum quibus igitur.

30 Dico ſecundò: Poteſt quis ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, quando controuerſia verſatur circa honeſtatem actuum, & obligationem; niſi aliud exigat natura actus, & materia, in qua eſt controuerſia.

31 Probatur primò, ex iure Canonico *c. Laudabilem, de frigidis, & maleficiatis*, vbi Cæleſtinus III. naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, ſi frigiditas priùs probari non poterat, concedit, vt cohabitent ad triennium: atqui poſt copulam per biennium fruſtrà attentatam, multò probabilius eſt, ſub finem triennii ſubeſſe impedimentum impotentiæ, adeoque matrimonium eſſe nullum: & multò tutius foret à thoro coniugali abſtinere, & vtrinque caſtè viuere, idque in materia iuris naturæ, in qua Pontifex nequit diſpenſare. Et tamen in caſu illo coniuges licitè ſe mutuò tangunt, & copulam tentant; idque à Pontifice poſitiuè permittitur, non aliam certè ob cauſam, quam quia vſque ad finem triennii manet probabilitas potentiæ ad copulam, quamuis illa ſit multò minor, quam probabilitas impotentiæ, appetente fine triennalis experimenti.

32 Probatur Secundò. Omni æuo SS. Patres, & Eccleſiæ Prælati docuerunt, & inculcarunt, quod Religioſus, vt perfectus ſit, debeat Prælato obedire in omnibus, quæ manifeſtè non repugnant legi diuinæ, aut Eccleſiæ determinationi. Ac proinde ſi ſuperior ordinet rem probabiliter licitam, ſubditus debeat obedire, etſi oppoſitum ipſi appareat in ſe probabilius, & tutius. Quod etiam extendunt ad ordinationes ſub præcepto non obligantes. Certum autem eſt, præceptum, vel ordinationem ſuperioris non reddere licita, quæ ex ſe eſſent illicita. Ac proinde alios etiam in agendo poſſe prudenter formare conſcientiam moraliter certam circa ea, quæ apparent directè minus probabilia, minuſque tuta.

33 Probatur tertiò ratione communiter tradita, quam his verbis aperit *Georgius de Rhodes*: *Nemo malè poteſt operari, quandiù prudenter, & cum ratione operatur, nam malum illud eſt, quod repugnat rationi, & prudentiæ. Quis enim dixerit, niſi ſit ſtultiſſimus, poſſe aliquem prudenter peccare? Sed qui ſequitur opinionem probabilem prudenter, & cum ratione operatur: nam probabilis opinio illa eſt, quam bona ratio fulcit, alioqui non eſt probabilis: Ergo qui ſequitur opinionem probabilem prudenter, & cum ratione operatur, atque adeo non operatur imprudenter, & temerè. Quæ demonſtratio apertam eſſe declarat aduerſariorum vel ignorantiam, vel malitiam*. Sic ille. Verùm vltima verba delenda eſſe cenſeo: Aduerſarij enim etiam docti ſunt, & bono fine exiſtimo motos. Rationem autem his verbis propono. Qui operatur iuxtà opinionem minus probabilem, & mi-

& minus tutam, non tenerè, ſed prudenter operatur, quoniam non ex leui, ſed ex graui fundamento mouetur, opinio enim minus probabilis, & minus tuta, eſt graui fundamento munita; eſt namque ſermo de opinione minus probabili, quæ vere probabilis eſt, & tuta; & cum liceat prudenter operari, licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, quæ ſit verè probabilis, probabiliori, & tutiori relicta, quando agitur de ſola honeſtate actionis.

34 Confirmatur, quia etiam in opinione minus probabili, & tuta reperitur obiectum rectæ rationi conforme: in hoc enim probabilitas conſiſtit opinionis: quod ſcilicet ex aliquo motiuo graui, & ſufficienti appareat rectæ rationi conformis: alioqui probabilis opinio non eſſet, ſed improbabilis: Ergo licitè poteſt eligi talis opinio: nam ſemper operatio moralis eſt licita, & bona, quando eſt rectæ rationi conformis.

Dices: ſententiam probabilem abſolute ſpectatam poſſe eſſe prudentem, ac rectæ rationi conformem: ſed in concurſu probabilioris talem non eſſe exiſtimandam, ſed potius imprudentem, & temerariam, ideoque iudicium probabile generare non poſſe,

35 Sed reſpondeo cum *Bardio d.4. c.10. §.1.* inſtantiam non procedere; nam illa maior probabilitas, & ſecuritas, quæ in oppoſita ſententia reperitur, non deſtruit probabilitatem, & ſecuritatem illam, quæ *in alia* opinione reperitur: vt patet in ſimilibus phyſicis, & moralibus. Nam album vt octo V.g. non impedit, quin album vt ſex dicatur adhuc verè, & proprie album: nec homo prudens vt ſex, propriè diceretur imprudens in comparatione prudentis vt octo; & Sanctus vt ſex, adhuc eſt ſimpliciter & verè Sanctus, etiam reſpectu Sanctioris: Ergo pariter in propoſito opinio probabilis, & tuta vt quatuor, adhuc talis cenſenda eſt, in concurſu probabilioris, & tutioris, neque ex tali comparatione ceſſat à probabilitate, & ſecuritate in ſuo gradu.

Hinc nõ valet quod *Fagnanus*, *Gonetus*, & alij tradunt ex doctrina, quã ex *Ariſtotele* docet *D. Thomas 1.p.q.50.ar.1.ad.1.* nimirum, quòd medium comparatum ad vnum extremum, alterum extremum videtur: V.g. tepidum comparatum calido videtur frigidum, & comparatum frigido videtur calidum: Fuſcum comparatum ad nigrum, album dicitur; & nigrum, ſi comparetur ad album. Item media fidium in lyra, vel cithara, grauis dicitur comparata ad vltimam, & acuta, ſi comparetur ad primam. Demum crepuſculum comparatiuè ad noctem, appellatur dies: & nox, ſi comparetur ad diem. Cum ergo opinio minus probabilis mediet inter improbabilem, & probabiliorem, licèt comparatiuè ad improbabilem, probabilis aliquo modo appareat, non tamen in concurſu probabilioris, & comparatiue ad illam.

36 Non valet, inquam: Nam hæc doctrina habet locum dumtaxat; vbi medium eſt participans de vtroque extremo; non vero vbi non eſt par-

participans, vt in re noſtra; ſicut enim album vt quatuor, quia eſt medium non participans, etiam comparatum ad album vt octo, non eſt nigrum; & ſanctus vt quatuor, quia eſt medium non participans, etiam comparatus ad Sanctiorem eſt Sanctus; ſic opinio probabilis, quia eſt medium non participans de improbabili, & probabiliori, etiam comparata ad probabiorem, eſt probabilis.

37 Probatur quartò. Licitum eſt eligere id, quod eſt minus bonum, & minus perfectum, relicto meliori, & perfectiori, V.g. matrimonium, & ſtatum ſæcularem, illumque prçferre cælibatui, clericali, vel religioſo: Ergo pariter licèt eligere ſententiam minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & magis tuta. Conſequentia patet: nam minus probabilis, & minus tuta reſpectu probabilioris, & magis tutæ, dicitur minus bona, & tamen bona alias eſſet improbabilis. Vnde Doctores contrariæ ſententiæ volunt cogere ad melius, & tamen Apoſtolus ad *Teſſal. c.5.* ait: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Et Apoſtolus dicit, quod bonum, & non quod melius. Similiter Spiritus Sanctus *Eccleſiaſt.15.*ait: *Qui timet Deum faciet bona.* Non dicit,faciet meliora. Et idem eſt *Eccleſiaſt.22.* Preterea *Ieremiæ 6.*dicitur, *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* En concedit incedendum per viam bonam: & tamen Aduerſarij volunt nos cogere ad incedendum per viam meliorem. Quod ſi Apoſtolus ibidem ſubdit: *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos*: malè oppoſuit nobis *Contenſonius* dicendo, quod abſtinent ab omni ſpecie mali, & omnia bene probant, qui ſequuntur probabiliorem ſententiam; non qui minus probabilem, in qua magna eſt ſpecies mali reſpectu probabilioris. Cum enim Apoſtolus non loquatur de bono, pro vt habet eſſe ſubiectum à parte rei; (nam ſic eſſet contra opponentem; cum etiam opinio probabilior poſſit reuera eſſe falſa) ſed prout proponitur à conſcientia operantis prudenter dicente; qui operatur cum opinione probabili, iam tenet bonum, pro vt ſic proponitur à conſcientia, & abſtinet ſe ab omni ſpecie malis proponit actionem tantùm ſub ſpecie mali; quia opinio probabilis proponit actionem tantùm ſub ſpecie boni; nec eſt magna ſpecies mali; ſed tantum deeſt maior ſpecies boni.

38 Confirmatur: Quia Prudentia ex *Ariſtotele 6.Ethic.c.5. & 5.ethic. Eſt habitus cum recta ratione actiuus circa ea, quæ bona, & mala homini ſunt*: Ergo Prudentia non tendit ex ſe ad probabilius, vt volunt Aduerſarij: & licèt ſubiectum in quo eſt, ſcilicèt homo, poſſit eſſe actiuius, & perſpicacius, & actiuiſſimum, ac perſpicaciſſimum, ideoque poſſit homo dici prudentior, & prudentiſſimus ſi tendat ad meliora, vel optima; tamen ſufficit, quod tendat ad bona, vt dicatur prudenter operari; ſic enim probabilem ſe Deo exhibet, vt exigit Apoſtolus ad *Timoth.2.*ibi: *Cura te ipſum exhibere probabilem Deo.*

Dices. Natura deſiderat quod melius eſt, ex *Ariſt.de Gener.c.4.tex.10.*

Ergo etiam Prudentia, & homo prudens debet agere quod probabilius eſt.

39 Reſpondeo primò retorquendo argumentum. Natura licèt deſideret quod melius eſt; non tamen eſt defectuoſa ſi faciat bonum, non melius: Ergo nec etiam erit defectus Prudentiæ, aut actus, &c. Reſpondeo ſecundò diſparitatem eſſe; quia natura aliquid boni conſequitur, ſi faciat melius: & agens liberum æquè peccatum euitat ſiue faciat bonum, ſiue melius, quando controuerſia verſatur tantum circa honeſtatem actus, ac obligationem; præciſis alijs circumſtantijs.

40 Probatur quintò. Licet ſequi opinionem probabiliorem, etiam ſi ſit tutior, vt probatum eſt *aſſer.* 1. Ergo eam probabilem licebit ſequi etiam ſi non ſit probabilior. Conſequentia probatur, quia ſi non poſſet quis ſepè opinionem probabilem, relicta probabiliori, hoc præſertim eſſet, quia operans ex opinione minus probabili operari deberet cum formidine partis contrariæ: ſed ſi hæc ratio valeret, vrgeret etiam de opinione magis probabili; quia formido eſt de ratione opinionis vt ſic, quatenus á ſcientia diſtinguitur; & etiam opinio probabilior poteſt eſſe falſa, & legi diuinæ diſſona: Ergo &c.

Dices cum *Goneto*, notabile diſcrimen eſſe inter illum qui ſequitur opinionem probabiliorem, & illum qui minùs probabilem; nam ille, qui eligit probabiliorem ſententiam habet hoc iudicium reflexum, & prudentiale: *Qui facit totum, quod in ſe eſt ad inquirendam veritatem, ſi forte illam non attingat, excuſatur à peccato, ratione ignorantiæ inuincibilis*: quod iudicium omninò certum eſt, vtpotè nixum huic principio: *Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt*: quod *D. Auguſtinus in lib. de duabus animabus c.* 11. vſque adeo notum, & per ſe manifeſtum aſſerit, vt non ſolum à nemine ignoretur, ſed inſuper à toto genere humano decantetur, & declaretur: *Nonne* inquit, *iſta cantant, & in montibus paſtores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in locis Sacris, & in orbe terrarum genus humanum.* Ille verò, qui ſequitur ſententiam minùs probabilem in concurſu probabilioris, non poteſt habere hoc iudicium reflexum cum potuiſſet plus facere.

41 Sed contra. Nam dato, quod qui ſequitur ſententiam minus probabilem potuiſſet plus facere; tamen ad id non tenetur, vt habeat iudicium certum; poteſt enim habere certum etiam ſequendo opinionem minus probabilem, vt infra fuse probabitur; quamuis enim habeat hoc iudicium ſpeculatiuum: *Probabilius, & veroſimilius eſt, hanc actionem eſſe malam, & illicitam*: habet tamen ſimul aliud iudicium practicum reflexum certificans conſcientiam de rectitudine, & bonitate morali ſuæ operationis, nempè illud: *Qui probabiliter agit, prudenter agit: Ergo non peccat; nam qui peccat imprudenter agit.* Vnde dixit *Ariſtot. 1. Topic. c. 1. & 1. Ethic. c. 4. Probabile*

eſt,

Digitized by Google

eſt, quod ſequi vituperabile non eſt : Si ergo vituperabile non eſt, illicitum non eſt. Jtaque diſcrimen conſiderabile non eſt inter illum, qui ſequitur opinionem minus probabilem, & qui ſequitur probabiliorem. Vnde ſi non obſtante iudicio directo cum formidine, quia per reflexum poteſt reddi certus operans ex opinione probabiliori, etiam relicta tutiori, non peccat: ſimiliter non peccabit operans ex opinione minus probabili verſante circa honeſtatem, &c. dum poteſt reddi certus per iudicium reflexum.

Hinc remanet ſolutum argumentum, quo vtuntur *Gonetus*, & alij; nimirum. Prudentia, cum ſit virtus intellectualis practica, requirit certitudinem ſaltem moralem in ſuo obiecto: ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem fauentem libertati, in concurſu probabilioris, quæ ſtat pro pręcepto, non habet certitudinem moralem de honeſtate, & bonitate ſuæ operationis: Ergo prudenter non agit. Probant minorem; quia quis affirmare valet ſe habere moralem certitudinem de honeſtate, & bonitate morali illius operationis, quæ magis mala, quam bona ſibi apparet, & de qua hoc iudicium habet, *Probabilius, & veroſimilius eſt, hanc actionem eſſe illicitam*? Sed qui operatur ex opinione minus probabili, quæ ſtat contra præceptum, non poteſt non habere tale iudicium, ſeu dictamen intellectus: Ergo &c.

42 Remanet, inquam, ſolutum hoc argumentum, negando minorem: ad cuius probationem maior eſt tantum vera, quando quis per iudicium tam directum, quam reflexum iudicat magis malam illam actionem, ſecus ſi tãtum per iudicium directũ, vt in caſu noſtro: & ſic eſt diſtiguenda minor; nam per iudicium reflexum operans ex opinione minus probabili iudicat abſolutè bonam ſuam operationem, vt patet ex dictis, & fusè agetur infrà. Adde, quod ſi hoc argumentum probaret, conuinceret etiam contra *Gonetum*, nam etiam per iudicium directum operans ex opinione magis probabili, non iudicat actionem ſimpliciter bonam, licèt magis bonam, quàm malam: & ſic non habet moralem certitudinem, niſi per iudicium reflexum.

43 Probatur ſextò ad hominem. Poſſumus ſequi ſententiam probabiliorem, recta minus probabili licèt ſit magis tuta, quando &c. Sed opinio docens poſſe ſequi ſententiam minus probabilem, relicta probabilori, & tutiori, quando, &c. eſt probabilior contraria: Ergo &c. Minor probatur. Illud eſt magis probabile, quod maiori, & potiori parti Doctorum apparet, quando pręſertim proponuntur ipſis motiua vtriuſque partis, eaque examinant: ſed maiori, & potiori parti Doctorum præſertim in hoc, & iam præterito ſæculo apparet, quod poſſit quis ſequi probabilē opinionē in concurſu probabilioris, quando, &c. propoſitis & examinatis fundamentis eorum qualiter ſentiunt: Ergo id eſt magis probabile. Pro hac minori

Digitized by Google

videantur Doctores ſupra allegati, quibus adde *Alphonſum de Montenegro Epiſcopum Quitenſem in Itinerario aureo pro Parochijs Indiarum l.1.tr.4.ſect. 20.* vbi ait: *Noſtram concluſionem certam, & multum communem tenent multiſſimi Auctores, qui ab extrinſeco eam reddunt valde probabilem, & etiam ab intrinſeco talis eſt.*

Reſpondent Aduerſarij, hanc noſtram ſententiam nouam eſſe in Eccleſia Dei, & conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ retentam abſque contradictione per quindecim ferè ſæcula habuiſſe pro peccatoribus eos, qui ſecundum hanc probabilitatem operabantur; & recentiores Theologi, & Iuriſtæ, eſtò eruditione, ſapientia, & pietate celebres, non eſſe tantæ auctoritatis, quantum *D.Thomas*, *Scotus*, & alij ſunt.

44 Sed in primis quando etiam ſententia de probabilitatum regulato vſu noua eſſet, & non à prioribus ſæculis recepta, non ideò ſtatim reijcienda eſt vt improbabilis: quia, vt notat *Granadus*, *Lezana*, *Ouiedus*, *Arriaga*, *Caramuel*, & alij, plures ſunt opiniones Veterum iam antiquatæ, & oppoſitæ in praxi receptæ. Deinde abſolutè negandum eſt regulatum vſum probabilitatum ſolum vltimis ſæculis inualuiſſe: Etenim, vt rectè tradit *Maſtrius l.c.q.2.ar.5.Scotus* eſt pro noſtra ſententia, vt fusè oſtendit adducendo plura loca, & explicando ea, quæ in contrarium adduci poſſunt. Et licet *Gonetus in diſſert.de Probabilit.num.28.* afferat hunc textum *Scoti in 3.d.25.q.1.num.8. In moralibus, quando ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primò eſt mortale, vt ſi vnus peritus in conſcientia, dicat, quod non licet ſic mercari, & alius dicat, quod licet; tutius eſt non procedere ſic, vel ſic; ſed expectare quouſque veritas pateat aliunde. Si enim ita eſſet, quod vnus doctus diceret, aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret; & alius, quod peccaret, ſi ſic faceret, tũc ſimplex foret perplexus, ideò benè videndũ eſt in moralibus, antequam aliquid aſſeratur. Quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias, perplexus ſit, periculosè ſe determinaret ad vnam, niſi re diligenter inſpecta illam probabiliorem agnoſceret.* Hucuſque producit *Gonetus* textum *Scoti*. At in textu *Scoti*, communiter deſideratur ea periodus, quæ incipit, *Quia videlicet*. Nec in meo, nec in alijs vidi illam. Quod ſi *Gonetus* illam inuenit, ſuperaddita cenſentur ea verba *Scoto* per aliquem diſcipulum, qui ſuam opinionem voluit *Scoti* auctoritate fulcire. Priora verò verba non obſtant; quia *Scotus* loquitur de dubio practico, in quo conſtitutus reperitur homo ſimplex, & illiteratus, eo quod prima vice videt diffidentes duos Doctores in ea quæſtione, an licitum ſit operari ſic: & dum eſt in dubio practico, debet abſtinere à praxi; ſed expectare quouſque veritas pateat aliunde. Affert *Gonetus* aliũ textũ eiuſdem *Scoti in 4.d.11.q.6.* in hæc verba: *Cum multis ſit probabilior pars negatiua, non ſine peccato aliquis ſe exponit dubio, ſequendo affirmatiuam minùs probabilem.* At in tota quæſtione ſexta citata, nec vnum quidem verbum ex illis reperi. *Maſtrius item ar. 2.num. 62.* adducit plura loca *D.Bonauenturæ*, candoris conſcientię zelan-

tiſ-

tiſſimi, vbi admittit vſũ regulatũ probabilitatũ, nimirũ *in 4. d. 17. ar. 2. q. 3. & d. 21. ar. 2. q. 1. & d. 31. ar. 2. q. 3. & d. 32. ar. 3. q. 1. & d. 36. ar. 2. q. 3. Alexandrũ Alenſem* eiuſdem ſententię eſſe retuli ex *Van-Sichem*. Nec *D. Thom.* oppoſitum docuit. Etenim explicari debet cum *Ioanne Nider* ſupra, & alijs, de conſcientia dubia, aut ignorantia vincibili laborante, quando conſcientiã non excuſare dixit *quodlib. 8. ar. 13.* & ſic ſe explicat *quodl. 3. ar. 10.* dicens: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, ſi ſequatur opinionem erroneam alicuius magiſtri, ignorantia non excuſat*. Quando autem id contingat, exprimit his verbis. *Qui ergo aſſentit opinioni alicuius magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſiue contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ auctoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari*, quid clarius? Ergo ſi hæc non concurrant, nec aſſentienti opinioni alicuius magiſtri non occurrant; nec ſit illi ratio vlla dubitandi ſtudio, aut diligentia ſuperabilis, excuſatur à vitio erroris. Similiter dum *Angelicus Doctor quod l. 9. ar. 15. in princ. corp. quæſt.* dicit: *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur*, loquitur tantum de veritate morali, quæ habetur per iudicium reflexum, qua caret qui ſequitur ſententiam, quæ leui nititur fundamento: alias ſi loqueretur de veritate morali, quæ habeatur per iudicium directum, nec probabiliorem quis opinionem poſſet ſequi: nam etiam probabilior non attingit veritatem in ſe per media certa, & euidentia; vnde etiam poteſt eſſe ſecundũ ſe erronea. Et ſic etiã S. Doctor, dũ rationẽ ſubdẽs, ait: *Quia error, quo nõ creditur eſſe peccatũ mortale quod eſt peccatũ mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè à tanto*, loquitur de errore morali, qui ſubeſt temeritati, quæ leui nititur rationi, &c. non verò de errore phyſico, qui pariter ſub eſſe poteſt maiori probabilitati. Vnde quando concludit S. Doctor ſuam Doctrinam dicendo, *Præcipuè autem periculoſam eſt, vbi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit*, loquitur de ambiguitate oppoſita veritati practicæ, qualem veritatem non aſſequitur innixus leui motiuo, non verò de ambiguitate oppoſita veritati ſpeculatiuæ, qualem ambiguitatem habet etiam habens opinionem probabiliorem, quia hæc etiam poteſt eſſe, falſa à parte rei.

Juxta dicta intelligendus eſt *S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10.* vbi conſulit ſcrupuloſo, quod deponat dubium adhærendo opinioni alicuius Doctoris, *Si habet rationes probabiles pro ipſa magis, quam pro oppoſita opinione* Loquitur enim de dubio practico, in quo tutiorem, aut probabiliorem partem oportet eligere. Niſi fortè loquatur *S. Antoninus* in eodem ſenſu, ac loquitur paulo inferiùs dum ait: *Certitudo moralis conſurgit ex probabilibus coniecturis, groſſis, & figuralibus, magis ad vnam partem, quàm ad aliam ſe habentibus.* Nam rationes, quæ ſtant pro vna opinione ſemper ſtant magis pro illa, quam pro oppoſita. Conſtat enim *S. Antoninum* citatum ſtare pro noſtra ſententia de quauis opinione probabili ſeligenda, cum *B. Alberto Ma-*

gno,

Digitized by Google

gno, quem refert, & ſequitur his verbis ibidem *in reg. 7. Item ex reſponſis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod frater ſimplex videlicet quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in eo ſilijs quãcumque opinionem voluerit: dummodo alicuius Doctoris magni opinionem ſequatur*. Et vt apertius pateat quã inaniter glorientur aduerſarij, quod pro ſua ſententia habeant omnes Doctores antiquos, *S. Antoninus* ibidem pro noſtra & ſua ſententia refert præter *Albertum Magnum*, ſecundò *Oſtienſem, in c. ſi vir. extr. de cogn. Spir.* qui *humaniorem*, ideſt, benigniorẽ conſulit eſſe tenendã, & conſulendam: tertiò *S. Auguſtinum*, quem *in c. ſana d. 9.* putat eidem ſententiæ ſuffragari, ſicut etiam *Abellus Epiſc. Roth. lib.* de principijs moralis Chriſtianæ Gallicè edito Pariſijs anno 1670. pro hac ſententia, quam ſtudioſè amplectitur citat eundem *S. Doctorem epiſt. 19 ad Hieronymum*: Quartò affert *S. Antoninus Gulielmum*, qui apertiſſimè fauet, tum illis verbis: *Excuſabilis eſt ignorantia*: tum illis, *ſi quis bona fide partem illam, vel illam elegerit*: quæ denotant, in conflictu opinionum probabilium, quamlibet eligi poſſe: Quintò *Paludanum Patriarch in Hieroſolymitanum in 4. d. 17.* qui aſſerit, Confeſſarium poſſe ſe accommodare opinioni pœnitentis, qui alios Doctores conſulit licèt contra propriam opinionem; & ſolum excludit caſum, in quo Confeſſarius certus ſit de oppoſito, atque adeo cum probabilitas non afferat certitudinem, non excludit caſum, in quo probabilior ſit opinio Confeſſarij. Sextò *Gofredum de Fontibus*, loquentem de quibuslibet opinionibus toleratis ab Eccleſia: quod qua ratione intelligendum ſit, ſatis declaraui in *Lapide-Lydio Theol. comm. ad Propoſ. 27.* Octauò *Gerſonem*, ſub nomine Cancellarij, qui vtitur eo argũmento ineluctabili: *Non tenemur credere, niſi certò conſtet eſſe de fide: Ergo in moralibus, non tenemur, niſi certò conſtet de præcepto.* Refert etiam *Richardum Claremontanum*, ex quibus conſtat, quantum decipiantur Aduerſarij, & quam benè *Michael Salonius Auguſtinianus* vir teſte *Miræo* Doctrina, & ſanctitate clarus, *lib.* ante centum annos edito *de iure, & iuſtitia contr. 2. concluſ. 4. ad 4. ar. 1. q. 9. 63. S. Thomæ* eodem argumento ad hominem ex aduerſariorum ſententia vtitur his verbis: *Eligenda eſt opinio, vt volunt probabilior: ſed quod licet amplecti probabilem* (relicta, vt ibi docet probabiliori) *eſt probabilior, cum habeat plures, ac grauiſſimos authores, & firmiora fundamenta, quam oppoſita; vt ex progreſſu huius diſputationis conſtat.* Auctoribus antiquis accenſe *Nicolaum Tudeſc. Archiep. Panorm. in c. Capellanus de Ferijs.*

45 Probatur ſeptimò. Quia iudicium de honeſtate actus eliciendi nequit à principijs intrinſecis probabilis eſſe omnibus operantibus, ſed his tantùm, qui in re morali non parum verſati, opinionem fundamenta excuſſerint, & rationibus vndique perpenſis, maturo conſilio partem præferendam diſcreuerint: rari autem ſunt, qui hoc iudicium formare poſſint: Ergo viros tantùm doctiſſimos in re morali lex illa eligendi probabiliorem ligare poterit, hi tantùm licitè nequibunt pænitentes in confeſſiona-

tio

rio fauorabili opinione iuuare, & conſulentes benigna opinione reficere: Sed tenebuntur, iuxta quam ipſi probabiliorem cenſent, conſilium præbere, aut ſi de maiori probabilitate dubitent, differre, vſque ad ſufficientem adhibitam diligentiam. Quo quidem onere alii Confeſſarij, & Theologi minus docti, quibus, id moraliter præ inopia doctrinæ, vel librorum, impoſſibile ſit, non grauabuntur, ſed dum primum pœnitentem, aut quamuis alium conſulentem audierint, abſque mora poterunt illi reſpondere, & opinione aliena pro libertate conſolari, quam alijs Doctoribus, alijs etiam reclamantibus, probabiliorem cenſeri nouerint. Nec ipſis maiorem diligentiam adhibere incumbet, ad probabilioritatem opinionis indagandam; quia neque a principijs intrinſecis, cum eorum vim non penetrent: neque ab extrinſecis, cum hæc ex Auctorum numero, & qualitate pendeat, quos ad lancem appendere nemo poteſt: imò & quandoque pauci pluribus præualere debeant. Vnde quæcumque opinio pro libertate ab auctoribus probatæ auctoritatis defenſa, iure poterit ab indoctis probabilior, aut ſaltem æquè probabilis iudicari, quia minor probabilitas eis conſtare non poteſt. Item, ſi hæc ita ſe habeant: Væ Doctoribus, quos ſtrictiſſima hæc obligatio ſolùm tenebit? Felices indocti, qui quam maluerint viam arripuerint, ad ſalutis terminum peruenient. Quis non videat hæc irrationabilia eſſe?

46 Probatur octauò. Quia noſtra ſententia magis conformatur legi humanæ, ac diuinæ: Humanæ quidem, quia Iuriſtæ, & alij Doctores affirmant, in rebus humanis præferendas eſſe opiniones benigniores ex *l. benignius, ff. de leg bus & c. fin. de tranſact.* Similitèr *D. Antoninus cit. c. 10. §. 10.* Sic ait: *Inter duram, & benignam circa præcepta ſententiam, benigna eſt potius cæteris paribus, interpretatio facienda.* Hinc autem obiter animaduerto, aliud eſſe ſententiam eſſe benigniorem, aut nimis laxam, ſiue relaxatiuam conſcientiæ. Benignior eſt, quæ ſtat pro libertate, at graui fundamento, aut auctoritate nixa. Opinio verò nimis laxa, ſiue relaxatiua conſcientiæ eſt illa, quæ cum ſit improbabilis, vel fundamento careat, vel æquiuocatione, aut ſophiſmate nitatur, vel dubiæ ſit probabilitatis, libertati fauet. Nam ſi ſolido, prudentique probabilitatis nitatur, non debet dici nimis laxa, nec relaxatiua conſcientiæ. Sed quia multi ſanum probabilitatis nomen corrumpunt, & ad fundamenta æquiuoca, ſophiſtica, & dubia transferunt, & quidquid luxuriantes ingenij proponunt, volunt dici probabile, hinc odium probabiliſmi cauſarunt: Sed nos verum probabiliſmum teneamus, & gaudeamus ſophiſticum vergere in nihilum cura Summorum Pontificum, præſertim Alexandri VII. Innocentij XI. ac Alexanddri VIII. qui opiniones plurimas relaxatiuas conſcientiarum ſuis decretis proſcripſerunt: imò radicitus Innocentius euulſit damnans hanc tertiam propoſitionem, quæ eſt radix laxitatum. Diuinæ verò noſtra ſententia etiam magis conformatur, quia diuina lex benigna eſt, & leuis

Vt

vt conſtat ex illo *Matth. 11. Iugũ meum ſuaue eſt, & onus meum leue:* & *Ioan. epiſt. 1. c. 5. Mandata eius non ſunt grauia.* Quod ſi *D. Thomas* 1. 2. q. 107. ar. 4. dicat præcepta Domini eſſe leuia amanti, ſed non amanti eſſe grauia, fecit pro nobis, non pro aduerſarijs, qui etiam amantibus legem Dei grauem faciunt: grauem, inquam faciunt, quia difficilem, vt exponit idem Angelicus Doctor in locum S. Ioannis: quis enim negare poterit difficile eſſe in omnibus opinionibus agnoſcere probabiliorem? *Durum & intolerabile onus videtur,* rectè inquit *Corneius cit. dub. 6. num. 7. obligare homines, vt quoties aliquid ſint facturi, conferant ſingulas opiniones, & expendant earum rationes, & fundamenta, vt poſtquam viderint, quæ earum ſit probabilior, eam ſequantur.* Nec quia amor ex toto corde debet eſſe, ideo iugum probabilioritatis imponitur: ſed ſolum probabilitatis: ſatis enim amat ex toto corde, qui facit quod placet dilecto, & vitat, quod ei diſplicet; quod conſequitur ſequendo opinionem verè probabilem; & licèt ſolicitè teneatur quærere, quomodo ſua operatio placeat dilecto, ne eum offendat, non tamen quærere tenetur, quomodo magis ei placeat, quia tunc tenetur etiam ad conſiliorum obſeruantiam. Nec Deo placet iugum probabilioritatis; qui vult homines ſapienter, humiliter, in pace viuentes: Etenim, vt bene idem Sapientiſſimus *Corneius* ex contraria ſententia ſequeretur, *eum qui reputat aliquid eſſe probabilius non poſſe licitè conformare conſcientiam ſuã iudicio ſapientiorum, nec eorum probabilem opinionem amplecti, quod videtur derogare prudentiæ, humilitati, & paci,* vt colligit etiam *Nauar. ca. 7. num. 286. & 289. ex c. prudentia, de officio delegati, & c. de quibus d. 20.*

47 Confirmatur; quia ſi ſemper opinionem probabiliorem ſequi teneremur, in omni materia, & ſemper eam inueſtigare teneremur: hoc autem omnes intolerabile eſſet, & multis ſcrupulis expoſitum, vt docent *Suarez d. 12. ſect. 6. Sanchez l. 1. ſum. c. 9. num. 14. Vaſquez 1. 2. d. 62. c. 9. Ouiedus 1. 2. tr. 5. contron. 3. pu. 2. num. 14. Serra 1. 2. q. 19. ar. 6. dub. 4. Salas 1. 2. tr. 8. d. vn. ſect. 6.* & alij: quibus conſonat *Pratelius to. 2. c. 2. §. 4. num. 253.* dicens: *Cùm ſæpè difficilè ſit, & ferè moraliter impoſſibile diſcernere, quænam ex opinionibus inter Doctores multum controuerſis, ſit re ipſa probabilior, obligatio hanc in omnibus ſequendi eſſet onus intolerabile, & innumeris anxietatibus, ac ſcrupulis obnoxium.* Nec omittenda verba *Corneij* ſupra. *Oppoſita ſententia nimio ſuo rigore cruciat aliquos timoratos: nam cum per ſingula momenta eadem opinio appareat eidem homini, magis, & minus probabilis, etiam per eadem ſingula momẽta deberent variari eius obligationes, quod eſſet ſatis graue iugũ: nã poſtquã quis V. g. reſtitueret ſecũdũ vnã opinionem, quæ ſibi tunc videatur probabilior, aut abſtinuit à celebratione contractus ſibi maximè vtilis, ſi poſtea oppoſita opinio probabilior appareat, valdè cruciaretur animo: quare non eſt credendum, Deum obligare nos ad ſequendam ſemper opinionem probabiliorem. Maximè cum non rarò quæ magis apparent vera, falſa ſint, vt dixit Ariſtoteles.* Vnde *Caietanus 2. 2. q. 110. ar. 7. in fin.* inquit: *Cõtingit aliquãdo magis apparere, percipi,*

Digitized by Google

cipi, ſatisfacere, & mouere argumenta falſa, quã ſolutiones eorũ. Benè ergo dixit *Barth. Medina 1.2.q.19.ar.6.q.2.* loquens de contraria ſententia: *Hæc ſententia cruciat animos timoratos*. Imo videtur ad deſperationem adducere. Deteſtatur autem *S. Auguſtinus epiſt.53.* Doctrinas ad deſperationem vrgentes magis, quam ad confidentiam. Meritoque in *Prologo conſtitutionum Ordinis Prædicatorum lit. I.* dicitur: *Tertium, quod impedit ſalutem animarum eſt nimia auſteritas in conſilijs, & opinionibus: terrentur enim homines ex hoc, in tantum vt ſalutem propriam negligant. Quapropter relaxanda eſt (quantum fieri poteſt) rigiditas, & auctoritas in conſilijs, ac homines benignè tractandi ſunt.* Si dicas, hoc non eſſe verum, imò potiùs per opinionem probabiliorem quem à ſcrupulis, & conſcientiæ ſtimulis liberari, ex *Clem. exiui, de verb. ſignifi.* vbi Pontifex ait: *In his, quæ ſalutem animæ reſpiciunt, ad vitandos graues remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda*: Contra eſt cum *Eſparza de opinionum probabilitate ar.183.* quia in dicta *Clemen. exiui* ſecurior ſententia, & tollens remorſus conſcientiæ eſt ſententia excluſiua obligationis, vt ſpeculanti conſtabit, & videatur *Eſparza*. Non tamen approbari poſſunt ſententiæ laxæ, quas tenuiter probabiles appello, ſed animaduertendum eſt dictum illud: *Extrema ſunt vitioſa. In medio conſiſtit virtus.* Et aliud *Eccleſiaſtis c.7. Iuſtus perit in iuſtitia ſua, &c. Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias, quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.*

48 Probatur denique concluſio: Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Quæ regula non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed in alijs etiam locum habet, ita vt ratione poſſeſſionis libertatis licitum ſit practicè deponere dubium ſpeculatiuum, & contra illud operari, docent grauiſſimi Theologi, quos refert, & ſequitur *Sanchez l.1. de matrim. d.9. & l.2.d.41. num.32. Suarez, Henriquez, Sancius, Villalobos, Sanctarellus*, & alij penès ipſos, quos citatos ſequitur *Diana p.4.tr.3.reſ.2.* & cum *Soto, Syluestro, Baptiſta, Gallego*, & alijs 30. apud illum defendit *Prado to.1.q.9.§.1.num.3.& §.2.num.10.* Vnde negari non poteſt, quod hæc eſt iam communis ſententia, cuius fundamentum proponit pluribus *Prado* vbi *ſupra à num.8.* quia perfectè verificatur, quod voluntas poſſidet ſuam libertatem, ac proinde ſicut in foro externo, cognita obligatione dubia, nemo ad illam cogitur; ita neque in interno. Cui fauet *regula 11. de Regulis iuris in 6.* vbi dicitur. *Cum ſunt paria iura obſcura, Reo fauendum eſt potius, quam Actori.* Poſſeſſor autem (inquit *Prado*) ſemper eſt Reus, quia ipſe non poſtulat, ſed ab ipſo poſtulat Actor. Ergo dum non ſit certa obligatio, fauendum eſt poſſeſſori libertatis. Adde quod tota ratio, quare id valeat in materia iuſtitię, non eſt ex aliquo peculiari talis materiæ, ſed ex communi ratione dubij inuincibilis, quod ſemper excuſat; inquantum ſcilicèt inuincibiliter ignoratur malitia retinendi rem alienam, & obligatio eam reſtituendi: quæ tamen ignorantia eadem eſt etiam in materia aliarum virtutum. Atqui opiniones contrariæ circa honeſtatem actus verè generant dubium,

Digitized by Google

vel proprium negatiuum, nempè ſuſpenſionem actus, quando intellectus neutri parti aſſenſum præſtat; vel poſitiuum, vt quando intellectus vni determinatè aſſentitur cum formidine maiori, vel minori veritatis partis contrariæ: Ergo in dubio præcepti, (quod ſemper manet ſpeculatiuum, dum non fertur iudicium moraliter certum) licitè quis poterit practicè deponere dubium, & operari ratione poſſeſſionis ſuæ libertatis, qua per præceptum dubium ſuperueniens ſpoliari non debet; ſicut nec bona fide poſſidens in materia iuſtitiæ re poſſeſſa priuādus eſt propter dubium ſubortum, quod ſit aliena. Nam dum id certò non conſtat, præualet poſſeſſio cum iudicio probabili, quod ſit propria: Ergo dum certò moraliter non conſtet de malitia actus, & aliunde ſit iudicium probabile de honeſtate, operari licebit ratione poſſeſſionis libertatis.

49 Quapropter *Sanchez l. 2. matr. d. 41. nu. 46.* ex *Henriquez*, & alijs ait; quoties dubium eſt, an impoſitum ſit præceptum naturale, diuinum, vel humanum de aliqua re, eo non obligatur dubitans. Quia donec conſtet de præcepto, poſſidet voluntatis libertatē. Quod tenet etiam *Suarez to. 5. in 3. p. d. 40. ſect. 5. nu. 14. Sà V. dubium nu. 2. Baſſæus, Caſtropalaus*, & plures alij; quia ante hoc dubium bona fide poſſidebatur libertas: & dubium ſuperueniens, quod ſolita diligentia vinci nequit, non tollit bonam fidem, vt probant *Couar. in Reg. Poſſeſſor 2. p. §. 7. nu. 4. & Sarmiento 2. ſelect. c. 10. num. 5.* cum alijs ab ipſo relatis. Quo principio ab obligatione voti excuſant dubitantem de emiſſione *Sotus l. 7. de iuſt. q. 3. ar. 2. docum. 2. Medina l. 1. ſum. c. 14. §. 7. Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruct. c. 45. §. dubitans de voto, Piſtachius, Antonius à Spir. Sancto*, & plures alij: Ergo niſi inconſequenter loquantur, dubitantem etiam de exiſtentia præcepti excuſare debent ab obligatione.

50 Vrgentius premo ex eodem *Soto in 4. d. 27. q. 1. ar. 3. §. immò verò*, vbi probat, coniugem dubitantem de valore matrimonij, poſſe, poſt adhibitam diligentiam debitum petere, ratione poſſeſſionis ſuę libertatis. *Quod ſi arguas* (inquit) *illa facit contra dubium, ergo peccat. Reſpondeo ad antecedens, dubium eſſe duplex; ſcilicet ſpeculatiuum, & practicum. Et quidem agere contra dubium ſpeculatiuum, non eſt peccatum, ſed agere contra practicum. Dubitat autem illa ſpeculatiuè, an ille ſit ſuus, ſed non inde ſequitur, quod dubitat, reddendum eſſe debitum, aut petendum, quod eſt dubium practicum: immò per poſſeſſionem ſit certa, quod vtrumque poteſt.* Ergo licèt ſpeculatiuè quis dubitet propter Doctorum diſſidium, ſit ne præceptum prohibens aliquam operationem, non ſequitur, quod practicè dubitet licere ſibi operari, quia per poſſeſſionem ſuæ libertatis ſit certus, quod poteſt. Vnde pro hac ſententia ſtare debent omnes, qui cum *Soto* ſentiunt: *Martinus de Ledeſma, Ludouicus Lopez*, & alij, quorum ſententiam probabilem iudicant *Victoria, Canus, Penna, Gallus, Bannez, Henriquez, Manuel Rodriquez*, & alij apud *Sanchez l. 2. de matr. d. 41.* Qui *d. 44. num. 2. & 4.* rectè admonet, poſ-

poſſeſſionem prævalere contra dubium, non ſolum quando negatiuum eſt, nempè ſuſpenſiuum actus, ſed etiam quando poſitiuum, ſcilicet, quando habet aſſenſum opinatiuum vtriuſque partis, quo cenſeat, eſſe probabile, matrimonium eſſe validum, & eſſe probabile, validum non eſſe: quæ cum contradictoriæ non ſint, rectè compatiuntur in eodem intellectu. Immò idem dicendum putat, licèt probabilius iudicet, matrimonium eſſe inualidum; quod prædixerat *d.42.num.*8. & ſequitur cum *Petro, & Martino de Ledeſma*, & cum *Sancio, & Villalobos, Verricelli to.1. q.moral.tr.2.q.25.nu.*30.

51 Dum verò *Fagnanus in c. ne innitaris, num.*74. dicit, eſſe leue fundamentum, quod deſumitur ab eo, quod in dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione extra materiam iuſtitiæ; oſtendit ſe non rectè calluiſſe hanc doctrinam, cum id ex iure naturali debeat eſſe inconcuſſum. Nam certitudo præexiſtens non debet ceſſare propter merum dubium ſuperueniens. Ideò ſi teneor præcepto certo Superioris, & dicat mihi vir dubiæ fidei, & leuis auctoritatis, diſpenſaſſe ſuperiorem; & adhibita diligentia, dubium vincere non potui; præualet certitudo præcepti præexiſtens: deindè ſi præexiſtat certitudo de mea libertate comedendi carnes feria quinta, & dicat mihi homo dubiæ fidei, impoſitum à ſuperiore præceptum ieiunandi feria quinta, & facta ſufficienti diligentia, non poſſim vincere dubium, id dubium non eſt potens euertere certitudinem præexiſtentem, & ita in *c.Inquiſitioni, de ſenten.excom.*dicitur, quod coniux, qui ex leui credulitate dubitat, an habeat impedimentum dirimens matrimonium, poteſt petere, & reddere debitum; quia illud dubium non poteſt euertere certitudinem præexiſtentem de matrimonio rato, & conſummato. Hanc diuerſitatem rationis à ſapientiſſimis viris traditam *Fagnanus* vocat ridiculam, ſed ineptè: non enim Iuriſta debuit mittere falcem in meſſem alienam, Theologorum nempè, ad quos ſpectat ferre iudicium de iure naturali: quale eſt hoc, quod ſpectat hoc genus poſſeſſionis in materia aliarum virtutum præter iuſtitiam. Cum voluntas humana, quæ nullum emiſit votum, ſit certò libera ab obligatione voti, ius naturale dictat, non debere euerti eam certam libertatem à voto per ſolam dubitationem de emiſſione voti. Nam ab hoc iure naturali profecta eſt ea regula iuris, quod *Factum in dubio non præſumatur*. Quare enim euertenda eſt illa certitudo libertatis per ſolam dubitationem ſuperuenientem?

52 Idem Auctor pronuncians ex noſtra doctrina multas ſequi ineptias à *num.*205. ait: *Iudicium conſtat ex tribus perſonis, ideſt, Iudice, Actore, & Rea: Tu dicis, hoc iudicium de poſſeſſione agi inter Deum, & hominem: inquiro, quis erit Iudex, qui in hac cauſa pronunciet, & hominem in ſua poſſeſſione contra Deum manuteneat? Bartholus in tractatu quæſtionis ventilatæ coram Ieſu Chriſto inter Virginem Mariam ex vna parte, & Diabolum*

ex altera facit diabolum actorem, & humanum genus reum, eiuſque aduocatam Beatiſſimam Virginem, & Iudicem Ieſum Chriſtum. Tu verò conſtituis Deum actorem, & hominem reum, ſed Iudicem non deſignas. Item iudicium retinendæ eſt ſummariſſimum, & momentaneum, & eſt præparatorium iudicij poſſeſſorij principalis, atque plenarij: & datur, quouſque cauſa cognoſcatur in pleno poſſeſſorio, vel petitorio; & ideo alicubi appellatur iudicium Interim, quia expectat aliud iudicium poſt ſe: Dic ergo tu, qui aſſeris hoc iudicium agitari inter Deum, & hominem, ſi in eo Deus ſuccumbat, & potior ſit conditio hominis ſuam libertatem poſſidentis: quo pacto ſuccurratur Deo, coram quo ius ſuum proſequatur in pleno poſſeſſorio, vel in petitorio iudicio, ad præſcriptum, legis Exitus ff. de acquir. poſſeſſ. Item regula iuris, quod melior ſit conditio poſſidentis, procedit tantum in dubio, & cum iura partium ſunt obſcura. At quomodo fieri poteſt, quod res ſit dubia, & obſcura ex parte Dei, cui omnia ſunt plana, & aperta. Neque inſiſtas dicendo, rem eſſe obſcuram ex parte hominis. Quoniam hoc non ſufficit, cum prædicta regula non intret, niſi quando iura ſunt obſcura ab vtraque parte, alioquiſi ius actoris ſit clarum, & liquidum, & ius Rei conuenti ſit dubium, ac turbidum, non pro Reo, ſed pro petitore eſt pronunciandum. Aſt fictitium eſt fundamentum, ſuper quo *Fagnanus* hanc ineptiarum molem ſtruit. Nam hic non niſi per metaphoram, aut per allegoriam datur iudicium *retinendæ*, neque alterum iudicium. Neque in hoc puncto intercedit alia cognitio cauſæ, niſi cognitio eius veritatis, vt in ſe eſt: nempè quod, ſicut debitum legale certum non extinguitur ſolutione dubia; neq; obligatio recitandi Officium Canonicum omninò certa extinguitur recitatione dubia; ita libertas ab obligatione voti, quæ præſupponitur ante emiſſionem omninò certa, non euertitur voto dubio, aut obligatione dubia. Fruſtra ergo fingitur iudicium forenſe inter Deum Actorem, & hominem reum. Nam ſine hoc iudicio hæc veritas per ſe patet, & de eo format ſuum dictamen conſcientia. Præterea licet hæc dicatur poſſeſſio libertatis, longiſſimè diſtat à poſſeſſione legitima, quam introduxerunt iura. Id enim nomen *Poſſeſſio* eſt analogum; & ideò hæc certitudo libertatis præſuppoſita, ſolùm ſimilitudinarie, & analogè vocatur poſſeſſio. Verum quidem eſt, aliquos Theologos vſos fuiſſe ea metaphora iudicij forenſis; non quia verum iudicium intercedat, ſed quia per hanc metaphoram commodius rem explicant, & caſu, quo ea metaphora ſequenda eſſet, dicendum eſſet, conſcientiam hominis eſſe Iudicem à Deo deſignatum; quia decreuit Deus, ſuas leges ſeruari ab homine eo modo, & non aliter, quo conſcientia eas proponit. Qua ratione dixit *S. Thomas*, duas regulas operationum nobis eſſe, nempè Legem æternam, & Conſcientiam, & hanc eſſe regulam immediatam.

53 Dixi in aſſertione: *Quando controuerſia vertatur circa honeſtatem actus*, nam quando vertatur circa valorem actus, aliud regulariter eſt dicendum: ſic in *Commentario ad 1. Propoſ.* probauimus, extra caſum neceſ-

ſitatis

ſitatis non poſſe Miniſtrum Sacramentorum conferre Sacramentum cum opinione minus tuta, licet probabiliore verſante circa valorem Sacramẽti in præiudicium Fidelium. Sic & in repetitione. Vndè *Fagnanus* non callutt noſtram ſententiam, dum attribuit ei aſſertiones contrarias eis, quas in caſibus ab ipſo propoſitis nos ſtatuimus. Nam à *num.*187. ſic ait: *Hinc iura præcipiunt, vt Sacerdotes ordinati ab Epiſcopis incognitis, de quibus dubium eſt, an ſint Epiſcopi, nunc debeant iterum ordinari, vt Gregorius III. ſanxit in c.Presbyteri 68. d. Et idem ſtatuit in c.Paruulos, de conſecr. d.*4. *de paruulis, qui à parentibus ſubtracti ſunt, & ignoratur, an ſint baptizati, vt ſcilicet iterum ſint baptizandi. Vtroque enim caſu abſque dubio tutius eſt, vt propter periculum ſalutis æternæ iteretur*. In quibus caſibus decipitur *Fagnanus*, putans, dicere nos, eos Sacerdotes non debere iterum ordinari ſub conditione. Etenim poſſeſſio, ſiue certitudo moralis præexiſtens euertitur per aliam certitudinem practicam. Ideò quamuis illi Sacerdotes eſſent in quaſi poſſeſſione Sacerdotii, antequam ſuperueniret dubium de Epiſcopis incognitis; at ſuperueniente illo dubio euertitur illa poſſeſſio; quia fortius eſt dictamen certum; quod ordinatio debeat eſſe omninò certa, ne Sacramenta exponantur fruſtrationi, in præiudidium Fidelium, propter præceptum certum charitatis ſaltem obligans ad id. Ideò quamuis ſit opinio probabilis, quod qui in ordinatione tangit calicem moraliter, non phyſice, valet ordinatio; tamen improbabile eſt, quod liceat Sacerdoti probabiliter ordinato, celebrare; quia improbabile eſt, quod liceat exponere Sacramenta periculo fruſtrationis, in præiudicium Fidelium. Et idem dicendum eſt, cum ſuperuenit dubium de Baptiſmo.

54 Idem proportionaliter dicendum eſt de Medicis, & Chirurgis, qui in medicinis applicandis tenentur ſub mortali ſequi ſententias certas, & ſecuras, relictis incertis, & dubiis. Vndè quoties Medicus, vel Chirurgus habet medicamentum certum, ſeu poteſt infirmo applicare medicamentum certum, non poteſt illud relinquere, & applicare remedium, quod tantum probabiliter ſit profuturum, & multò minus illud, quod eſt dubium, an ſit profuturum. Sic *Ioannes à S.Thoma* 1.2.*d.*12.*ar.*6 *à n.*33. *& ſeqq. Arriaga d.*24.*ſect.*5.*ſubſect.*1. *Madernus ſupra num.*3.*Illſung tr.*1.*d.*1. *ar.*7.§.2. *num.*79. *Reiffenſtuel Theol.mor.tr.*1.*diſt.*3.*qu.*4.§.3.*num.*60.*Sporer Theol.mor.to.*1.*tr.*1.*c.*1.*ſect.*3.*num.*58.*Gordonus, Azorius, Layman, Reginaldus*, & alii communiter. Ratio eſt ſimilis adductæ in adminiſtratione Sacramentorum; quia exponere proximum periculo graui ſanitatis, & vitæ, peccatum eſt contra charitatem, & iuſtitiam proximo debitam; ſed qui applicat infirmo medicamentum tantum probabile, vel dubium, relicto certo, exponit infirmum periculo perdendi & ſanitatem abſolutè, & vitam: Ergo nullo modo licet. Deficiente medicamento certo, & exiſtentibus tantum de facto ipſo medicamentis probabilibus, deductis ex rationibus medicinæ, & experientiis factis, an ſcilicet tale medicamentum ſit

pro-

Digitized by Google

profuturum, nec ne, tenetur Medicus ex charitate, & iuſtitia adhibere illud, quod probabilius iudicat profuturum. Sic *Suarez de pœnit. d. 26. ſect. 6. Salas tr. 8. d. 1. Vaſquez d. 64. c. 4. Madernus ſuprà num. 4. Reiffenſtuel cit. n. 60. Sporer ſup. Ilſſung l.c.* idem dicens, ſi æger non poteſt facere ſumptus neceſſarios pro certo, ſed pro probabiliore poteſt. Contra *Aragonium 2. 2. qu. 63. ar. 4. Monteſinum in 1. 2. d. 26. qu. 5. num. 214. Sancium in ſelectis d. 44. num. 36. Dianam 1. p. tr. 13. reſ. 7.* & alios, qui ſuſtinent, poſſe Medicum ſequi opinionem minus probabilem, ſcilicet eligendo, & applicando medicamentum, quod iudicat quidem profuturum, ſed non ità certè, ac aliud. Sed contra iſtos ratio eſt, quia Medicus tum ex charitate erga proximum, tum ratione ſtipendii, quod accipit, tenetur prudenter, & fideliter fungi officio ſuo. Sed non prudenter, nec fideliter facit, applicando remedium, quod non iudicat ita ſecurum, & tutum, relicto ſecuriori, & tutiori: Ergo nec prudenter, nec fideliter fungitur officio ſuo, & per conſequens peccat contra charitatem, & iuſtitiam. Confirmatur primò, quia ſi infirmus ſciret, Medicum ipſi applicare remedium non ita ſecurum, omiſſo ſecuriore, iuſtè poſſet de ipſo Medico conqueri; ſed vbi poteſt eſſe ex parte infirmi iuſta querela, debet eſſe de parte Medici iniuſtitia: Ergo verè Medicus non adhibendo remedium, quod iudicat ſecurius profuturum, peccat. Confirmatur ſecundò, ex illo præcepto: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed nullus Medicus permitteret ab alio Medico ſibi applicari medicamentum minus tutum, relicto tutiori: Ergo nec ipſe aliis hoc debet præſtare. Nec in hoc habet locum illud: *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur:* Nam procedit quando opinio probabilis eſt de iure, non de facto. Nec ſic eſt impoſitum grauiſſimum onus Medico: ſuppono enim Medicos ab experientia ipſa habere, quodnam medicamentum ſecurius conferat ſanitatem, nec ne. Porrò Medicus debet operari iuxtà id, quod ipſe iudicat ſecurius, ſecus faceret contra conſcientiam propriam, niſi occurrat in conſilio Medicorum, vel alio conuentu aliquem Medicum eſſe maximę auctoritatis, alium verò non ita verſatum; nam in tali caſu poteſt qui non eſt ita verſatus, credere alteri verſato, & ſubmittere proprium iudicium, vt notant Theologi: verùm tunc deponit propriam conſcientiam, & operatur iuxta ſententiam, quam iudicat ſaltem per principia extrinſeca, & rationes præſumptas ſecuriorem, & probabiliorem.

§ 55 Si ſit deſperatus de ſalute ægrotus, licitum eſt applicare illi aliquod remedium, de quo ſpes aliqua adſit, quod probabiliter ſit profuturum, etiamſi probabiliter è contrario timeatur nociturum. Ita *Arriaga d. d. 24. ſect. 5. num. 24. Sanchez, Layman, Portella, Bonac. & Boſſius*, quos citatos ſequitur *Ludouicus Scildere tr. 2. c. 8. num. 108. Corduba, Manuel, Sayrus, Villalobos, Syluester, Angelus, Reginaldus, & Faber*, quos ſequitur *Madernus ſupra num. 6. Franciſcus Bardi diſcept. 4. c. 30, num, 1. Ilſsung, & Reiffenſtuel*

locis

locis relatis. Ratio eſt, quia adhibendo remedium, quod probabiliter iudicat profuturum, etiamſi è contrario timeatur nociturum, in tali caſu deſperato Medicus prudenter operatur, & vtiliter agitur res infirmi, cuius cauſa non fit peior per tale medicamentum, cum ſupponatur iam deſperatus de ſalute: Ergo ſi ſpes aliqua effulgeat applicando tale medicamentum, de ſalute poteſt illud applicare. Imò tenetur applicare, vt notant *Sanchez, Madernus, Scildere, & Illſung*, eo quod ex hoc ſaltem aliqua ſpes vitæ, alias deſperatæ effulgeat. *Sporer* verò *num.59.* requirit, quod accedat conſenſus ipſius infirmi, vel conſanguineorum. Dubium verò medicamentum, de quo non ſit aliqua ſpes, quod ſit probabiliter profuturum, puto cum *Maderno, Illſung*, & aliis non licere applicare: quia poſſet accelerare mortem, quod non licet, nec prudenter talis Medicus operatur: cum nullum habeat fundamentum, an ſit profuturum. Si verò ſalus non ſit deſperata, non licet Medico adhibere medicamentum, quod æquè putat profuturum, & nociturum. Sic *Arriaga ſup.num.26. Ioannes à S.Thoma d.12.ar.6.num.39. Madernus l.c. num.7. Illſung ſupra*, & alii. Et ratio eſt, quia in tali caſu melius eſt relinquere naturam, vt ſe iuuet, quam tentare hoc remedium, quod quis putat æquè nociturum, ac profuturum: nec infirmus illud vellet ſumere, ſi hoc ſciret, ſed potius ſe velle committere prouidentiæ diuinæ: & certè hoc magis ipſi Medici eligerent.

56 Si denique in conſilio Medicorum, quis exiſtimaret aliquod Medicamentum, V.g. ſciſſionem, venæ allaturum mortem, alio Medico contrarium exiſtimante, talis Medicus iudicans huiuſmodi ſciſſionem eſſe mortalem, non poſſet tuta conſcientia adhærere opinioni contrariæ, & illam approbare; niſi deponat conſcientiam ſuam, vel quia conuincatur rationibus contrariæ ſententiæ: vel quia Medici, qui tenent contrariam, ſint valde exercitati, & ſint plures, quorum iudicio poteſt quieſcere, deponendo propriam conſcientiam; at retinendo proprium iudicium, quod talis ſciſſio V.g. ſit mortem infirmo allaturam, non poteſt licitè tale remedium applicare; eſt enim agere contra propriam conſcientiam, quod ſemper eſt peccatum. Ita *Madernus*, & alii.

57 Dixi etiam in aſſertione: *Niſi aliud exigat natura actus, & materia, in qua eſt controuerſia.* Sunt enim aliqui actus, qui exigunt ſaltem maiorem probabilitatem. Sic in primis compenſatio, nam qui exiſtimat tantum minus probabiliter ſibi deberi centum à Caio, non poteſt per occultam compenſationem accipere. Ita Doctores communiter. De qua re in *comment.in Propoſ.37.* dicam plenè. Secundus actus eſt ſpolii: nam non es priuandus tua poſſeſſione extra iudicium, ob ſententiam minus probabilem alterius, qua putat ſuam eſſe rem à te poſſeſſam: nec etiam admittunt Doctores poſſe fieri ſtante æqualitate probabilitatis opinionum. Hinc habens rationes probabiles, mediæ noctis ſignum nondum ſonuiſſe, &

ſe, & probabiles iam ſonuiſſe, propter diuerſitatem horologiorum; quamuis poſſet manducare carnes tempore noctis ſuperuenientis ad diem Iouis, contra diem Veneris, tamen non poteſt idem facere nocte Sabbati, adueniente Dominica. Ita *Sanchez, Fagundez, Trullench*, aliique apud *Paſqualigum de ieiunio dec.163. Merolla tom.1.d.3.c.3. num.137. Tamburinus l.1. Decal.c.3.§.3.num.17.* contradicente *Paſqualigo*. An autem ſi quis haberet opinionem probabiliorem dicentem, ſuam eſſe rem ab altero poſſeſſam; poſſit in hoc caſu occultè ſpoliare illum ſua poſſeſſione, eamque rem occultè accipere? Affirmant *Ioannes Martinez de Prado tom.2. Theol.mor.c.22. qu.3. §.3. num.19. Spinula opuſc.de elect. opinionum d. vlt. ſect.7. Andreas à Matre Dei tr.13.c.1.num.324.* aliique. Negant verò *Suarez lib.5.de Legibus c.18.num.20. Sanchez l.6. in Decal.c.3.num.7. Vaſquez in opuſc.de reſtit.c.6.§.3.dub.5. num.87. Tambur.ſupra num.14.* & alii, nam (inquiunt) cum habens opinionem minus probabilem, quod res ſit ſua, ſi poſſideat, non tenetur reſtituere, niſi poſt ſententiam Iudicis; non poteſt alter non poſſidens eam habere extra iudicium; daretur enim per ſe bellum ex vtraque parte iuſtum, quod eſſe nequit. Sed quidquid ſit de hoc, de quo in citato *Comment.* id certius procedit, dum interuenit obedientia. Vndè ſubditus tenetur obedire Superiori præcipienti, etiamſi probabilius putet rem præceptam eſſe malam; quia Superior tanquam poſſidens habet ius præcipiendi omne id, de quo euidenter, ſeù certò non conſtat eſſe malum, aut extra limites poteſtatis ſuæ, vt docent *D. Bernardus lib.de præcept. & diſpenſ. & D. Bonau.in ſpeculo diſc plinæ p.1. c.1.* At opinans, licet magis probabiliter, eſſe malum, non habet eius certitudinem; nam de ratione opinionis eſt, vt ſit aſſenſus non vndequaque certus, ſed cum formidine alterius partis: Ergo tenetur obedire Superiori præcipienti. Ita *Sanchez l.6. Summæ c.3. num.6. Vaſquez, Corduba, & Miranda*, quos citat, & ſequitur *Layman l.1.tr.1.c.5.§.2.num 11. Syluester V. Cenſura qu.3. Salas tr.8. d.vn.ſect.8.num.76. Azorius tom.1.l.2.c.17.quæſ.9. Sayrus l.1.clauis c.12.d num.2. Anton.Perez certam.10. ſcholaſt. num.115. Villalobos tom.1. Summæ tr.1.diffic.11. num.3. Renzi*, & alii communiter, quorum ſententiam in praxi eſſe ſemper conſulendam ait *Caſtropalaus to.1.tract.1. d.2.pu.6.nu.5.* quamuis putem valdè probabilem ſententiam *Sancij d.33. ſelect.num.22. Ledeſmæ*, & aliorum contrarium docentium. Hinc ægrotus etiam ſi probabilius putet ſe teneri ad ieiunium, poteſt, & debet comedere ſequendo opinionem ſuperioris minus probabilem. *He m Buſſembaum l.1 medullæ tr.1.c.2.dub.2.n.5.* Tertius actus eſt iudicium: de quo plenè dictum eſt in *Comment.* præcedenti.

****

§. QVAR-

§. QVARTVS.

Eneruantur obiecta contra vtramque aſſertionem.

58 PLura ex Scriptura, & Patribus afferunt *Fagnanus*, & alii, quæ ſi quid, probarent, nec ſententiam inter probabiles probabiliſſimam poſſe nos licitè ſequi: quæ propoſitio eſt *Sinnichij*; & tertia inter proſcriptas à fel. rec. Alexandro VIII. in cuius commentario omnia hæc obiecta euertam. Ad idem collimant, quæ *Fagnanus*, ex Prudentia, quæ eſt virtus intellectualis, habens pro obiecto verum. Vndè eo loci clarè, & manifeſtè ex ipſa notione Prudentię elumba aperiam.

Obiicies primò ex *Baronio*. Probabilis in concurſu probabilioris, vel æquè probabilis reddit omninò intellectum dubium. Ergo non poteſt quis ea rectè agere, imò nec quidquam determinatè. Conſequentia tenet ex communi omnium ſententia. Antecedens verò probat, quia licet intellectus aſſentiatur vero veriſimili, non tamen poteſt aſſentiri illi, quod licet ſecundum ſe habeat aliquam ſpeciem veri, attamen in concurſu partis oppoſitæ æquè, vel magis probabilis habet ſpeciem falſi; quia in eo ſtatu manet ſuſpenſus, & dubius intellectus.

Confirmabis cum *Fagnano à num.* 148. ex variis textibus Juris Canonici, *c.Nerui 13.d.* & ſubdit *Fagnanus*: *Vbi plurimis exemplis oſtenditur, eum, qui agitatur contrarijs opinionibus, & per rationes ſuaſibiles impellitur in vtramque partem, propriè habere (conſcientiam dubiam) atque perplexam. Deinde in c.Fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis: vbi dicitur latam ſententiam diuortij (per errorem licet probabilem) & tamen Innocentius III. ſubdit, (quandiù articulus iſte dubitabilis erat) Ergo probabilitas dubitationem inducit. Et in c. Illud, de præſumptionibus, vbi ponderantur pro vtraque parte rationes probabiles; & tamen dicitur. (In huiuſmodi dubitatione) Ergo rationes probabiles dubitationem pariunt. Et in c. Inquiſitioni, de ſent. excomm. Item in c.Illud, de cler.excomm.miniſtr. Item in c. Per venerabilem, §.Rationibus, Qui filij ſint legitimi. Item in c.Veniens, de Presbyt. non baptiz. Item in c.Litteras, de reſtit.ſpoliat. in quibus omnibus textibus ſupponitur, dum verſatur cauſa ſub probabilitate rationum, illam eſſe dubiam.*

Simile argumentū proponit *n.*157. his verbis: *Iudicare vtramq; partē contradictionis eſſe æqualiter probabilem, eſt iudicare, vtramq; non minus apparere veram, quam falſam; nam quælibet ex proprio motiuo, apparet vera, & motiuo ſuæ oppoſitæ apparet falſa; vnumquodq; enim motiuum quantò magis ſuam partem facit apparere veram tantò magis ſuam oppoſitam facit apparere falſam, c. Hoſpitiolum in fine 32.d.l.1.ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris: Cum igitur ex vtraque parte motiua ſint æqualia, vtraque pars æqualiter apparebit vera, &*

æqualiter apparebit falſa : ſed nullus poteſt opinari de propoſitione , quæ ſibi æqualiter apparet vera , & æqualiter ſibi apparet falſa , cum opinari ſit iudicare propoſitionem veram , cum ſola formidine , quod ſit falſa , vt oſtenſum eſt ſupra num. 127. Ergo cum intellectus iudicat , vtramque partem contradictionis eſſe æqualiter probabilem , de neutra poteſt opinari , ſed neceſſario dubitat.

59 Reſpondeo ad primum argumentum negando vtrumque antecedens : neque enim manet dubius intellectus , quando habet firmas rationes pro vtraque parte , & tales , vt poſſit etiam ſoluere argumenta contraria , ſed tunc tantum manet dubius , quando caret rationibus firmis , & nequit clarè diſcernere vnam partem , vel alteram , & ideo ſuſpenſus hæret , & fluctuat.

Hinc ad confirmationem facilis eſt reſponſio. Non enim nego eſſe dubitabilem cauſam iuris ; in qua vtrinque ſunt rationes probabiles : dummodò concedatur , dubitationem deponi poſſe per rationes verè probabiles : ad differentiam cauſæ facti , in qua neceſſariò reſultat dubitatio . Vbi aduertendum eſt , in *c. Nerui* citato, non referre S. Gregorium rationes probabiles , ſed potiùs rationes dubitandi ſatis improbabiles , quæ peccatori ſolent occurerre ad excuſandum peccatum ; vt patet in exemplo volentis obedire Prælato in re illicita , propter rationem , quæ occurrit obligationis obedientiæ ; & in reliquis exemplis ob ſimiles rationes improbabiles. Alia ibi adducit *Fagnanus* , in eam ſententiam , quæ non indigent alia reſponſione, quàm hucuſque data.

60 Ad aliud argumentum dico , cum quis iudicat , vtramque opinionem aduerſam eſſe æqualiter probabilem , ſine aſſenſu ad alteram partem , tunc iudicat , vtramque non magis veram, quam falſam . Si tamen ſolutis rationibus vnius partis , aſſentiatur alteri , tunc falſum eſt , quod iudicat, vtramque non magis apparere veram , quam falſam . Nam benè ſtat , quod vtramque iudicet æquè probabilem , & quod accedente inclinatione voluntatis , ſoluat rationes vnius partis , aut iudicet ſolutas à Doctore magno ; & ſic expeditus intellectus aſſentiatur alteri parti , quam eo ipſo iudicat probabiliter veram , & alteram falſam. In quo non procedit temerè , quia nititur fundamento graui huius partis. Sed hæc melius explicabuntur in reſponſione ad ſequentem obiectionem.

Obijcies ſecundò. Intellectus cum ſit potentia neceſſaria , non poteſt aſſentiri vni , & non alteri motiuo æquè graui : Ergo non datur, iudicium probabile , ſtante æqualitate rationum : Ergo datur tantum dubium , adeoque tutius eſt ſequendum.

Confirmatur primò. Eo modo ſe habet intellectus inter duas opiniones contrarias paris probabilitatis , quo ſtatera in æquilibrio poſita propter æqualia pondera. Sed ſtatera non inclinatur in vnam partem potiùs quam aliam, ſed ſuſpenſa hæret ; niſi alterutri partium aliquid maius pondus apponatur: Ergo & intellectus potius inter duas opiniones paris probabilitatis

ſuſ-

ſuſpenſus hærebit,& dubius:nec in aliquam partem poterit inclinari, niſi probabiliores rationes pro illa parte videat. Ergo ex duabus opinionibus probabilibus non poteſt intellectus potius vni aſſentiri, quàm oppoſitæ.

Confirmatur ſecundò ex *Ariſtotele* 1. *Topicorum c.9. in princ.* vbi ſic ait: *Sunt autem problem ta, & de quibus contrarij ſunt ſyllogiſmi; dub tationem enim habent, vtrum ſic ſe hab ant, an non: eo quod de vtriſque ſunt rationes ſuaſibiles.* Ergo neceſſariò intercedit dubitatio, vbi vtrinque ſunt rationes ſuaſibiles, ſiue probabiles. Neque poteſt alteri partium aſſentiri, quia intellectus non eſt liber in opinando.

Confirmatur hoc ipſum tertiò ex *D. Thoma*, qui 1.2. *q.13.ar.6. ad 3.* dicit: Voluntatem à paribus medijs, ſeu bonis non moueri, niſi ab altero illorum, quod magis probatur, aliquid ſingulare emineat, quo affectus, & intellectus alliciantur. Ergo multò minus intellectus, qui non eſt potentia libera, poterit potius moueri in vnam partem, quam aliam, ſi opiniones contrariæ ſint æquè omninò probabiles.

61 At ſtatuendum eſt, non implicare intellectum iudicare duas opiniones contradictorias eſſe probabiles, illiſque vt probabilibus aſſentiri. Sic enim docent *Sanchez l.1. ſummæ c.9. Leſſius de iuſt.l.2.c.29.dubit.4. §.37. Suarez 1.2.d.10.de actibus imperatis ſect.1.num.5. Salas 1.2. tr.8.d.vn.q.12.num.118. Card.de Lugo tom.2.de iuſt.d.37.ſect.10.num.118.& 120. Granadus 1.2.tr.2.d.3.ſect.3.num.10. Ouiedus 1.2.tr.2.contr.5.pu.3. num.31. Valent.qu.12.pu.5. Modernus tr.5.q.4.ar. 10.à num.3. Bardi tr.de conſcientia d.4. c.9. num.17.& c.10.num.6.* & in *ſelectis l.11.qu. vn. §.9. Ludouicus de Torres 2.2.d.22.dub.1.* dicens eſſe communem ſententiam, & ſibi certam, & alii referentes, ſuſtinentes, non implicare, eundem intellectum poſſe iudicare per principia intrinſeca duas opiniones contrarias eſſe æquè probabiles; vel vnam probabilem, alteram probabiliorem; & hanc ſententiam perſpicuam eſſe dicit *Honoratus Fabri Dialogo* 2. Item pro ea ſtare communem plurimorum,& optimorum præteriti ſæculi Auctorũ conſenſum, ait *Esparza in Appendice ad Quæſtionem de licito vſu opinionis probabilis ar.*158.addens, adeò certum id eſſe, vt de hoc controuerti, niſi proterue nõ poſſit. Et *ar.*205. prædixerat, communem Doctorum ſententiam eſſe, libertatem immediatam nobis eſſe ad opinandum vnam, vel alteram partem contradictionis, prout libuerit, quoties adſunt, & habentur in promptu rationes dubitandi pro vtraque parte contradictionis; tametſi rationes vnius partis ſint efficaciores, & maioris momenti, quam rationes partis oppoſitæ: & à fortiori, ſi æqualis. Quæ quidem libertas dici ſolet ſpecificationis: ad differentiam libertatis exercitij, quæ conſiſtit in poteſtate aſſentiendi, vel ſuſpendendi aſſenſum. Et de communi inter Doctores teſtatur etiam *Ioannes de Cardenas in Criſi Theol.d.6.cap.6.ar.1.num.80.* nec mirum, quod Patres Societatis fere omnes huic ſententiæ ſe ſubſcribunt; nam hoc tanquam indubitatum ſupponit etiam eorum Parens

S.Igna-

Digitized by Google

S. Ignatius in epiſt. de obed. ibi enim ait S. Patriarcha : in rebus, in quibus cognitæ veritatis euidentia vim intellectui non infert , poteſt voluntatis pondere, jn hanc potius, quam in illam partem inclinari. Hanc eamdem ſententiam Thomiſtæ communiter amplectuntur, *Caietanus 1.2. qu. 65. ar. 4. Ioannes a S. Thoma 2.2. d. 3. ar. 1. & c. t. d. 12. ar. 3. num* 44. & alii : Et meritò; nam hanc expreſsè docuit *D. Thomas* in pluribus locis , nempè *2.2. q. 1. art. 4* ibi: *Alio modo intellectus aſſentit alicui, quia non ſufficienter mouetur ab obiecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in vnam partem , magis quam in aliam ; & ſiquidem hoc ſit cum dubitatione , & formidine alterius partis, erit opinio : ſi autem ſit cum certitud ne , abſque tali formidine, erit fides*. Et prædixerat ſatis clarè in *1.2. qu. 18. ar. 6.* ibi: *Sunt autem quædam apprehenſa, quæ non adeò conuincunt intellectum, (ſicut prima principia) quin poſſit aſſentire, vel diſſentire , vel ſaltem aſſenſum , vel diſſenſum ſuſpendere propter aliquam cauſam , & in talibus aſſenſus ipſe , vel diſſenſus in noſtra poteſtate eſt, & ſub imperio cadit*. Quod iamdiù iuuenis docuerat *l. 3. Ethic. lect. 18. ante medium,* his verbis : *Quia operabilia ſunt contingentia, non cogitur ratio ad aſſentiendum huic , vel illi , ſed in poteſtate habet homo, quod aſſentiat vni, vel alteri parti contradictionis , ſicut accidit in omnibus probabilibus.* Ex quibus euidenter concluditur, iuxta *D. Thomam*, poſitis pro vtraque parte motiuis aſſentiendi , poſſe intellectum ex imperio voluntatis, vni, vel alteri aſſentiri , vnam, vel alteram eligere , ac proinde non ſolum eam , quæ efficacioribus rationibus, ſed etiam oppoſitam , quæ æqualibus, aut minus efficacibus . Si enim ſententia aduerſariorum eſſet vera, nunquam daretur in voluntate electio; nec intellectus vni, vel alteri, aſſentiri poſſet, quia motiua vel ſunt æqualia , & tunc neutri parti aſſentiri poteſt : ſed neceſſariò (vt aiunt) aſſenſum ſuſpendi . Vel ſunt inæqualia , & tunc ſoli probabiliori : Ergo nunquam verificaretur doctrina *D. Thomæ* tot locis expreſſa : de poteſtate aſſentiendi vni , vel alteri ex imperio voluntatis . Eamdem ſententiam docent Scotiſtæ cum *Maſtrio cit. qu. 2. ar. 6. num. 121.* & alii neoterici communiter: eſtque etiam ſententia *D. Auguſtini,* vt ait *Eſparza ſupra num. 118.* Ratio autem manifeſta oſtenditur ; quia, ſi implicaret, maximè , quia intellectus iudicaret , eandem opinionem eſſe veram, & non eſſe veram , & aſſentiretur illi, vt abſolutè veræ ; Sed qui iudicat duas opiniones de eadem re probabiliter veras, & aſſentitur illis , vt probabiliter veris , non iudicat illas abſolutè veras, nec illis aſſentitur, vt abſolutè veris; ſed tantum vt probabiliter veris per diuerſa media : Vbicumque autem eſt diuerſitas mediorum , nec res abſolutè iudicatur vt talis, ſed tantum modaliter, ſeù probabiliter , vt talis, & illi aſſentitur vt probabiliter tali, non eſt contradictio ; vt de ſe patet : Ergo ſi non adeſt contradictio , & poſſum iudicare illas probabiles, & poſſum illis aſſentiri , vt probabiliter veris . Poteſt ergo reflexè ſic iudicare intellectus ; Probabile eſt hoc eſſe licitum : probabile eſt hoc eſſe

illi-

Digitized by Google

illicitum: nec ſunt propoſitiones contradictoriæ, ſed ſubalternę affirmatiuæ, ratione modi, vt patet in ſummulis, & aduertit *Maſtrius* citatus. Porrò intellectus operans ex opinione probabili eſt certiſſimus de honeſtate actionis: nam aliud eſt, quod aſsenſus ex probabilibus ſit cum formidine partis oppoſitæ, ſi directè talis aſſenſus accipiatur: aliud eſt, quod iudicium reflexum de honeſtate operationis, quando fit ex probabili ſit cum formidine: primum libenter concedo; ſecundum nego, & meo videri euidenter oſtendam eſse certiſſimum, & ſine vlla prorſus formidine.

62 Hinc reſponſio eſt facilis ad argumentum ſupra propoſitum: negatur enim antecedens: nam licèt intellectus dicatur potentia neceſsaria; tamen cum electio ſit libera; è voluntate applicatur ad eliciendam vnam, & non alteram ex æque probabilibus, vt viſum eſt ex *D.Thoma*: Et poteſt etiam aſſentiri per iudicium parti, & motiuo minus graui, & non alteri grauiori: nam ſi voluntas eſt indifferens ad bonum, & malum, vt dicitur *Eccleſiaſt.15. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominum vita, & mors, bonum, & malum. Quod placuerit ei dabitur illi.* Etiam voluntas dicenda erit indifferens, vt applicet intellectum etiam ad minus bonum, quod cernitur minus verum in genere moris. Sed audiamus hic verba *Ouiedi 1.2.tr.2.contr.5.pu.2.n.31. Eo ipſo, quod intellectui proponatur vnum obiectum formale ſufficiens ad aſſenſum, & aliud ad diſſenſum ſufficiens, hæret intellectus inter vtrumque donec à voluntate, determinetur ad vnum actum potius, quam ad alium per imperium, cui intellectus deſpoticè obedit hac in re; ita communiter Doctores.* Ludicrè autem (vt rectè notat *Verde in Anacephal.tit.26.num.782.*) adducitur hic exemplum aſini Buridani: nam tale animal electionem non habet, cum libertate careat: homo autem libertate gaudet.

63 Ad primam confirmationem reſpondeo, maiorem, ſeù paritatem inter ſtaturam, & intellectum poſſe aliquo modo currere, quando intellectus non habet ſufficiens fundamentum, nec prudens motiuum ad ſe potius determinandum ad vnam partem, quam ad aliam: quia pro vtraque parte ſunt inſufficientia fundamenta; & ideò tunc ſuſpenſus, & dubius hæret, & fluctuat: non autem quando tàm pro vna parte, quam pro alia habet ſufficientia motiua ad prudenter ſe determinandum; nam tunc diſparitas eſt manifeſtiſſima, quia intellectus eſt facultas animata, & cognoſcitiua, & ſubditur imperio voluntatis libero, vt aſsentiatur potius vni, quam alteri. Concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam, propter aſſignatam diſparitatem. Non tamen hinc inferas, non eſse prudens iudicium, ſed merè arbitrarium, cum opiniones ſunt æque probabiles, velle potius vni, quam alteri aſſentiri. Etenim merè arbitrarium eſſe non poteſt, quod ratione ſufficienti, & firmo fundamento fit. Aſsentitur autem vni parti potius, quam alteri, vel quia poteſt eſse maior inclinatio in vnam partem, quam in aliam; vel quia cognoſcitur maior vtilitas, aut commoditas,

duas, vel aliud ſimile, quod de nouo repręſentatur intellectui, & illud mouet, vt intellectus per voluntatem determinetur in iudicio practicó; vt docet *D. Thomas qu. 14. de verit. art. 2.* quod motiuum licet ſit extrinſecum ad conſtituendam opinionem probabilem, attamen eſt ſufficiens ad hoc, vt intellectus potius determinetur ad vnam partem, quam ad aliam.

Per quæ patet etiam ad ſecundam confirmationem. Quando enim vtrinque ſunt rationes probabiles, ſiue ſuaſibiles, obiectum eſt dubitabile, & de facto dubitare ſolet intellectus; ſed accedente imperio voluntatis, & inclinatione illius ſaltem indirecta, ſoluit quandoque rationes vnius partis; & his ita diſſolutis, manet intellectus expeditus, vt aſſentiatur alteri parti. Loquitur ergo *Ariſtoteles* de dubitatione, quæ oritur, non accedente inclinatione voluntatis, & hoc procedit etiam quando vtor auctoritate ſola extrinſeca Auctoris omni exceptione maioris. Etenim quando verſor inter duas opiniones aduerſas, V. g. *Caietani* hinc, inde *Soti*, dum *Caietanum* ſequor, non dubito; quia *Caietanus* illam defendit abſque dubitatione; & ego qui ſequor *Caietanum* vtor ſapientia illius eodem modo, qui ipſe diſſeruit. Et idem contingit, ſi non *Caietanum*, ſed *Sotum* ſequor, qui abſque dubitatione id docuit, vtor enim doctrina illius, quia ſcio me eſſe inferioris doctrinæ; & eſt dictamen certum prudentię quo recte procedo, dum in praxi vtor doctrina ſapientium, qualis eſt *Sotus*, aut alius Doctor omni exceptione maior. Et quamuis intellectus non ſit liber formaliter: in rebus tamen obſcuris, & incertis eſt radicaliter liber, quia in illis ſubiicitur ſaltem indirectè inclinationi liberę voluntatis.

Patet etiam ad tertiam confirmationem: dico enim *D. Thomam* pro contraria opinione adductum ſtare pro nobis: nam cum ibi dicit: Nihil prohibet ſi aliqua duo æqualia proponantur, ſecundum vnam conſiderationem, quia circa alterum conſideretur aliqua conditio, per quā emineat, & magis flectatur voluntas in ipſum, quàm in aliud; illa conditio per quā eminet alteri eſt quid extrinſecum cum omnis conditio ſit extrinſeca, & ſic explicat *Caietanus* Angelicum Præceptorem dum dicit, quod talis eminentia poteſt eſſe vel inuenta, vel appoſita. Quare ratio aſſentiendi eſt fundamentum firmum; ratio potius aſſentiendi vni, quam alteri, eſt quid extrinſecum opinioni.

Obijcies tertiò. Nemo poteſt per duas vias peruenire ad ſalutem. *Eccl. ſ. 3.* Ergo neque poteſt per opinionem probabilem, & probabiliorem ſaluari. Saluabitur ergo per probabiliorem.

64 Reſpondeo, in primis hoc argumentó probari, neque poſſe quem operari ſecundum opinionem probabiliorem, quæ etiam poteſt eſſe falſa, ſicut probabilis, ſed inſuper debere operari ſecundum tutiorem; nam hæc potius conſtituenda eſſet vnica via. Reſpondeo deinde, quando dicitur, quod vna via itur ad gloriam, intelligi de fide, vel de Eccleſia. *Matthæi 14. Eccleſ. 3. Actor. 15.* ibi: *Facta eſt in illo tempore turbatio in via*

Do-

Domini. Et *Cantic.6. Vna columba mea, vna perfecta mea*. Sed multis itineribus gloriæ terminum attingere poſſumus: Vnus per continentiam, alius per nuptias. *1. ad Cor. 7.* Et non eſſe vnam indiuiſibilem viam rectam attingendi gloriam, ſancitum eſt *Actor. 13.* ibi: *O plenè omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Sapien. 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas*. Et Scriptura dixit *vias rectas*. Et aduerſarius quidem negat vias, cui credendum, ipſi an Scripturæ? Credendum certè Scripturæ. Quando ergo *Actor. 13.* dicitur *vias rectas*, intelligitur ſecundum conſcientiæ probabilia dictamina, iuxta illud ad *Timoth. de conſcientia bona*: & *S. Ioannis Chryſoſtomi hom. 61. ad pop. Antioch.* ibi: *Hei mihi, quot ad ſalutem nobis viæ!*

Obijcies quartò. Qui ſe exponit periculo peccandi, peccat: *Eccleſ. 3. Qui amat periculum in illo peribit*: Sed ſequens opinionem probabilem minus tutam, ſe exponit periculo peccandi: ergo peccat. Minor probatur. Quia ſequens opinionem probabilem dubitat, rem poſſe aliter ſe habere: Ergo dubitat, an res ſit illicita: Ergo qui illam ſequitur exponit ſe periculo committendi rem illicitam.

65 Reſpondeo, hoc teſtimonium ſcripturæ aduerſarijs non fauere; quia ibi agitur determinatè de periculo moriendi in peccato mortali, & incidendi in æternam damnationem, quod imminet peccatori obdurato, & differenti pœnitentiam vſque ad articulum mortis. Patet hoc inſpicienti integram ſententiam cum ſua particula copulatiua, quæ ſic habet: *Cor durum habebit malè in nouiſſimis, & qui amat periculum, in illo peribit*. Deinde nego maiorem; nam dum ſequor opinionem probabilem, & minus tutam, non me expono periculo peccandi verè, & formaliter ſed tantum impropriè, & materialiter: ſummum enim me expono periculo faciendi rem malam materialiter: vt ſe exponit etiam ſequens opinionem probabiliorem: nam falſa quandoque ſunt probabiliora veris: hoc autem non eſt malum, vt rectè probat *Arriaga d. 24 num. 7. & 8.* pluribus inſtantijs. Et prima de eo, qui vouit recitare Roſarium hodie; qui non tenetur recitare illud mane, ſed poteſt differre illud vſque ad veſperam, quando nullam timet occupationem grauem veſperi; & tamen ille ſe exponit periculo faciendi rem in ſe prohibitam (cum poſſit veſpere ægrotare, aut obliuiſci) non minus qui opinionem minus tutam ſequitur. Secunda, de obligato ad communionem Paſchalem, qui poteſt differre vſque ad Dominicam in Albis, & tamen non eſt certus tunc ſe habiturum occaſionem: Ergo &c. Ad probationem minoris diſtinguo antecedens: dubitat ſpeculatiuè, rem poſſe aliter ſe habere, concedo antecedens: dubitat practicè, nego antecedens; & ſic diſtiguitur primum conſequens, & patet ad ſecundum. Qui enim ſequitur opinionem probabilem remanet dubius tantum ſpeculatiuè, (accipiendo hic dubitationem pro timore, & formidine, quæ non tollitur nec per probabiliorem. Sed ſi ſtrictius loquamur, dubius non re-

manet, quia dum ſequitur vnam opinionem, ex electione, voluntatis ſe determinat ad illam, vt ſupra, & ſic remanet determinatus, at cum formidine per iudicium directum) ſed practicè eſt certus ſe benè agere per iudicium reflexum, vt ſæpè dictum eſt.

69 Hinc formaliter loquendo, ſeù quoad imputabilitatem, omnes opiniones verè, & non tenuiter, ac dubiè probabiles, ſunt æquè tutæ, nec vna eſt tutior alia. Ita *Suarez de cenſ.d.40 ſect.5. Sanchez to.1.ſum.c.19. num.14.Vaſquez 1.2.d.62.c.9.Sancius in ſelectis d.42.num.12. & d.44.nu.66. Ildephonſus De la Penna in Itinerario l.5.tr.4.ſect.20.num.7. Henriquez, Caſtropalaus, Azorius*, & alij, quos refert, & ſequitur *Paſqualigus, in deciſ. moral.dec.359.* de opinione probabili. *Quintanaduennas, Diana, Franciſcus de Lugo, Roccaful, & Excobar*, quos refert & ſequitur *Leander à Murcia in diſquiſ.moral.l.1.diſp.vn.fol.17.num.7.Franciſcus Bonæ Spei in Apologemate retorto dub.7.de ignorantia inuincibili num.46.num.208. & 221. Madernus tr.5.q.4.ar.11.à num.2.Boſſius*, & alij plurmi cum *Caram.in comm.in Reg.S. Benedicti d.6. de opin.probabil.nu.56. & 61.* & in *Theol.fundam.fundam.11. de opin.probab.nu.1681.* dicente: *Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æquè tutæ, & ſecuræ: quia illa opinio eſt tuta, & ſecura in conſcientia, quæ, ſi iuxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali, & veniali: at hoc æquè præſtabit quæcumque probabilis opinio: Ergo quæcumque eſt æquè tuta, & ſecura.* Et cum *Bernardo Eſtubrochio Theologo Vienenſi in notis aduerſus Vuendrochium editis Coloniæ anno 1659.ſect.3.de probabilitate §.2.* ibi: *Dicendum mihi videtur, omnem opinionem verè probabilem æquè tutam eſſe, &c. Ac proinde æquè tutam, imò cum eſſe tutam ſit tantum peccatum excludere, peccatum exludi non poteſt magis vel minus quod ſcilicet in indiuiſibili poſitum eſt: Hinc eo ipſo, quod aliqua opinio non eſt tuta, non eſt verè probabilis, & viciſſim.* Pro hoc eodem aſſerto referri poſſunt omnes, qui periculum peccandi excludunt ab vſu opinionis probabilis *Texeda to.1.controu.Theol.mor.l.1.tr.2. controu. 9.Opinio probabilis*, inquit, *quodcumque malitiæ periculum, quod fortaſſis in ipſa re reperitur, ab ea aufert, & tollit.Ioannes Martinez de Prado to.1.Theol. mor.c.1.§.4.§.3.n.16.Ad illud, quod obijcitur de periculo, bene reſpondet Baptiſta, quod eſt periculum mali phyſici, non periculum mali moralis, & hoc periculũ poteſt ſubire homo ſine vllo peccato; quia idem periculum eſt, cum ſequitur homo opinionem probabiliorem: quia cum non ſit infallibilis, poteſt in re eſſe falſa. Acacius de Velaſco, Petrus de Ledeſma, Arauius, Ouiedus*, & alij. Dixi formaliter loquendo; quia vna opinio probabilis poteſt eſſe magis tuta altera materialiter, vt docent communiter Theologi cum *Caramuele in Apolog.de opin. probab.epiſt.4.nu.134.* ibi: *In materia ieiunij, ſicut multæ opiniones benignæ; multæ etiam ſunt duræ, & ſecuræ; & hæ materialiter loquendo ſunt tutiores.* Idem tamen Auctor in eodem *Apolog.de Probab.num.88.& in Reg.D.Benedicti num.61.* aſſerit opiniones benigniores per accidens eſſe magis tutas, quam ſtrictiores: & *cit. num.88.* id probat exemplo reſtitutionis reſpectu

auri,

Digitized by Google

auari, & *num.61. in Reg.* id probat exemplo ſententiæ requirentis attentionem internam, ad orationem vocalem, ex cuius praxi facilè committuntur multa venialia, quæ vitantur, ſi ſequamur ſententiam requirentem tantum attentionem externam; & in primo loco citato concludit: *Conſultò illud, per accidens, ſemper repono, quia hæc maior ſecuritas nonnaſcitur ex probabilitatis prædicatis intrinſecis, omnes enim opiniones probabiles quoad ſe æquè tutæ, ac ſecuræ ſunt; ſed naſcitur ex circumſtantijs adiacentibus, & extrinſecis, quæ ſtrictæ ſententiæ exactam praxim periculoſiorem nobis reddunt.* Aliud autem eſt in phyſicis, in quibus qui diſtat à fouea per quatuor paſſus, remotior eſt à periculo incidendi, quam qui diſtat per duos. Rationem aſſignant *Montenegro in ſuo itinerario l.5.tr.4.ref.2.nu.9.* & alij, quia in phyſicis periculum materiale, & formale incidendi non diſtinguuntur, ſecus in moralibus, vbi materiale peccati à formali diſtinguitur; qui enim operatur ex opinione certè probabili, prudenter operatur, & tutiſſimus eſt in conſcientia, quod ei peccatum non imputabitur, per iudicium reflexum.

Obijcies quintò. Imprudens eſt, qui ſe exponit ſciens volens periculo incidendi in latrones probabiliori, *Ambroſius in Pſal. 1.* Sicut & ſumens remedium probabilius ei nociturum, *S.Chryſoſt.hom.6. ſuper epiſt.ad Teſſal. S.Auguſtinus lib.de Baptiſmo c.3.& l.6 confeſſ.c.1.* Et qui vltrò ſe in altum puteum demitteret per funem, quem probabilius iudicaret, protinùs confractum iri: Ergo imprudenter aget, & ſic peccabit qui relicta probabiliori opinione, ſe probabili committet.

Confirmatur primò ex *D.Chryſoſtom. hom. 44. in Matth.* vbi ſic diſcurrit: *Si veſtimenta empturus gyras vnũ negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inueneris, & pretio viliori, ab illo comparas, an non oportet Populum circuire omnes Doctores, & inquirere, vbi ſincera veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?*

Confirmatur ſecundò. In negotio omnium maximo de ſalute animæ ea via ſectanda eſt, quam ſequuntur prudentiores huius ſæculi in negotijs temporalibus: Sed hi ſemper eligunt meliora, & tutiora: Ergo & omnes in ſalutis animæ negotio debent eligere probabiliorem.

67 Reſpondeo ad argumentum: Illud nòn impugnare noſtram aſſertionem. Nam ideò in prædictis caſibus imprudenter agit, quia ſe exponit periculo probabiliori, ſcilicet, adeundi ſaltum probabilius latronibus onuſtum; quin, ob eius cognitionem probabilem, quod ſcilicet inibi non exiſtant, non tollitur periculum incidendi in latrones: nam hoc non dependet à cognitione ipſius peregrini; ſed ab exiſtentia latronum, quæ non tollitur oppoſita eius cognitione probabili (imò nec probabiliori; & ſic argumentũ ſi conuinceret, conuinceret etiam contra tenentes poſſe ſequi probabiliorem etiam minus tutam) At periculum peccandi tollitur ex cognitione; & ſic qui cognoſcit ſe non peccare, non peccat; ſiue ſic cognoſcat per errorem inuincibilem, ſiue per cognitionem certam, ſiue per proba-

Digitized by Google

bilem. Idque euidenter oſtenditur; nam adhuc incideret in latrones exiſtentes, qui illos nullatenus cognoſceret; at non incideret in peccatum qui peccatum nullatenus aduerteret; vt non aduertit practice peccatum qui probabiliter operatur. Præterea ſi aliqui homines mihi dicerent, Siluam eſſe plenam latronibus, & deinde ego certò comperiſſem nullos eſſe latrones; nullum mihi timendum eſſet periculum, quia ſcientia ſubſecuta præualet teſtimonio illorum atteſtantium periculum. Sic ergo contingit in præſenti. Opinio probabilior dicit, ibi eſſe peccatum; ſed quia non excedit metus probabilitatis, incerta eſt. Eſt præterea apud me dictamen reflexûm moraliter certum, quod dum ſequor opinionem verè probabilem nullum eſt peccatum, nullum periculum peccati, vt ſæpè dictum eſt, & fuse infrà oſtendetur. Hoc ergo dictamen certum præualet opinioni probabiliori. Et idem dicendum eſt ad reliqua exempla, quæ aduerſarij obijciunt.

68 Ad primam confirmationem dico, quod locus *D. Chryſoſtomi* non eſt ad rem; quia S. Doctor non loquitur de concurſu opinionis probabilis cum probabiliori; ſed de concurſu prauæ opinionis Hæreticorum cum veritatibus ad Fidem, & religionem Catholicam pertinentibus, vt ex verbis immediatè præcedentibus liquet: Etenim agit de dogmatibus Fidei, quo tempore Ariana hæreſis graſſabatur; & ne Fideles *nutarent* in dogmatibus Fidei Catholicæ, præcipit, ne in re tanti momenti exponant ſe periculo errandi in Fide, vt circa dogmata Fidei conſulant meliores Doctores, ſic enim non incident in Doctores Arianos, quorum vita Doctrinam improbat. Et hunc eſſe legitimum ſenſum eius textus clarè conſtat ex ea dictione, *vbi corrupta*. Præcipit enim, vt inquirant, quinam ſint Doctores, qui tradunt ſinceram Chriſti doctrinam, & qui tradunt corruptam. Quod ſi textus ad rem noſtram accommodaretur, ſolum valeret inferri; nos opiniones corruptas in moribus, ſeù leuis, tenuis, ac dubiæ probabilitatis ablegare debere; & inuenire Doctores, qui ſoleant opiniones verè probabiles docere; vt & in quæſtione præſenti obſeruamus, dum meliores Doctores inuenire nequimus *Soto, Bannez, Medina, Aluarez, Gregorio, Martinez, Petro de Ledeſma, Tapia, Nider, Ioanne à S. Thoma, Maſtrio, Herinx, Reiffenſtuel, Sporer, Suarez, Vaſquez, Sanchez, Valentia, Molina, Leſſio, Corneio, Aragonio*, & ſimilibus. Et cum hos omnes Doctores gyrauerim, & circuiuerim, inuenio eos omnes me tutum reddere, dum ſequor, vel doceo opinionem probabilem, ſiue minus, ſiue magis probabilem; tamquam aptam ad praxim. Nec ſtatim *Fagnanus* nobis obijciat aſſertionem quorumdam docentium, tutum eſſe in conſcientia eum, qui propoſitum habet plures Doctores conſulendi, quouſque inueniat aliquem reſpondentem iuxta deſiderium ſuum. Nam in praxi iſtius doctrinæ opus eſt iudicio, & maturitate. Poteſt enim hoc ad praxim

xim reduci cum periculo errandi , & poteſt ſine illo . Nam ſi quis rectè ſciens , omnes Doctores , quos conſulit , eſſe omni exceptione maiores , & doctrinam omnem eſſe ſecuram ; poteſt multos conſulere , & ad praxim deducere eam conſultationem , quæ ſibi magis arriſerit. Quo pacto procedet ſine periculo errandi , maximè ſi hæc conſultatio ſit Doctorum , qui prælo ſua ſcripta mandarunt. In conſultatione verò Theologorum , quæ viua voce fit , ſolet plerumque errari , cum quis deſiderat reſolutionem ad ſuum placitum . Conſulit enim plures Confeſſarios , ex eo ſolum quod ſunt approbati ad confeſſiones audiendas : inter quos reperiuntur non pauci mediocris ſcientiæ , & doctrinæ ; & ſi conſultatio ſit non de caſibus ordinarijs, ſed de caſu aliquanto difficiliori , & minus ordinario ; per hoc non ſatisfacit ſuæ conſcientiæ , conſulendo qualeſcumque. Nam hinc oritur dubium practicum circa conſultationem ipſam ; atque adeo quærere debet conſultorem tutiorem , vel ſaltem tutum ; qui taliter ſapientia, & doctrina præſtet , vt non poſſit prudenter dubitari, an ſapiat, an deſipiat.

69 Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, concedendo libentiſſimè maiorem; & ad minorem dicendo, ipſam æquiuocatione laborare: nam ſi ſermo ſit de rebus in facto , quos eligunt , vt ſi æquali pretio poſſunt habere triticum purum , vel triticum cum milio , aut auena mixtum , vtique eligent triticum purum : verum tunc exemplum non eſt ad rem ; nam iſte non probabiliter cognoſcit triticum purum eſſe melius, ſed verè, & euidenter: quod non venit in opinione probabili, & probabiliori; ſi verò ſit de medijs, ſeu actionibus tantum conducentibus ad aliquem finem; nego homines prudentes ſemper eligere eas actiones, quę probabilius conducunt ad talem finem ſic, vt ſiſtat in exemplo tritici *Madernus* ait , quod prudentes in eo vendendo in Inſubria aliqui illud vendunt menſe Octobris , quo menſe ſeminatur , alij propè feſta Natalitia, & menſe Januarij, alij menſe Maij, alij partim menſe Octobris , partim menſe Ianuarij , partim menſe Maij : & tamen omnes prudenter cenſent hoc facere , & deſiderant lucrum maius : prudenter faciunt , quia communiter illis temporibus plus valet ; verùm cum hoc ſit tantum probabile, & aliquando eueniat contrarium, non per hoc dicuntur imprudentes ſic operando : ita & in negotio ſalutis animæ dicendum eſt.

Obijcies ſextò. Cum probabilitas imbibat prudentiam , probabilior opinio eſt prudentior : ſed omittere id , quod eſt prudentius in aliqua materia , quando cognoſcitur , & aduertitur , non eſt licitum : Ergo &c. Probatur minor. Velle in aliqua materia minus prudenter procedere , cum poſſit prudentius , eſt ſignum animi parum firmi in bono , & exponentis ſe periculo deficiendi : Ergo &c.

70 Reſpondeo negando minorem: ad cuius , probationem dico cum *Ioanne à S. Thoma* 1.2.q.18.d.12.ar.3.n.12. quod hoc non eſt ſignum animi

parum firmi : ſiquidem habet ſufficientem firmitatem qui prudenter operatur, licet non habeat maximam firmitatem Et aliquis non tenetur ſequi, quod prudentius apparet,neque ex parte rei cognitæ, aut volitæ,neque ex parte modi cognoſcendi ; id eſt neque ex parte melioris medij ad aliquem finem ; quia poteſt eligere medium ſufficiens & vtile , nec tenetur ſemper eligere vtiliſſimum , & optimum : neque ex parte directionis ſeu modi cognoſcendi ; quia non tenetur quis eſſe prudentiſſimus, & maiori claritate, vel ſcientia procedere ; dummodò ſufficienti prudentia vtatur ; ita vt temerariè , & imprudenter non procedat.

Obijcies ſeptimò: Prudentia non poteſt dictare aliquid agendum, niſi per regulam veram : ſed in materia probabili , in concurſu probabilis , & probabilioris , ſola probabilior eſt regula vera , non probabilis : Ergo ſolam probabiliorem dictat eligendam Prudentia, non probabilem;& conſequenter &c. Maior patet ex *Ariſtotele 6. Ethic cap.6.* Probatur minor. Omne verum , vel apparet euidenter tale , vel exiſtimatiue : ſed probabilis in concurſu probabilioris non apparet euidenter vera , neque exiſtimatiuè, quia non habet media conducentia ad hanc exiſtimabilitatem, ſed ſola probabilior : Ergo nullo modo apparet vera , ſed falſa.

71 Reſpondeo negando minorem ; ad probationem nego minorem; licet enim probabilior habeat media , quæ in æſtimatione apparent magis recedere à falſo : per hoc tamen non ſequitur , probabilem non habere media , quæ æſtimatiue , & non leui apparentia recedant à falſo : nam & ipſa habet ſua firma fundamenta quibus ſuadetur ; & cum clarè non poſſimus cognoſcere , quænam in re ſit vera , probabilis ne , an probabilior ? tam poteſt eſſe , quod probabilis ſit vera in re , quam probabilior , vel è contra.

Corneius idem cenſet procedere , quamuis exceſſus probabilitatis fuerit notabilis ; ad huc enim cenſet , relicta hac probabiliori , cum exceſſu notabilis , ſeu longe probabiliori , poſſe quem amplecti probabilem. Ego tamen ſententiæ oppoſitæ *Henrici in quolib.4.q.33.& Sylu.V.dubium qu.2.* album calculum adijcio : quando enim , & quandiù mihi aliqua ſententia videtur longè probabilior , contrariam plus quam tenuis probabilitatis exiſtimare nequeo.

Obijcies octauò . Eſt apertum ſophiſma : Omnis homo poteſt ſaluus fieri : Iudas cum peccato eſt homo : Ergo cum peccato poteſt ſaluus fieri: Ergo pariter erit ſophiſma : Opinio probabilis eſt honeſta , & ſufficiens regula morum : Sed opinio minus probabilis in concurſu probabilioris eſt probabilis : Ergo eſt regula morum.

71 Reſpondeo in argumento antecedentis adeſſe quidem ſophiſma : quia certiſſimum eſt , quod homo non poteſt ſaluus fieri ſine gratia Dei , Iudas autem cum peccato eſt homo , ſed ſine gratia ; & ideo non poteſt ſaluus fieri, ſicuti etiam eſt ſophiſma illud aliud : Omne aſtrum lucidum po-

poteſt noſtrum hemiſphærium illuminare: Sol dum eſt apud Antipodas eſt aſtrũ lucidum: Ergo poteſt noſtrum hemiſphęrium illuminare; nam euidens eſt, quod Sol dum eſt apud Antipodas nõ poteſt noſtrum hemiſphęrium illuminare, quia impeditur terræ opacitate. At hoc non euenit in concurſu probabilis cum æque probabili, aut probabiliori: nam cum tam probabilis, quàm probabilior non ſint euidenter certæ: etenim ſi vna earum certa eſſet, vtique deſtrueret aliam; ſicuti, quia certiſſimum eſt peccatum deſtruere gratiam, poſito peccato in aliquo ſubiecto, tale ſubiectum non eſt aptum ad gloriam; ita ſi certum eſſet, probabiliorem eſſe veram à parte rei, alia non eſſet amplius probabilis, ſed eo ipſo eſſet improbabilis, & falſa; at verò cum ſit tantum probabilis, nec per hoc quod propoſitio ſit probabilior, extrahatur à natura probabilitatis, vna non deſtruit aliam; cum probabilitas ex eo, quod non conuincat intellectum, det locum alteri, vt ipſa etiam ſit probabilis.

Obijcies nonò ex Sacris Canonibus, in quibus Pontifices ſemper eligunt, quod probabilius, & tutius eſt; vt *c. Capellanus de Ferijs*, vbi Clemens III. ſequitur opinionem, quia ſubtiliòri, & firmiori nititur ratione: *c. cum Marthæ, de celebr. miſſ. §. queſiuiſti etiam*, vbi Papa dicit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari: & can. de quibus d. 20.* vbi Innocentius docet, quomodo ſe gerere debeat quis in ſolutione alicuius dubij, ſic definiens: *De quibus cauſis ſi nulla ſoluendi, ligandique auctoritas in libris veteris Teſtamenti, quatuor Euangeliorum cum totis ſcriptis Apoſtolorum appareat, ad diuina recurre ſcripta Græca: ſi neque in illis, canones Apoſtolicæ ſedis intuere; ſi neque in illis, ad Catholicæ Eccleſiæ hiſtorias catholicas à catholicis Doctoribus Scriptas manum mitte: ſi nec in illis, Sanctorum exempla perſpicaciter recordare. Quod ſi omnibus his inſpectis, huius quæſtionis qualitas non lucidè inueſtigatur; ſeniores Prouinciæ congrega, & eos interroga: facilius namque inuenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur, verus enim repromiſſor Dominus ait, Si duo ex vobis, vel tres conueniant ſuper terram in nomine meo, de omni re, quacumque petierint, fiet illis à Patre meo.*

Confirmat *Fagnanus nu. 270.* Iura expreſsè determinant, in varietate opinionum eligendam eſſe magis probabilem: *Clem. vn. §. fin.* ibi: *opinionem ſecundam tamquam probabiliorem, &c. duximus eligendam, de ſum. Trin. & Fide cath.* ſubdit *Fagnanus*: *Vnde ille textus efficaciter probat, rationis, & iuris eſſe vt in contrarietate opinionum præualeat probabilior, & ſolidioribus argumentis vallata.*

73 Reſpondeo ad argumentum cum *Maderno*, & alijs ex *c. Cappellanus*, & *c. cum Marthæ* deduci, vel primò nihil agendum eſſe, niſi firma ratione, quod veriſſimum eſt; vel ſecundò, quod in dubijs tutior pars ſit ſequenda: quod etiam certiſſimum eſt, quando dubia verè ſunt dubia; & hoc ſummum probat etiam *c. Significaſti, c. ad audientiam de homicidio, &c.* inue-

iuuenis, de ſponſalibus, dum ex illis dicitur, In dubio tutior pars eſt eligenda: Vel tertiò eſſe conſilium ſequi opinionem probabiliorem, cum ſic fecerint prędicti Summi Pontifices. Cęterum ex his teſtibus, & pręcipuè poſtea ex *c. litteras de reſtit. ſpoliat.* colligitur, quod per hoc, quod vna propoſitio ſit probabilis, vel probabilior, non tollitur probabilitas contrariæ: nam in *d. c. relatis varijs ſententijs, & opinionibus* dicit: *Nos autem ad præſens nullam de prædictis ſententijs reprobamus: nec cuiquam eorum aliquod præiudicium, ex noſtra reſponſione volumus generari.* Ad *can.* autem *de quibus d. 20.* dico, quod ex tali canone clare colligitur quænam ſit opinio probabilis; nam non debet eſſe contra Scripturam vel veteris, vel noui teſtamenti, non contra definitiones ſedis Apoſtolicæ, aut Conciliorum, aut bona exempla Sanctorum, ſed debet eſſe de conſilio ſapientum, ſaltem duorum, vel trium, vt conſtat ex dictis Chriſti. Cum igitur habeamus, & firmis rationibus, & conſilio penè innumerabilium Doctorum nos poſſe ſequi opinionem verè probabilem, relicta probabiliori, ex dicto Canone clarè colligitur, nos poſſe ſequi illam opinionem, quæ ratione firma, & plurium Doctorum auctoritate fulcitur.

Ad confirmationem dico, non dubitare, quod ſit expediens ferè ſemper eligere opiniones probabiliores, etiam ſpeculatiuas; quinimò Doctores, qui vnam opinionem eligunt defendendam ſolent eligere, quam cenſent probabiliorem. Sed numquid propterea Concilium prohibet minus probabiles eligi? Neque enim damnatur à viris prudentibus Doctor ille, qui defendit opinionem verè probabilem, & à Doctoribus magnis approbatam, licet oppoſita communiter cenſeatur probabilior. Et maximè in opinionibus practicis, quarum vſus frequentiſſimus occurrit, in quibus eſt difficile diſcernere probabilioritatem. Dicendum ergo eſt, ex ea Clementina colligi expedire, quod eligamus etiam in ſpeculatiuis opiniones probabiliores; ſed in ea non prohiberi (maxime in practicis, de quibus non loquitur ea Clementina) electionem opinionis minus probabilis in ordine ad praxim.

Obijcies decimò *D. Auguſtinum* relatum *in c. Canonicis 19. d.* ibi: *In illis Scripturis* (verba ſunt *Fagnani*) *quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas eas eſſe, quas plures, grauioreſque recipiunt, eis, quæ pauciores, minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent.*

74 Reſpondeo; hunc textum *S. Auguſtini* eſſe optimum ad probandum, quod in quæſtione facti ſemper attendendum eſt ad meliores probationes, fortioraque teſtimonia. Nam cum teſtimonia vtrinque ſint paris auctoritatis, non pariunt probabilitatem, ſed dubium.

75 Alia argumenta, præſertim quę ducit *Fagnanus* ex abſurdis, non militant contra noſtram ſententiam de regulato vſu probabilitatis. Nam ductum ex abſurdo de Medico, iam ſupra vidimus quid in eo dicendum ſit. Similiter ductum ex abſurdo de iudice, iam in *comment. ad propoſ. præceden-*

Digitized by Google

cedentem ſatis: Ductum ex abſurdo de Principe gerente bellum ex opinione minus probabili, quamuis valdè exaggeret; non eſt contra nos; qui cum *Ioanne à S. Thoma cit. d. 12. ar. 5.* & alijs defendimus, quod circa indictionem belli, & proſecutionem eius non poteſt Princeps vti opinione probabili, ſeù minùs ſecura relicta probabiliori, & ſecura, excepto, ſi bellum ſit verè & propriè defenſiuum, cui ſuffragatur poſſeſſio ipſa Principis circa ius ſuum ad tale Regnum, vel Ciuitatem, aut terram. Nec etiam propono argumenta Riccij hic, quæ ex dictis eneruata remanent.

§. QVINTVS.

Reſoluuntur quædam quæſita ad completam notitiam probabilitatis.

QVæritur hic primò. Vtrum ad licitè operandum requiratur iudicium moraliter certum de non peccato?

75 Reſpondeo affirmanter: ſeù, vt quis licitè operetur, debet eſſe moraliter certus de honeſtate actionis, ſe, ſcilicet, in tali actione non peccare, idque ſufficit. Ita cum *D. Thoma, Adriano, Nauarro, & Corduba, Suarez 1. 2. d. 12. ſect. 3. nu. 2. Caiet. Leſſius, Granadus, Bardi, Arriaga, Franc. Bonæ Spei, Ioannes Martinez de Prado Ouiedus, Malernus, Sporer, Tirillus*, & alij quos refert, & ſequitur *Honoratus Fabri de opinione probab'li*. Ratio eſt, quia nemini licet ſe ponere periculo probabili peccandi: Sed qui operatur ſine certitudine de honeſtate operationis, hic & nunc exercendæ, ſe exponit periculo probabili peccandi: Ergo nemini licet operari ſine tali certitudine. Maior eſt certa. Minor probatur: Nam quod eſt tantum probabile, poteſt non eſſe verum à parte rei; & ſicut eſt probabile quod non peccabo eliciens talem actionem, eſt etiam probabile, quod peccabo: Ergo non ſum tutus à peccato. Confirmatur. Dictamen rectæ conſcientiæ, eſt dictamen prudentiale à virtute prudentiæ elicitum: Sed dictamen prudentiale debet eſſe certum certitudine ſaltem morali excludente omnem formidinem, quod opus non ſit honeſtum, vt ex *Ariſtotele* docent communiter Doctores; & quia dictamen rectæ rationis debet conformari legi æternæ tamquam primæ regulæ, vt ait *S. Thomas 1. 2. q. 19. ar. 6.* Ergo &c.

Porrò duplex dictamen in conſcientia conſiderari debet, aliud remotum, & directum, quod elicitur ex principijs directè probantibus: V. g. hunc contractum non eſſe vſurarium, nec prohibitum; quod quidem iudicium, ſi errorem vincibilem contineat, nempe ſtudio, & diligentia ſuperabilem, non erit probabile, ſed erroneum in ſe, & peccatum. Si verò præfatum iudicium probabile ſit, & ideò ignorantiam inuincibilem forſan falſi-

falſitatis inuoluens, licèt erroneum impropriè dicatur, ſi falſitatem inuoluat, non tamen eſt peccatum, & deponi non debet, (vt aſſerit *D.Thomas cit.q.17.de ver.ar.4.ad 4.*) De iſto igitur dictamine directo, & remoto: quod ſpeculatiuum appellamus, non aſſerimus eſſe neceſſario verum, & euidens: repugnat enim certitudo, & euidentia cum falſitate, vt ex terminis patet. Dicimus verò (vt cum pluribus loquamur) ab hoc iudicio denominationem ſortiri. Vocatur enim conſcientia recta, ſi verum, & erronea, ſi falſum dictet; vincibilis, vel inuincibilis, iuxtà qualitatem ignorantiæ; licet propriè loquendo non ſit dicenda conſcientia erronea, ſed probabilis, quando iudicium licet falſum, cum rationabili motiuo, ſeù fundamento concipitur, vt benè ait *Honoratus Fabri dial.1.de probabilitate: Et opinionem probabilem,* & ſi in re falſam, ineptè vocari errorem, ait *Eſparza in cit. Appendice ar.162.* Verum vltra hoc remotum,& directum iudicium datur aliud proximum, & vltimum practicum, deductum ex actibus reflexis habentibus pro obiecto iudicium illud directum, & certo & euidenter enunciantibus, contractum E.g.fuiſſe in mente rectè & prudenter repræſentatum, vt licitum: Quod ita eueniſſe veriſſimum eſt, licèt iudicium directum prudenter imperatum falſum eſſe, ex errore inuoluntario, & inuincibili contingat. Vndecum incertitudine, & ſola probabilitate de honeſtate obiectiua contractus, ſtat certitudo & euidentia de honeſtate electionis illius. Cognitio enim hæc intercedens (vt rectè *Card.Pallauicinus to.1.in 1.2.d.9.ſect.4.*) non ſolum eſt metaphyſice impoſſibilis, ſed metaphyſicè euidens: ſi enim non haberet hanc euidentiam, eſſet coniungibilis cum aliqua formidine oppoſiti: atque adeo cum hoc actu: Fortaſſe hic & nunc id non placet, ſed diſplicet Deo, ac proinde fortaſſe hic & nunc per hunc actum ego puto; ſed operari cum hac formidine eſſet intrinſecè malum: Ergo operari ſine conſcientia metaphyſice euidenti, eſt intrinſecè malum.

77 Hæc autem certitudo aliquando håbetur ex eo, quod operans eligat opinionem moraliter certam, vel ex eo quod operatur ſecundum legem, & ſecundum conſuetudinem communiter receptam in Eccleſia: vt ſi in adminiſtratione,& confectione Sacramentorum vtatur materia & forma præſcripta ab Eccleſia, cum debita intentione, ſi ſit in opinione, an quis debeat aliquid reſtituere, nec ne, actualiter reſtituat; in his enim actionibus tam ex parte materiæ, quam ex parte actionis operans certus eſt non peccare: ſi vero operans eligat opinionem probabilem ponderando motiua, videndo ſe facilè poſſe ſoluere argumenta contraria,& cognoſcendo ſe habere grauia motiua pro electione talis opinionis, prudenter operatur; eo autem ipſo, quod quis prudenter operatur, certus eſt, imò habet euidentiam, ſe tutiſſimè operari, & non peccare. Et licèt ſit tantum opinio probabilis, quod quis poſſit eligere opinionem probabilem; nihilominus, ſi ſemel acceptatur, & prudenter eligatur tamquam re-

regula operationum, implicat talem operationem eſſe malam, ſed ſemper erit talis operatio bona. Etenim aliud eſt, quod operans poſſit errare materialiter circa obiectum, iudicando bonum, quod re ipſa malum eſt; aliud eſt, quod poſſit errare circa operationem, exiſtimando facere actionem bonam, & re ipſa faciendo actionem formaliter malam. Primum poteſt ſequi; at ſecundum eſt impoſſibile ſequi; quoniam eo ipſo quod prudenter operatur, excludit omnem malitiam ab operatione: Excluſa autem malitia, certum eſt non peccare. Hinc hæc propoſitio, E.g. *Huic pictori licet pingere in die feſto*, fit certa reflexè, quia reflectit motiuum probabile eſſe rationabile, & prudens: Vnde reflectit ſupra ipſum motiuum intrinſecum, ſed vt à ratione, & prudentia directum; vt patet in hoc argumento, quod iudico demonſtratiuum: Omnis aſſenſus à prudentia regulatus certiſſimus eſt, & tutiſſimus in conſcientia: Sed huic pictori licitum eſſe pingere in die feſto, cum ſit aſſenſus probabilis, eſt à prudentia regulatus: Ergo huic pictori licitum eſſe pingere in die feſto certiſſimum eſt, & tutiſſimum in conſcientia. Hic loquor de homine docto; nam quomodo idiota, & indoctus debeat, & poſſit licitè operari, dixi in *Lapide Lydio in comment. ad propoſ. 27.*

78 Quæritur Secundò. An is, qui in ea eſt opinione, vt probabilius reputaret, non licere opinionem minus probabilem ſequi, adhuc poſſit noſtram ſententiam ad praxim deducere?

Reſpondeo affirmanter cum *Sanchez l. 1. ſum. c. 9. num 17. Sporer*, & alijs: Quia exiſtimans minus probabilem noſtram ſententiam, adhuc retinet iudicium probabiliter dictans hoc eſſe licitum: & poteſt habere vltimum reflexum omninò certum, iuxta ſupradicta.

79 Quæritur Tertiò. An liceat ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, non ſolum in vita, ſed etiam in morte?

Reſpondeo affimanter cum *Sancio in Select. d. 19. num. 8. Diana p. 2. tr. 13. reſ. 9. Renzi*, *Longo*, *Gobat*, & alijs contra *Henriquez*, *& Thomam Sanchez*. Ratio eſt, quia licite poſſumus ſequi ſemper quod eſt conforme rationi, vt eſt certe probabile. Vnde *Petrus de Ledeſma de Pœnit. c. 20 concluſ. 4. dub. 6.* cenſet improbabile, quod quis teneatur in articulo mortis in confeſſione exprimere, quod antea poterat tacere. Intellige, dummodò aliunde non proueniat maior obligatio; nam licet quis V.g. poſſit licitè confiteri attritione ſupernaturali cognita in vita: tamen in morte debet conari ad habendam contritionem, vt docent valde probabiliter *Suarez de Pœnit. d. 14. num. 18. Zambranus*, *Valen. Conimbus*, *Zerola*, *Sanchez*, *Filliucius*, *Tannerus*, *Bonac.* *Granadus*, *Præpoſitus*, & alij, moti, quia tunc concurrit alia obligatio, nempè charitatis, procurandi ſcilicet negotium ſalutis modo tutiori, quo poſſumus, vbi caſus eſt irreparabilis: per contritionem autem ſic procuratur negotium ſalutis tunc; nam poſſet contingere, quod vel Sacerdos abſoluens non eſſet verè Sacerdos, defectu V.g. validi bap-

Digitized by Google

ptiſmi, vel ordinis, vel intentionis, aut quod pœnitens non eſſet validè baptizatus, &c. vndè per contritionem tunc ſuæ ſaluti conſulit. Non improbo tamen ſententiam contrariam *Becani, Laymani, Fagundez, Philippi Fabri, Luſij Turriani, Salas, & Dianæ*, quos refert & ſequitur *Card. de Lugo de Pœnit.d.7.ſect.13.num.263. Hetinx d.2. num.19. Gabr.d S.V. de Pœnit.d.2.q.11. Caſtropalai*, & aliorum docentium, non teneri moribundum ſequi ſententiam tutiorem de contritione habenda, dummodo moraliter certus ſit de attritione vera, & ſupernaturali cognita. Quia non quæcumque contingentia probabilis ſufficit ad inducendam obligationem rigoroſam ſub peccato mortali: etenim in rebus maximi momenti, neque obligatur quis ad exquiſitam, & metaphyſicam diligentiam, ſed ad humanam, & moralem. Vndè quamuis negotium ſalutis æternæ ſummi momenti ſit, & in qua nulla prudens diligentia ſuperflua videri debet; non tamen obligat, niſi ad humanam, & moralem diligentiam, quæ nimirum ſufficiat ad excludendum morale, & humanum dubium. Hinc eſt, vt licet Baptiſmus ſit medium vnicum ad ſalutem æternam infantuli morientis; ſi tamen Parochus, vel eius mater fide digno teſtetur, quod eſt baptizatus, non poteſt ad maiorem ſecuritatem baptizari iterum ſub conditione talis paruulus, adhuc animam agens; quia licèt poſſibile ſit, in genere loquendo, quod mentiatur Parochus, vel mater; non tamen habemus fundamentum ſufficiens ad dubitandum moraliter, quod hic & nunc id contingat: quia exiſtimatur humana certitudo ſufficiens, vt non debeamus nec poſſimus certius remedium quęrere ad aſſecurandum magis ęternam ſalutem illius paruuli. Hinc etiam eſt, non obligari peccatorem ad confeſſionem, vel contritionem ſtatim poſt peccatum mortale commiſſum; quia licèt in genere loquendo aliqui ſubitò moriantur abſque ſpatio pęnitentię conceſſo, hic tamen homo hic & nunc non videtur habere tale periculum humanum, nec ratione illius dicetur exponere ſe periculo moriendi in peccato mortali.

80 Aliqui, quia docent cum *Suario to.4.in 3.p.d.22.ſect.9.num.5.& 6. & Sanchez l.1.ſum.c.10. num.79.* non teneri quem in vita fateri in confeſſione peccatum, quod probabili opinione credit non eſſe mortale, licèt æquè probabile credit oppoſitum, & idem docent etiam ſi probabilius putet peccaſſe mortaliter; quod certum exiſtimat *Tambur.l.2.meth.confeſſ. c.1.§.3.num.9.* idem procedere in morte volunt, nempè neque in morte teneri illud peccatum mortale probabiliter commiſſum confiteri. Ita *Renzi to.1.l.1.tr.2.c.2.quæſ.7.& 9.& Verricelli to.1.tr.2.q.28.* Ex oppoſito *Merolla to.1.d.3.c.1.num.116.* & alij nec in vita talem ſententiam admittunt, & hanc ſententiam negatiuam appellat *Barnabas Gallega tr.de conſc.probabili dub.8.* communem, et veram. At reſolutoriè dico, quod qui habet rationes vtrinque æquè probabiles pro exiſtentia, & pro non exiſtentia peccati; teneri confiteri peccatum, in ſententia communi; quod peccata du-

Digitized by Google

dubia confitenda ſunt; quia in quæſtione de facto intellectus manet dubius quoties non videt fortiorem rationem pro vna, quam pro altera parte contradictionis. Sic contingit Iudici in cauſa, in qua vnus teſtis ſtat pro vna parte, & alter teſtis æqualis auctoritatis pro altera: qui Iudex omninò hæret dubius, niſi pro altera aliæ probabiles coniecturæ accedant. Nihil autem agnoſco, in quo differat intellectus delictum proprium inquirens, à Iudice inquirente alienum delictum, ſi in vtroque caſu motiua æquè probabilia vtrinque cócurrant. Si autem pro vtraq; parte ſint motiua probabilia, ita, vt probabilius ſit pro exiſtentia peccati, quã pro non exiſtentia, conſiderandus eſt exceſſus; ſi iſte per ſe probabilitatem facit, hæc pars manet probabilis, non oppoſita; quia vbi exceſſus non eſt leuis, ſed probabilitatem facit, iam aſſenſus poteſt eſſe intellectus de non peccato ex probabiliori motiuo. Quod ſi detur motiuum probabile pro non exiſtentia peccati, nullum autem tale pro exiſtentia illius, non tenetur homo confiteri illud, quia tunc homo poteſt non eſſe dubius, & poteſt aſſentiri probabilitati, vel per propoſitionem abſolutam aſſerentem, *Non peccaui*: vel per propoſitionem modalem aſſerentem, *Probabile eſt, quod non peccaui*. Et vtrouis modo aſſentiatur, non tenetur confiteri, quia poteſt ſe accommodare ei probabilitati. Porro etiam ſi adhæreas ſententiæ *Caramuelis, Antonij à Spir.Sancto, Ferrandini*, & aliorum docentium non adeſſe onus confitendi peccata dubia; adhuc fateri debes, eum, qui dubitat, aut probabiliter credit non peccaſſe, aut eſſe confeſſum, teneri nihilominus elicere actum contritionis in articulo mortis, niſi præceſſerit aliorum peccatorum confeſſio, aut contritio; imò & teneri confiteri, ſi dubitet de ſua contritione caſu, quo ſola contritio præceſſerit. Quia licèt opinio probabilis excuſet à præcepto diuino integritatis confeſſionis, non ſupplet medium neceſſarium ad ſalutem, qualis eſt remiſſio peccati, ſi fortè fuerit commiſſum. Ergo ne quis ſe exponat periculo damnationis, tenebitur medium aſſumere, quo ſuam iuſtificationem certam faciat, ac proinde vel aliorum peccatorum confeſſionem præmittere, qua indirectè remittatur peccatum, (ſi forſan commiſit) quod ex opinione probabili deſiniit confiteri, vel actum contritionis elicere, in quo includitur votum conditionatum confitendi, ſi aliquando ei innotuerit illud peccatum fuiſſe commiſſum, & non confeſſum. Nec iſti ſufficeret accipere Euchariſtiam cum ſola attritione; nam licèt ſententia *D.Thomæ*, & aliorum doceat, hunc virtute Euchariſtiæ accipere primam gratiam, ſi forte mortale commiſerit non confeſſum, & hæc ſententia ſit probabilior, tamen non eſt certa; quæ ſi falſa ſit coram Deo, medium neceſſarium ad ſalutem ſupplere non poterit. Ita *Fagundez, Sanchez, Aueſa, Henriquez*, & alij, quos ſequitur *Ioannes Martinez de Prado to de Pœnit. qu.84. dub.4. §.6. num.47.*

81 Quæritur quartò. An regula illa; quod quis non poſſit ſatiſfacere de-

debito certo per ſatisfactionem probabilem, quæ affertur à Doctoribus, ſit indiſtinctè vera?

Reſpondet *Merolla to. 1. d. 3. c. 4. num.* 112. eſſe differentiam inter debitum ex liberali promiſſione, & debitum ex contractu oneroſo; vt ex contractu venditionis, locationis, mutui, &c. aut ex furto. Nam ſi quis ex promiſſione merè liberali factus ſit alicui debitor, & poſtea habeat opinionem probabilem, ſe illi debito ſatisfeciſſe, & nulla adeſt probabilis opinio de oppoſito, non tenetur iterum ſoluere debitum; quamuis opinio illa, quod ſatisfecerit, non excludat omnem formidinem, etiam ex parte ſubiecti; ſecus verò, quando debet aliquid ex contractu oneroſo, aut ex furto; tunc enim, vt ex obligatione contracta liberetur, non ſufficit quælibet opinio probabilis de ſatisfactione, ſed requiritur talis, ac tanta probabilitas, quæ faciat certitudinem moralem, hoc eſt, vt omnem formidinem ex parte ſubiecti excludat: Rationem diſparitatis aſſignat: quia ex promiſſione liberali non oritur tam exacta, & rigoroſa obligatio iuſtitiæ ad ſoluendum debitum, ſicut oritur ex contractu oneroſo, vel ex furto: Æquitas enim minimè patitur, vt quis eo rigore exigat nummos ſibi ex beneuolentia, & liberalitate promiſſos, ac ſi ex cõtractu oneroſo, vel ex furto deberentur; vnde *in c. ex parte, de cenſibus*, habetur, liberaliter oblata benignè exigenda eſſe. Et hac ratione multò minor cenſetur iniuria, ſi non ſoluatur debitum ex liberali promiſſione; cuius ſignum eſt, quia multo grauius conqueruntur homines, ſi eis non ſoluatur debitum ex contractu oneroſo, aut ex furto; & merito, quia tunc agitur de damno vitando; in adimpletione vero promiſſionis liberalis agitur tantum de lucro captando. Addit idem Auctor, quod hæc minor probabilitas, quæ ſatis eſt in debito ex promiſſione, ſufficit etiam in debito legali, ſeù ex præcepto ſuperioris: vnde ſi quis habeat probabilitatem ſe præcepto ſatisfeciſſe, & de oppoſito non habet rationes probabiles, non tenetur iterum implere præceptum: quamuis ea probabilitas non ſit tanta, quæ faciat moralem certitudinem: quod ſi etiam de oppoſito habeat probabilitatem, tenetur iterum implere; quia tunc in pari caſu, præſertim in quæſtione facti melior eſt conditio præcepti poſſidentis, *reg. in pari de reg. iur. in 6.* Ita ſatis probabiliter *Merolla*.

At etiam ſatis probabilem puto ſententiam aliorum, qui docent etiam in debito ex contractu oneroſo ſufficere motiuum probabilius de ſatisfactione, quamuis hoc non excludat omnem formidinem; iuxta ea, quæ dicam in *comment. ad Propoſ.* 37.

Hinc primò, certus de voto, ſi probabilius exiſtimet, ſe executum votum, non tenetur exequi, præſertim quia votum eſt promiſſio liberalis. Ita *Piſtachius tr. 1. de voto c.* 10. *num.* 10. *Layman*, & alij. Secundò, quando eſt certum, mortale aliquod peccatum fuiſſe commiſſum, & ſunt hinc inde motiua probabilia, an fuerit explicatum in confeſſione, vel non, de-

debet neceſſario in confeſſione explicari. Ita *Merolla l.c. num.* 117. alijque, contra *Renzi Tamburrinum*, & alios; qui putant, non teneri iterum in confeſſione aperire, etiam ſi minus probabile ſit, illud peccatum eſſe confeſſum: quod caret omni probabilitate. Tertiò, per applicationem factam poſt vtramque conſecrationem, non ſatisfieri obligationi iuſtitiæ pro ſtipendio recepto; quia obligationi certæ ſatisfieri non poteſt per ſolutionem ſolum probabilem. Ita *Paſqualigus q.* 163. *Toneldus in Enchir. l.* 2. *tit.* 7. *rub.* 3. *num.* 2. & alij: quamuis admittant vt probabile oppoſitum *Tambur. l.* 2. *meth. miſſæ c.* 1. §. 105. *Gobat tr.* 3. *nu.* 168. & alij. Quod admitti poteſt ſolum, ſi probabilius putet etiam conſumptionem pertinere ad eſſentiam Sacrificij.

82 Quæritur quintò. An licitum ſit viro docto, à quo illiteratus aliquis conſilium petit, conſilium præbere contra ſuam ſententiam, ſequendo alienam, quam minus probabilem eſſe putat?

Reſpondeo affirmanter. Ita *Vaſquez* 1. 2. *d.* 62. *c.* 9. *num.* 47. *Salas ibidem q.* 21. *tr.* 8. *d.* 1. *ſect.* 6. *num.* 69. *Sayrus l.* 1. *c.* 6. *num.* 11. *Sanchez l.* 1. *ſum. c.* 9. *num.* 17. *Merolla l.c. num.* 34. *Caſtropalaus to.* 1. *tr.* 1. *d.* 2. *pu.* 3. *Tamburinus l.c. de col. c.* 3. §. 4. *num.* 15. alijque; quia ſi ipſimet licet hanc opinionem ſequi, cur non licebit etiam alijs conſulere?

Hinc fit, poſſe licitè Confeſſarium conſulere pœnitenti contra propriam opinionem probabiliorem, ſequendo alienam minus probabilem. Imo (vt benè aſſerunt *Sanchez*, & *Merolla locis relatis*) prudenter facit quandoque minus probabilem conſulendo, quando probabiliorem difficiliorem fore pœnitenti iudicauerit: quia ſic infirmitati eius proſpicit, & peccandi periculum in eo cauet, quod docuit etiam *Becanus*, *de actibus humanis q.* 8. *num.* 16. Ex quo etiam ſequitur, poſſe confeſſarium, vel alium virum doctum à quo conſilium petitur, modò iuxta vnam, modo iuxta contrariam opinionem conſulere. Ita *Vaſquez l.c.* qui tamen addit, melius eſſe in præbendo conſilium ſemper ſequi opinionem propriam, præſertim cum quis conſilium præbet in ſcriptis, ne varius deprehendatur. At hæc varietatis deprehenſio (vt notant *Sanchez*, & *Merolla* vbi ſupra) poterit facilè vitari, ſi conſulens, ſiue verbo, ſiue ſcripto aſſerat: *Quamuis contraria opinio probabilior ſit, banc quoque tanquam probabilem poſſe tuto amplecti:*

Limitatur tamen hoc: vt tunc poſſit vir doctus, relicta propria opinione, quam probabiliorem credit, iuxta contrariam probabilem alterius Doctoris conſulere, quando petentem conſilium eximit ab aliqua obligatione, ſecus verò quando ipſum condemnat vel ad reſtituendum, vel ad aliquid aliud ſimile: nam conſulens doctorem, non de aliorum, ſed de ipſiuſmet opinione interrogat; atque ita ficta ipſius auctoritate illum condemnat: qui ſi ſciret, illam non eſſe ſuam opinionem, non reſtitueret. Ita *Vaſquez l.c.* & *d.* 63. *c.* 3. *num.* 14. *Salas l.c. ſect.* 9. *num.* 85. *Filliuc. to.* 2. *tr.* 21.

c. 4.

Digitized by Google

c.4.nu. 149. *Turrianus opuſc. de conſcientia dubia d.4. dub.1. verſ. tradita vero, Diana tr. de opinione probabili reſ. vlt. in fine, Merolla l.c. num.37. & ſeq. Tambur. l.c. num.*15 qui hinc reprehendit indoctos Confeſſarios, qui ſemper *putant ſe bene facere obligando* pœnitentem ad reſtitutionem; quia ſemper eſt tutius: nam limitationem reijciunt *Sanchez l.c. num.*21 & *Renzi to.*1. *tr.*2.*c.*2.*quæſ.*13. putant enim, quod vir doctus poſſit conſulere iuxta opinionem minus probabilem etiam obligantem petentem ad aliquid; niſi expreſſe petat, vt conſulat iuxta propriam ſententiam. Hanc tamen ſententiam non approbo, ſed limitationem poſitam, regulariter loquẽdo: nam per accidens in aliquo caſu particulari poſſet Doctor conſilium præbere contra propriam opinionem, iuxta probabilem opinionem aliorum; vt ſi propria opinio excuſans à reſtitutione, non excuſaret à peccato, ne detur occaſio petenti conſilium iterum incidendi in peccatum illud; vel ſi opinio illa doctoris ſit ita ſingularis, vt fortè ſcandalum generare poſſet.

8. Quæritur Sextò. An vir doctus in publico docere poſſit opiniones probabiles, prætermiſſis probabilioribus.

Negat *Becanus l.c. num.*14. qui dicit, Præceptorem teneri docere ſententias, quas credit eſſe probabiliores, & adhibere moralem diligentiam, vt veritatem aſſequatur.

Affirmat verò *Tambur. l.c num.*16. modò Præceptor non præuideat aliquod ſcandalum exoriturum; quia ſic ſe iam prudenter gerit; ſiquidem probabilem bene gerendi viam auditoribus oſtendit.

PROPOSITIO IV.

Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

1 AVctor iſtius propoſitionis eſt *Ioannes Sancius in ſelectis d.*19.*nu.*7. vbi ſic diſſerit: *Sicut in alijs materijs vbi offenſa moralis intercedere poſſet, fatentur ipſi eam non committi ab operante ex opinione minùs probabili, licèt res maximi momenti ſit, Deum offendere mortaliter vel non; ſic quoque ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Licèt infidelitas multipliciter vſurpetur; tamen in preſenti accipitur ea; quæ eſt carentia fidei theologicæ.*

3 *Infidelitas alia negatiua, alia contraria, & hæc priuatiua, vel poſitiua.*

Pri-

Prima non eſt peccatum contra fidem, ſed pœna peccati. Contraria eſt ex genere ſuo peccatum mortale grauiſſimum, & ex ſola indeliberatione poteſt eſſe veniale.

4 *Quid ſit infidelitas poſitiua, & quotuplex? An ſit peccatum commiſſionis, & cur non omne peccatum contra Fidem dicatur Infidelitas?*

5 *Oſtenditur adæquatè diuidi Infidelitatem poſitiuam formalem in Paganiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim. An Infidelitas Antichriſti pertineat ad Iudaiſmum, vel Paganiſmum? Quid de Apoſtaſia à Fide quoad culpam, & pœnas?*

6 *Quid de dubitante deliberatè de fide dubio poſitiuo, vel negatiuo.*

7 *Dari nequit etiam in Infideli vera probabilitas de veritate ſectæ erroneæ.*

§. II.

8 *Ab Infidelitate contraria poſitiua, vel priuatiua minimè excuſatur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili circa ſuam ſectam contrariam veræ fidei: & tanquam ſcandaloſum vt minimum hoc decreto exploditur contrarium.*

9 *Oſtenditur veritas hæc aſſignando diſcrimen intercedens inter probabilitatem, quæ datur circa myſteria Fidei catholicæ, & eam, quæ datur in alijs materijs moralibus.*

10 *Infidelis habens maiorem probabilitatem circa myſteria Fidei, & minorem circa obiecta ſuæ ſectæ, ſi tunc præſtet omnem debitam diligentiam pro inuenienda certitudine, pro tunc non peccat; tenetur tamen maiorem, & maiorem diligentiam adhibere, vt aſſequatur euidentiam credibilitatis: nec in hoc poteſt habere ignorantiam inuincibilem.*

11 *Si Infidelis habeat maiorem probabilitatem apparentem de rectitudine ſuæ Sectæ erroneæ, & minorem de veritate myſteriorum catholicæ Fidei, non excuſabitur, ſi non præſtat omnem debitam diligentiam ad certitudinem.*

§. III.

12 *Aliud eſt eſſe euidenter verum, aliud euidenter credibile: Myſteria Fidei diuinæ ſunt euidenter credibilia; imò in ijs ſimul adeſt euidentia credenditatis.*

13 *Afferuntur motiua euidentiæ credibilitatis noſtræ Fidei.*

14 *Euidentia credibilitatis eſt neceſſaria nedum in corpore Eccleſiæ, ſed & ſingulis ad credendum. Non tamen euidentia æqualis requiritur in omnibus.*

15 *Sententia poſtulans euidentiam credibilitatis, vt Infidelis teneatur præcepto determinato credendi, non ſubiacet huic damnationi.*

16 *Pertinet tamen ad eam, ſi perſeueret, præſtando ſollicitè (vt debet) diligentiam neceſſariam ad eam aſſequendam.*

17 *Dum aſſequitur euidentiam credibilitatis, habet etiam euidentiam credenditatis.*

§. PRI

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, quod ſicut Fides ſolet vſurpari pro virtute morali fidelitatis, quæ ſeruat virtutem in promiſſis: & pro virtute theologicha, quæ à Deo reuelata credit; ità infidelitas accipitur & pro inconſtantia, quæ promiſſis non ſtat, poteſtque appellari perfidia, & pro diſſenſu, aut defectu, quo reuelatis a Deo non creditur, & propriè Infidelitas dicitur. Relictâ verò priori Infidelitate, de qua agit *D. Thomas 2. 2. q. 109.* Infidelitas ad præſentem conſiderationem pertinens generaliſſime ſumpta poteſt definiri, quod *ſit Carentia Fidei theologicæ*. Quæ definitio datur per effectum formalem; ſemper enim infidelitas Fidem excludit: vnde eos, qui Fide carent, appellamus Infideles.

3 Notandum eſt Secundò. Quod Infidelitas diuiditur *à S. Thoma 2. 2. q. 10. ar. 1.* in negatiuam, & contrariam: *Negatiua* eſt carentia ſimplex Fidei in eo, cui Fides non eſt annuntiata, ſaltem ita ſufficienter, vt credere debeat. *Contraria* eſt in illo, qui poſt ſufficientem propoſitionem *Fidei* vel primò contradicit, & repugnat poſitiue dare aſſenſum Fidei, quæ dicitur *poſitiua Infidelitas*: quà peccauit S. Thomas Apoſtolus alijs diſcipulis, & SS. Mulieribus tam oculatis teſtibus tam perſeueranter atteſtantibus, & omninò ſufficientiſſime proponentibus Reſurrectionem Chriſti, nolens credere, & dicens: *Niſi videro, &c. non credam*: & audiuit à Chriſto. *Noli eſſe incredulus, ſed Fidelis:* Vel ſecundò contemnit, & negligit audire, & diſcere res Fidei, aut dare aſſenſum; & dicitur *priuatiua infidelitas*. Priorem, ſcilicet negatiuam non eſſe peccatum contra Fidem, ſed pœnam peccati, docent cum *S. Thom. citato communiter Theologi*. Ratio eſt, quia ignorantia inuincibilis non eſt peccatum; talis autem eſt, quando quis nihil de ea audiuit, vel cogitauit, vel per induſtriam humanam nihil audire, vel cogitare potuit. Et colligitur ex illo Chriſti *Ioannis 15 num. 22. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*, quod explicat *S. Auguſtinus tr. 89. in c. 15. Ioannis* de peccato Infidelitatis dicens, eos, ad quos Chriſtus non venit, & quibus non eſt locutus, *habere excuſationem, non qua eis de omni peccato ſuo, ſed de quo in Chriſtum non crediderunt &c.* Quod autem ſit pœna peccati, patet ex eo, quod non faciendo, quod in ſe eſt, per ſua peccata impediant, quominus ad Fidem perducantur. Et ſic infidelitas ipſorum eſt pœna non tantùm originalis, ſed etiam proprij peccati, vt oſtendit *Geruaſius Briſicenſis in tr. de Gratia d. 272. de Gratia ſufficiente num. 168. & ſeqq.* Contrariam verò infidelitatem, eſſe ex genere ſuo mortale peccatum, & quidem grauiſſimum in morum peruerſitate, docent

Theo-

Theologo cum *S. Thoma ſupra ar.3.* Nec in eo datur leuitas materiæ, niſi ob indeliberationem. Prima huius pars, probatur *Marci vlt. num. 16. Qui non crediderit, condemnabitur.* Secunda pars probatur, quia directe aduerſatur Deo, de cuius veritate, & veracitate dubitare, vel eam negare, aut contemnere, ſemper eſt grauiſſimam ipſi iniuriam irrogare, etiam in re leui.

4 Notandum eſt tertiò, quod Infidelitas poſitiua *eſt error, vel aſſenſus poſitiuus contrarius, vel contradictorius veræ Fidei in ijs, quæ diuina Fide credenda ſunt:* Vtpote cum quis poſitiuè aſſentitur contrario, vel contradictorio alicuius articuli, vel propoſitionis à Deo reuelatæ, & diuina Fide credendæ: V.g. non dari Purgatorium, Chriſtum non eſſe in Euchariſtia: Diuiditur in materialem, & formalem. Infidelitas materialis dicitur quando quis ex ſola ignorantia infallibilis veritatis aſſentitur alicui contrario veræ Fidei. Formalis verò dicitur, quando quis vel ignorantia culpabili, & craſſa, vel etiam cum ſufficienti notitia veritatis, adeoque cum pertinacia aſſentitur contrario veræ Fidei: & hæc definitur ex *D. Thoma cit. q. 10. ar. 1. & 2.* eſt *voluntarius error reſiſtens Fidei cum pertinacia*. Eſtque peccatum commiſſionis. Ita ex *D. Thoma locis relatis* Theologi communiter: nam eſt contra præceptum negatiuum non reſiſtendi, aut diſſentiendi veræ Fidei: præceptum autem negatiuum violabitur per peccatum commiſſionis. Videantur *Caietanus ar. 3. Tapia q. 4. ar. 5.* Hinc non omne peccatum contra Fidem eſt Infidelitas abſolutè poſitiua, quæ excludit Fidem: & abſolutè dicitur infidelitas. Ita cum communi *Arauius 2.2. q. 10. dub. 1.* nam negatio exterior Fidei eſt peccatum contra Fidem, & tamen non eſt infidelitas abſolute dicta, ſi fiat ſine errore, & interno diſſenſu, ad vitandam mortem, vel ob aliud motiuum. Sic Petrus negauit Chriſtum, & tamen non errauit per internum diſſenſum, nec Fidem omiſit, iuxta illud *Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua:* ſic etiam Marcellinus Papa thus idolis obulit; & nihilominus Fidem non perdidit: vnde nec in Concilio Sueſſano fuit depoſitus, vt refertur in *can. Nunc autem diſt. 1.* Deinde ignorantia culpabilis myſteriorum Fidei eſt peccatum contra Fidem: & tamen huiuſmodi ignorantia non ſemper importat errorem, & multò minus contumaciam: quo circa multoties Fideles committunt hoc peccatum, quin infideles fiant. Si velis rationem; quare qui agit contra iuſtitiam, charitatem, aut alias virtutes, non ſolum peccat, ſed ſuo peccato illas virtutes excludit, qui verò peccat contra Fidem, non ſemper illam expellit: in promptu eſt: quoniam cæteræ virtutes infuſæ ſicut infunduntur, & conſeruantur ſimul cum gratia, ſic, illa pereunte, pereunt: quodlibet autem peccatum mortale (ſiue ſit contra hanc, ſiue contra illam virtutem) expellit gratiam, & ſic conſequenter expellit illas virtutes: Fides verò ſicut infundi, ita conſeruari ſine gratia poteſt: vnde ex generali ratione, quod aliquod peccatum contra Fidem ſit mortale, non

Digitized by Google

ſequitur, quod Fidem expellat, niſi aliunde habeat directam, & rigoroſam oppoſitionem cum illa. Quam oppoſitionem non habent ea peccata, quæ eius formalem rationem, nempe teſtimonium Dei infallibiliter applicatũ non deſtruunt. Huiuſmodi autem ſunt negatio ſolum exterior, ignorantia, & error non pertinax. Et propterea licet ſint contra præcepta Fidei, illam non deſtruunt, nec infidelitas propriè dicta ſunt.

5 Notandum eſt quartò: Infidelitatis poſitiuę, ac formalis communiter à Doctoribus cum *D. Thoma* 2.2.*q*.5.*ar*.5. numerari tres ſpecies: Paganiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim, ſed ſcilicet, penès diuerſos modos contrariandi, vel contradicendi veræ Chriſtianæ Fidei. Infidelitas enim aut contradicit veræ Chriſtianæ Fidei totaliter, & numquam vllo modo receptæ, & tunc eſt Paganiſmus, vel Gentiliſmus: quo etiam ſpectat Turciſmus, vt rectè docent *Caietanus, Malderus, & Sporer:* & ſi enim Pagani, maximè Turcæ, in propoſitionibus materialibus quibuſdam credendis cum Chriſtianis conueniant, V.g. vnum eſſe Deum, eſſe futurum Iudicium, &c. nõ tamen cõueniũt in illa propoſitione formali Fidei, quatenus ſcilicet diuinitus reuelata eſt, ſed ſolum quatenus propoſita à ſuo Mahomete, *& etiam Atheiſmus* etiam ſub Paganiſmo continetur; de cuius quippè ratione non eſt, quod Deum admittat, ſed eius formalis ratio conſiſtit in eo, quod repugnet Fidei nullo modo ſuſceptæ: quod etiam conuenit Atheiſmo, licèt ſub Paganiſmo importet maiorem extenſionem erroris. Aut contradicit veræ Chriſtianæ Fidei etiam totaliter, ſed aliquando ſuſceptæ in figura, & typo veritatis, non in ipſa veritate expreſsè reuelatæ; & tunc eſt Iudaiſmus: Iudæi enim licèt recipiant promiſſiones, & prophetias Chriſti venturi, illumque ſub illis credant, negant tamen quod venerit, & vt præſentem non admittunt; vnde tenendo vetus teſtamentum, nouum ſpernunt. Infidelitatem Antichriſti eſſe Iudaiſmum, volunt *Suarez to.2. in 3.p.d 54 & Arauius ad c.ar.5. D. Thomæ dub.3.* dicunt enim, quod erit Iudęus: nam de Tribu Dan, & vetus teſtamentum probabit. Vnde & templum Ieroſolymis reparare, & omnes veteris legis cæremonias reſtaurare tentabit. *S. Iſidorus l.8. originum c.11.* imperabitque, vt omnes ſecundum legem Moyſis circumcidãtur. *S. Martinus Turonenſis apud Seuerum dial.2. de vita S. Martini:* & circumcidet ſe: *Ioannes Gerſon lib. de Gaudijs Paradiſi*, atque Sabbathum diem, vt ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli imperabit *S. Gregorius l.11. epiſt.3.* & à Iudęis tamquam verus Meſſias admittetur. *S. Hieronymus in 2. ad Theſſal.2. Salmanticenſes* verò, & alij cenſent probabilius, Antichriſti infidelitatem eſſe paganiſmum; quia Antichriſtus nullam Dei reuelationem admittet, cui adhuc ſecundum ſuam exiſtimationem verè inhæreat; ſed tam vetus, quam nouum teſtamentum interius diſcredet; finget autem per aliquod tempus ſe Iudæum, vt Iudæos ſeducat: ſed hoc non ſufficit ad verum Iudaiſmum, qui expoſcit ſuſceptionem aliquam Fidei. Pro hac ſententia facit, quod Antichriſtus omnium primo

do-

docebit, ſe eſſe Deum, & vt Deum colendum vt patet tum ex 2. *Teſſal.* 2. tum clariùs ex *Danielis* 11. ibi *Deum patrum ſuorum non reputabit, nec quamquam Deorum iurabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget: Deum autem Moazim, in loco ſuo venerabitur, &c.* Hic autem *Deus moazim*, nempè Deus robuſtus, alius non eſt ab ipſo Antichriſto, *qui* (vt ait *Theodoretus 2. ad Theſſal.2.*) *Deum fortem, ac potentem ſe ipſum appellabit, illum enim in loco ſuo, id eſt pro ſe ipſum poſuit.* Et inſuper Antichriſtus, & miniſtri eius docebunt vitioſa opera eſſe licita, & adhunc finem fuiſſe facta, vt eis homo vtatur. Sic ex *Ambroſio & Auguſtino Card. Brancatus deuotiſſimis d. 1. ar. 9. à num.* 309. Vnde *Albertus Stadenſis in Chron. ann.* 1150. ſic habet: *Antichriſtus omnia, quæ Deus in antiqua lege, & noua, conſtituerat, deſtruet, & inceſtum, & alia ſimilia peccata, non eſſe peccata affirmabit, affirmans, quod omnia caſtitatis præcepta per ignorantiam facta ſunt, &c.* Aut Denique contradicit infidelitas veræ Chriſtianæ Fidei in veritate ſuſceptæ, non tamen totaliter, ſed particulariter, quoad aliquos articulos, & tunc eſt hæreſis, vel Apoſtaſia. Definitur autem Apoſtaſia à Fide, quod ſit *Diſceſſio à vera Fide in baptiſmo aſſumpta, & explicite profeſſa.* Vnde Pagani, Iudęi, ac etiam hæretici ab infantia ſemper hæreſim profeſſi, non ſunt Apoſtatæ, ſed illi tantum, qui baptizati Fidem veram catholicam ſemel profeſſi ſunt, & poſtea ab illa diſceſſerunt. Hi tres modi infidelitatis ſpecie differunt, in confeſſione aperiendi. Ita. *Bannez 2.2.q.10.ar.5. Aragonius & alij ibidem: Franciſcus à Ieſu Maria tr.6.c.8.par.4.n.* 100. & cum alijs *Leander à Sacram. de Pœnit. d.8.q.* 17. *Sporer Theol. mor. to.1. tr.2.c.3. ſect.* 4. *num.*11. *Pennafias* & alij. Verum Apoſtaſia à Fide dupliciter conſiderari poteſt. Primò ſecundum terminum à quo, ſeù quatenus eſt diſceſſus à vera Fide, & ſic eſſentialiter non differt ab hæreſi, ſed ſolum accidentaliter, tamquam maius à minori, extenſius à minùs extenſo; nam Apoſtata ſimpliciter dicitur, qui Chriſtum, & Fidem Chriſtianam, quam ſuſceperat, penitùs abnegat: hæreticus autem non omninò negat totam Fidem, ſed ſolum quoad aliquos articulos. Vndè omnes pœnæ in iure in hæreticos decretæ, etiàm incurruntur ab Apoſtatis, & inſuper plures, vt docent *Canoniſtę in c.1. de Apoſtatis*, & Theologi communiter. Illi tamen, qui vi tormentorum oppreſſi Fidem exterius negant, non cenſentur apoſtatæ, nec incurrunt pœnas contra illos in iure latas, vt cum communi ſententia docet *Suarez de Fide d.* 14. *ſect.* 6. Secundo Apoſtaſia conſiderari poteſt ſecundum terminum ad quem, ad quam nam ſcilicet ſectā ſe transferat Apoſtata à Fide tota, vtpote ad Iudaiſmum, vel Paganiſmum, vel omnimodum Atheiſmum; ad quas ſpecies infidelitatis reſpectiue pertinebit Apoſtaſia, vtique in confeſſione reſipiſcentis neceſſario explicanda. Ita *Sanchez Tapia*, & alij, quos ſequitur *Delbene dub.47. petit.1. num.7. Sporer*, & alij. Quod ſi apoſtata, à Fide catholica tranſferat ſe ſolum ad aliquam ſectam hæreticam, Lutheranam, &c. erit ſolùm Apoſtaſia à Fide particulari, & idem numero peccatum

cum hæreſi aſſumpta :

6 Notandum eſt quintò: certiſſimum eſſe, omnem deliberatè dubitantem de quacumque propoſitione Fidei, ſufficienter ad credendum propoſita dubio poſitiuo, qui nimirum actu poſitiuo iudicat, res Fidei ab Eccleſia propoſitas ad credendum dubias eſſe, incertas, & ambiguas, de quibus meritò dubitari poſſit, an veræ ſint, peccare mortaliter, & accedente pertinacia, eſſe formaliter hæreticum. Et hoc ſolùm volunt Doctores ſatis communiter indiſtinctè affirmantes dubitantem in Fide eſſe hæreticum, & ſignificatur *c.1. de hæreticis* illis verbis: *Dubius in fide infidelis eſt.* Ratio eſt, quia iſte etſi non expreſſe ipſam Fidei veritatem, tamen eius firmitatem, & certitudinem eſſentialem tollit, & explicite negat: & conſequenter accedente pertinacia, formalis hæreticus, & infidelis eſt. Dubitans verò deliberatè de fide, vel aliquo eius articulo ſolum voluntariè ſuſpenſus manet inter aſſenſum, & diſſenſum, abſque omni iudicio poſitiuo de certitudine, vel incertitudine rei, & ſi poſſit peccare mortaliter contra præceptum affirmatiuum Fidei, nimirum aſſentiendi actu interno rebus Fidei ſufficienter propoſitis tunc obligans, eum tamen non fore hæreticum, expreſſe docent *Filliuc. to.2. tr.22. c.6. q.7. Geruaſius Briſacenſis to.4. tr.4. d.2. q.5. ar.4. num.291.* & alij. Et hoc ipſum volunt alij Doctores, à me relati in *Lapide Lydio Theol. comment. ad 5. Propos.* quos ſequitur *Sanchez l.2. c.7. num.12.* indiſtinctè aſſerentes, dubitantem in Fide non eſſe hæreticum. Et ratio adducitur, quia hæreſis eſt error poſitiuus, ſeù aſſenſus falſus, & pertinax contra Fidem, ſeù veritatem reuelatam: Sed ſolum negatiuè dubitans in Fide nullum habet errorem poſitiuum, & inter aſſenſum, & diſſenſum ſuſpenſus manet: Ergo non eſt hæreticus, conſequenter talis dubius, & ſi hoc dubium ſuum exterius proferat, non incurrit hæreſim externam, eiuſque excommunicationem, ſed dicere poteſt cum *D. Auguſtino: Errare poſſum, hæreticus non ero.* Mihi tamen quoad hoc ipſum dubium negatiuum placet diſtinguere cum *Card. de Lugo de Fide d.17. ſect.5. & d.20. ſect.1. n.15.* & *Patritio Sporer. tr.2. in 1. præc. Decal. c.3. §.4. num.6.* & dicere, quod etiam dubium negatiuum formaliter continet malitiam hæreſis, vel infidelitatis, quando voluntas imperat ſuſpenſionem aſſenſus in intellectu ex motiuo difficultatum oppoſitarum ab intellectu, etiam per ſolam apprehenſionem oppoſitarum abſque iudicio, quaſi abterrita, & veritá periculum deceptionis, vel falſitatis: eo ipſo enim voluntas implicite, & virtualiter approbat illa motiua contra Fidem quæ non deberet approbare, & ſuſpenſio ſic ſubſecuta in intellectu ab illa voluntate denominatur mal[illegible] verà malitia hæreſis, vel infidelitatis, accedente nimirum pertinacia, quà quis nolit auctoritate Eccleſiæ induci ad aſſenſum reſolutum illius articuli. Quando verò voluntas imperat ſuſpenſionem aſſenſus in intellectu, non ex motiuo eiuſmodi difficultatum oppoſitarum, ſed propter aliam cauſam, putà, quia vult modò alijs intendere

dere

dere, aut quia non vult in re tanta modo fatigare caput, vult melius inquirere motiua commodius, & ſuauius aſſentiendi, &c. certè neque hæreſis, neque vllum peccatum erit. Excepto caſu, quo tunc vrgeret præceptum affirmatiuum aſſentiendi rebus Fidei ſufficienter propoſitis, quibus aliquis nunquam aſſenſum præbuiſſet; ſemper enim loquimur de rebus Fidei ſufficienter propoſitis: nam quandiù res, vel Articuli Fidei ſufficienter propoſiti non ſunt, cum tunc nemo teneatur aſſentiri, de ijs tam poſitiuè, quam negatiuè dubitare fas eſt.

7 Notandum eſt vltimò dari non poſſe etiam in Infideli veram probabilitatem de veritate ſectæ erroneæ; quoniam contra certitudinem nulla poteſt dari vera probabilitas: aſſenſus enim probabilis eſt incertus idest nec certus, nec certò falſus; & propoſitionis certæ contradictoria eſt certò falſa. Si autem daretur aſſenſus vere probabilis de propoſitione contradictoria veritatis Fidei, quæ certa eſt, eſſet certò falſus, & non certò falſus: certò falſus quia contradictoria, quæ opponitur propoſitioni certæ, eſt certò falſa: non certò falſus, quia probabilis, de cuius eſſentia eſt, eſſe nec certum, nec certo falſum. Probabilitas ergo, quæ admitti poteſt in Infideli circa veritatem Fidei, & errores ſectæ, eſt ſolum apparens, quatenus id, quod certum, aut certò falſum eſt, illi proponitur vt veriſimile, & probabile; vel quia non attendit ad rationes euidentes; vel quia neſcit ponderare euidentiam illarum. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & nonnulla inferuntur.

8 DIco primò. Ab infidelitate contraria priuatiua, vel poſitiua, non excuſatur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili circa ſuam ſectam contrariam veræ Fidei. Et contrarium hoc decreto vt minimum tamquam ſcandaloſum exploditur.

9 Oſtenditur veritas noſtræ aſſertionis aſſignando diſcrimen, quod intercedit inter probabilitatem, quæ datur circa myſteria Fidei catholicæ, & eam quæ datur in alijs materiis moralibus: quo ſimul cum ſententia euertitur fundamentum *Sanctij*; ipſius enim fundamentum eſt, quod ſicut in alijs materijs, & præceptis excuſatur homo à peccato, ſi ſequatur opinionem minus probabilem de non peccato; ita in præcepto credendi veritates Fidei catholicæ excuſabitur infidelis à peccato infidelitatis, ſi habeat opinionem minus probabilem (ſcilicet probabilitate apparente) de credibilitate ſectæ erroneæ. Sic ergo arguitur aſſignando diſcrimen. Probabilitas, quæ inuenitur reliquis materijs, includit ignorantiam inuincibilem

bilem : probabilitas autem apparens , quæ datur in intellectu infidelis circa obiecta Fidei catholicæ, includit ignorantiam, ſiue incertitudinem vincibilem : Atqui ignorantia inuincibilis excuſat à peccato, non autem ignorantia vincibilis: Ergo licèt in alijs materijs excuſetur homo à peccato, ſi ſequatur opinionem minus probabilem, non tamen ab infidelitate excuſatur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt certa ; & plene oſtendetur in *Alexandri Gladio comment. ad Propoſ.* 2. Maior quoad ſecundam partem, nempè quod probabilitas, quæ datur in Infideli circa myſteria Fidei, includat ignorantiam, ſeù incertitudinem vincibilem, manifeſta eſt. Quoniam tunc datur ignorantia vincibilis, quando oritur dubitatio, vel formido circa præceptum, circa quod poteſt adhibere maiorem diligentiam, vt perueniat ad certitudinem : Sed Infidelis habens probabilitatem circa myſteria Fidei, dubitat, aut ſaltem formidat circa eiuſmodi myſteria, & poteſt adhibere maiorem diligentiam, vt perueniat ad certitudinem, quam infallibiliter aſſequetur, ſi ſincero animo quærat veritatem, conferendo cum viris doctrinæ catholicæ peritis & exorando Deum : Ergo eiuſmodi probabilitas includit ignorantiam vincibilem. Vnde benè *Iacobus Illſung. tr. 3. d. un. ar. 1. §. 4. num. 35.* poſtquam dixit, meritò talem propoſitionem fuiſſe damnatam, pro ratione, & merito damnationis addit hæc verba: *Quippe talis obligatur ad deponendum infidelitatem, procurando ſibi certitudinem Fidei, ad quam ſufficienti adhibita diligentia infallibiliter perueniet : cum vera Dei Eccleſia habeat tam manifeſta indicia, & motiua tam moraliter euidentia, vt in illorum notitiam quiuis ſtudioſus ſuæ ſalutis facile peruenire poſſit.* Confirmatur, quia iuxta ſcripturam, & D. Thomam ſupra, ad infidelitatem contrariam, & culpabilem ſufficit, quod quis repugnet auditui Fidei. Atqui repugnat qui exiſtimans ſuam ſectam minus probabilem, quam contrariam, non vult infidelitatem deponere, procurando ſibi certitudinem Fidei. Ergò iſte habet infidelitatem culpabilem, & eius ignorantia eſt vincibilis : alias etiam Iudæi culpabiles inmeritò dicerentur à Chriſto, quia etiam pro ſe ipſis probabiles rationes habent ex ſcriptura, licet malè intellecta, arguentes ipſum non eſſe Meſſiam. Maior etiam quoad primam partem, nempè quod in alijs opinionibus probabilibus moralibus ignorantia, quæ inuenitur, ſit inuincibilis, clariſſimè conſtat : Nam vt inquit *D. Thomas quodlib. 8. ar. 5.* tunc datur error inuincibilis excuſans à peccato, *quando ſcilicet procedit ex ignorantia eius, quod ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.* Cum ergo Theologus in quæſtione vtrinque probabili non poſſit ſcire quæ pars ſit vera, & ex adiuncta ratione probabili ſufficienter determinetur intellectus prudens, inde eſt, quod habeat ignorantiam inuincibilem excuſantem à peccato.

10 Hinc infertur primò, quod Infidelitas habens maiorem probabilitatem circa myſteria Fidei, & minorem circa obiecta ſuæ ſectæ, ſi tunc præ-

Digitized by Google

præſtet omnem debitam diligentiam pro inuenienda certitudine, pro tunc non peccat, vt conſtat ex dictis, & expreſſe docet poſt alios *Ioannes de Cardenas hic diſſert. 5. c. 2. num. 11.* qui *num. 12.* addit, quod hæc videtur fuiſſe mens *Thomæ Sanchez l. 2. ſumma c. 1. num. 6.* in fine ijs verbis: *Addo hac ſaltem iniectura prudens dubium, vt teneatur infidelis indagare veritatem, orationibus lucem à Deo petendo, ne ſit deinceps ignorantia culpabilis.* Verùm id, quod dicit in principio eiuſdem numeri ijs verbis: *Quippe dum infidelis ſibi perſuaſum habet ſuam ſectam eſſe probabilem, quamuis contraria ſit probabilior, teneretur vtique in articulo mortis conſtitutus, veram Fidem, quam probabiliorem iudicat amplecti, vt pote qui in eo articulo eſt conſtitutus, in quo de extrema ſalute agitur, ac proinde partem, quam tutiorem, & probabiliorem iudicat, amplecti tenetur: at extra eum articulum non tenetur. Quod adhuc prudenter exiſtimet, ſe poſſe in ſua ſecta perſeuerare; tempuſque rei melius examinandæ ſuperſit:* quod ſequuntur *Illſung ſupra citatus, Malderus,* & alij, habet difficultatem; nam à principio diligentiæ faciendæ vſque ad mortem, poteſt longum intercedere tempus: iſte autem, regulariter loquendo, poteſt non longo tempore habere euidentiam credibilitatis noſtræ Fidei, ſi non negligat orare, &c. Vnde non debet dici, quod extra articulum mortis non tenetur, ſed extra articulum mortis non ſtatim tenetur. Sed exponendum eſt tantum temporis, quod non omiſſa ſufficienti diligentia intercedit ad habendam euidentiam credibilitatis. Sed minus veniam merentur *Caſtropalaus to. 1. tr. 4. d. 1. pu. 12. d. num. 13.* & alij, qui cum *Ioanne Sanchez* dicunt, nec in articulo mortis teneri infidelem veram Fidem amplecti, ſi tantum illius maiorem probabilitatem habeat, non euidentiam credibilitatis: ex altero extremo nimis ſtrictè loquuntur *Bannez 2. 2. q. 10. ar. 1. dub. 3. conclus. 3. & 4. Petrus Ledeſma in ſumma to. 2 tr. 1. c. 5. conclus. 5. & 6. Antonius de Eſcobar to. 1. Theol. mor. l. 2. num. 56. Villalobos in ſumma p. 2. tr. 1. diffic. 8. num. 4. Gonetus, Lumbier,* & alij, dum dicunt, quod Infidelis, cui proponitur Fides vera tamquam probabilior omnibus ſectis contrarijs, ab infidelitate non excuſetur, ſi ſtatim non credat, ſed debeat ſtatim credere theologica fide, ac ſalutari. Tenetur itaque iſte adhibere maiorem, & maiorem diligentiam, vt aſſequatur euidentiam credibilitatis: nec in hoc poteſt habere ignorantiam inuincibilem, etiam ſi ſit ſtolidiſſimus. Etenim quando myſteria Fidei proponuntur Infideli, Deus immittit illuſtrationem intellectui, inſpirationem, quæ inclinat voluntatem ad credendum: cum ergo Infidelis in his circumſtantijs titubet, & formidet circa ſuam ſectam, impoſſibile eſt, quod non etiam titubet, & formidet circa eam apprehenſionem (quod nó poteſt peruenire ad maiorem certitudinem, & non teneatur ad maiorem diligentiam) cùm ipſa titubatio, & formido in materia tanti momenti faciat intellectum eſſe ſollicitum de veritate cognoſcenda.

11 Infertur ſecundò, Quod ſi Infidelis habeat maiorem probabilitatem

tem apparentem de rectitudine ſuæ ſectæ erroneæ, & minorem de veritate myſteriorum Catholicæ Fidei, adhuc non excuſabitur à peccato infidelitatis, niſi præſtat omnem diligentiam, vt perueniat ad certitudinem, neque ex illa maiori probabilitate excuſabitur. Ita *Ioannes de Cardenas cit. c. 2. num. 22. Hurtadus De la Fuente*, & alij. Ratio eſt ex dictis, nam infidelis poſitiuus in conflictu opinionum aduerſantium, in materia, in qua ſi præſtat debitam diligentiam, poteſt peruenire ad certitudinem, vtique habet ignorantiam vincibilem: Ergo ſi non nitatur vincere illam, peccabit. Vnde habes, quod malè aliqui ex eo quod Pontifex damnauerit hanc propoſitionem, Scilicèt, quod Infidelis excuſetur ab infidelitate, non credens ductus opinione minus probabili, deducunt, quod iam remaneat nigro lapillo ſignata ſententia docens, licitum eſſe in materijs moralibus ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, quæ ſtat pro præcepto. Malè, inquam, deducunt; tum quia ignorantia in materia Fidei non eſt tam facilè inuincibilis, vt eſt in materijs moralibus, vt probatum eſt: tum etiam, quia quamuis infidelis non credens ducatur opinione magis probabili, non excuſatur a peccato in fidelitatis, niſi præſtet omnem diligentiam, &c.

§. TERTIVS.

Num incurrat damnationem ſententia communis, quæ docet, ad aſſenſum Fidei non ſufficere probabilioritatem, ſed requiri euidentiam credibilitatis?

12 Animaduertendum eſt, aliud eſſe aliquid eſſe verum, aliud eſſe credibile, & aliud eſſe euidenter credibile, aliud eſſe euidenter certum: hæc enim prædicta ſumuntur ex diuerſis capitibus: aliquid enim eſſe credibile, pendet ex teſtimonijs, & rationibus, quæ faciunt rem credibilem: eſſe autem verum pendet ex connexione, quæ re vera ſit inter ipſa prædicata. Theologi autem communiter cum *D. Thoma. 2. 2. q. 1. ar. 4.* docent, quod myſteria Fidei diuinę ſunt euidenter credibilia, ſeu euidenter dignoſcitur, quod ea ſint idonea, & digna vt credantur; ſunt enim tot, tantaque motiua ad hanc perſuaſionem promouendam, vt qui eis reſiſtunt, impudentiſſimi, & obſtinatiſſimi cenſendi ſint: Scriptura ipſa *Pſalm. 92.* conteſtante. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.*

13 Motiua autem credibilitatis ſunt. Primum puritas doctrinæ Chriſtianæ: in Fide enim noſtra nihil reperitur, quod aliunde falſum eſſe oſtendatur: cum tamen in Philoſophia Etnica, & in omnibus ſectis Paganorum

rum, & Hæreticorum reperiantur plures falſitates, & mendacia, quæ ipſa etiam naturali ratione mendacij conuincuntur: quare in nulla ex ijs poteſt eſſe religionis veritas: de quo argumento agunt *Euſebius l.8.de præparat. Euangel. & Clemens Alexand. l.7. ſtrom.* Huc etiam ſpectat nullam ſectam æquè perfectè, & ſublimiter de Dei magnitudine, & perfectione ſentire; & docere, ac Chriſtiana, quæ Deum infinitè perfectum, & ſanctum ſemper adſtruit; in quo omnes aliæ ſectæ deficiunt, in quibus pleraque vitia, aut defectus in Deo finguntur: imò & ab ipſis Iudeis, poſtquam à vera Fide defecerunt, in hoc magnoperè erratum, de quo videri etiã poteſt *Ludou.Granatenſis in ſuo Catechiſmo p.4.c.22.* vbi innumeros Doctores eorum refert circa Dei perfectiones. Secundum eſt ſanctitas huius doctrinæ, quæ nil turpe approbat, quidquid honeſtum eſt laudat, præcipit, conſulit, iniungit præcepta naturalia, vrget Euangelica conſilia, in quorum obſeruatione ſita eſt maxima perfectio, & heroica ſantitas: vult etiam, & exigit ſanctitatem non ſolum fucatam, & apparentem, ſed veriſſimam interiorem, ex animo, ex corde emicantem: ipſi enim concinit illud Dauidis carmen: *Lex Domini immaculata conuertens animas*. Et illud: *Eloquia Domini caſta*. Cæteræ tamen ſectæ, præſertim hæreticorum noſtræ tempeſtatis, laudant, approbant, præcipiunt plurima valde turpia, & inhoneſta, idemque notabis in Paganiſmo, & Iudaiſmo: idque planè profitentur, qui à vera religione defecerunt; hi enim ſoluuntur in omne vitium, deſerunt caſtra Chriſtiana, vt liberiùs omne turpitudinis genus poſſint exercere: At verò qui contemptis antiquis ſectis ad Religionem noſtram Catholicam confugiunt, mutant mores, & nouam ſanctiſſimæ vitæ praxim amplectuntur. Quare noſtra Religio dedit multiſſimos viros, qui omnibus temporibus ſumma cum vitæ laude effloruerunt, & in ſtuporem, admirationemque adduxerunt ipſos etiam exteros: & ideò noſtra Eccleſia iure commendatur Sancta, & immaculata. Hinc factum eſt, quod luce veritatis irradiati viri Catholici indefeſsè curauerint Paganos, & gentiles ad veram noſtram Fidem perducere, ac primo conuertere: Hęretici verò curauerũt quidem, eos iam per miniſtros catholicos eos ſemel conuerſos pe[illegible]ertere, & trahere ad ſuam ſectam. Vnde clarè cõſtat, hæreticos, non Dei gl[illegible]iam, ſed ſuam ſolum, & proximorum mortem optare. Tertiũ eſt perſeuerantia, & vniformitas abſque mutatione vlla, aut varietate doctrinæ noſtræ religionis ab initio vſque ad hanc diem: quod in alijs ſectis non inuenitur, de quarum omnium initio nobis conſtat, & qua occaſione cœperint: Hoc autem certiſſimum ſignum eſt veræ Fidei, quia teſte *Paulo ad Ephes.4. Vnus Deus, vna Fides, vnum baptiſma.* Quartum eſt modus, quo excellens adeo doctrina ſupra captum hominum efficaciter perſuaſa eſt tot nationibus, tam multiplici hominum generi, ſcilicet nobilibus, ignobilibus, diuitibus, pauperibus, ſapientibus, ignaris, & hæc perſuaſio facta eſt per ignobiles, contemptibiles, ruſticos, inſipientes reputatos:

Reſiſtentibus etiam potentiſſimis Imperatoribus, Regibus, Sacerdotibus acerrimis vindicibus falſæ ſuæ doctrinæ. Videturque fere impoſſibile, quod tot homines conuicti, & traducti ſint ad noſtram Religionem maximè contrariam Veneris voluptatibus,ambitioni, cupiditati, & alijs vitijs, quibus natura humana deprauata per peccatum maximè addicta eſt. Non tamen mirum eſt, quod homines falſas ſectas auidè amplectantur, cum per eas liceat omni vitiorum generi volutari, iuxtà indolem, & propenſionem humanæ naturæ, in ſtatu, quo tantus amor vitiorum eſt. Quintum deſumitur ex Prophetijs longe ante prædicentibus, & in Chriſto, eiuſque Religione aperte impletis. Sextum eſt teſtimonium tum Doctorum ſanctiſſimorum, & ſapientiſſimorum, cum Martyrum hoc enim monuum dant innumerabiles Martyres ex omni ſexu, ætate, conditione, & natione, quin alliciat, & pertrahat ſpes alicuius emolumenti temporalis; quin deterreat metus perdendi bona temporalia diuitiarum, famæ, honoris, vitæ, acerbiſſimis tormentis alacriter, & iucundè toleratis. Lege *Granadum contr.1.de Fide tr.2.d.1 num 6.* qui colligit vndecim ferè miliones inuictorum Martyrum. Fateor pro alijs ſectis barbarè defendendis, aliquos mortem ſuſtinuiſſe; ſed non ſunt iſti comparandi noſtris martyribus,ſi ponderentur numerus,fortitudo, modeſtia, conſtantia, & ſerenitas conſcientiæ ipſorum inter crudeliſſima tormenta,teſtante Deo per miracula ſuorum militum innocentiam, & gratiſſimum Zelum. Septimum deſumitur ex miraculis tot, & tantis omnibus ſæculis in confirmationem noſtræ Fidei patratis; quæ ſunt quaſi ſubſcriptiones ipſius Dei, *qui facit mirabilia ſolus. Pſal.135.* Vnde dixit *Auguſtinus epiſt.49.q.6. Deus mirabilibus operibus loquitur*. Hæc autem manifeſtiſſima fuerunt in Chriſto, ita vt eius inimici confeſſi fuerint, *quid facimus quia hic homo multa ſigna facit*. Apoſtoli etiam, & ſucceſſiue Sancti viri hanc eamdem Fidem tenentes ſimilia opera miraculoſa ediderunt, vt probat *Card. Bellar.l.4.de Eccles.militāte c.14.* Videatur *Richardus à S.Victore l.1. de Trinit. c.12.* qui inquit: *Domine, ſi error eſt, quod credimus, à te ipſo decepti ſumus. Nam in nobis tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt*. Experientia autem compertum eſt, ſectarios cuiuſcumque hæreſis tentaſſe ſæpè miracula edere, quæ numquam ediderunt; tentaſſe etiam ea doloſe fingere,quæ tamen cum eorum dedecore detecta ſunt: imò aliquando eos ipſos, qui ſe mortuos vel infirmos fingebant, vt poſtea miraculoſe reſuſcitari, vel curati crederentur, verè mortem, vel infirmitates incurriſſe, quas fingebant.

14 Quamuis *Gabriel in 3.d.24.ar.3.dub.1.* voluerit, hanc euidentiam credibilitatis eſſe neceſſariam in corpore Eccleſiæ, non ſingulis in particulari, cuius ſententiam probabilem dixit *Suarez d.4 ſect.1.num.7.* tamen communis ſententia Thomiſtarum cum *D.Thoma 2.2.q.1.ar.4. ad 2. Scotiſtarum cum Scoto,* & Neotericorum vult, hanc euidentiam credibilitatis eſſe ne-

Digitized by Google

neceſſariam ſingulis ad credendum. Et probatur ex illo *Eccl. ſ. 19. Qui cito credit, leuis eſt corde*: ſemper enim ſecundum hominum exiſtimationem iudicatur dignus reprehenſione, qui res magni momenti facilè credit: ſed res noſtræ Fidei ſunt maximi momenti: Ergo non leuiter ea credenda, ſed ſolum dum conſtat de eorum credibilitate. Et quidem cui non proponuntur myſteria noſtræ Fidei vt euidenter credibilia, prudenter non crederet, quia aſſentiretur firmiſſimè obiectis, quæ capere non poteſt, ſed ſuperant captum humanum, cum obligatione non diſſentiendi, propter quæcumque motiua, quæ occurrere ei poſſunt in negotio grauiſſimo, vbi agitur de re totius noſtræ ſalutis, & hoc crederet non firmis argumentis, ita vt formidinem nequeant tollere. Quod ſi dicas: Myſteria Fidei ſunt ſupernaturalia: Ergo non poſſunt fieri euidenter credibilia ſed ſemper erit aliqua formido. Diſtinguo conſequens: non poſſunt fieri intrinſecè euidenter credibilia, concedo: extrinſecè, nego conſequentiam; nam ex motiuis, ſeù notis relatis, quibus inſignita eſt noſtra Fides, moraliter conſtat, noſtram Fidem eſſe veram: Quemadmodum mihi non eſt euidens intrinſecè Indias eſſe: at quia communis conſenſus populorum mihi dicit Indias eſſe, mihi euidenter conſtat ſine vlla formidine, illas regiones eſſe: ita ex motiuis credibilitatis, ſeù notis Eccleſiæ catholicæ, nobis euidenter conſtat ſine vlla formidine, noſtram eſſe veram Fidem; falſam verò ſectas aliorum. Si iterum dicas: Euidentia, & Fides non poſſunt eſſe ſimul: Ergo ad Fidem non requiritur euidentia. Iterum diſtinguo conſequens: non requiritur euidentia intrinſeca obiectorum, concedo: extrinſeca, conſurgens ex motiuis, & notis, quibus inſignita eſt noſtra Fides, & ad hoc vt prudenter credamus, nego. Si denique dicas: Pueri, & adulti rudiores credunt, & prudenter, & firmiſſimè credunt, & tamen non habent hanc euidentiam: Ergo in ſingulis non eſt neceſſaria, ſed tantum in corpore Eccleſiæ. Nego, quod non habeant hanc euidentiam: vident enim illi rès Fidei eſſe credibiles eo ipſo, quod à Parentibus, Doctoribus, & Fide dignis ita docetur, & ita per totam Eccleſiam credi: nec enim ęqualis euidentia requiritur in omnibus, tam doctis, quam indoctis, ſed ea, quam aſſignauimus, ſufficit in pueris, & idiotis, vt euidentiſſimè credant. Ita *Madernus tr. 9. theol. q. 1. ar. 16. n. 11. Bonifacius de Granadis 2. 2. q. 1. ar. 4. dub. 3. quæſt. 1.* ibi: *Ad credendum Fide ſupernaturali myſteria diuina, non tenetur omnes Fideles dignoſcere omnia motiua in particulari credibilitatis is myſteriorum diuinorum: nec oportet, vt circa adducta motiua omnes ſciant perfectè diſcurrere, & ea validè defendere? hoc enim ſpectat ad Theologos, præcipuè ad Epiſcopos. Omnes tamen, & ſinguli Fideles, vt prudenter & laudabiliter credant, tenentur dignoſcere aliquod motiuum credibilitatis, putà propoſitionem myſteriorum diuinorum fieri ab Eccleſia vniuerſali: quod motiuum cuilibet, etiam rudi, de facili innoteſcere poteſt: dicitur enim in ſymbolo: Vnam ſanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. In quo diſcriminantur Catho-*

Digitized by Google

lici ab hæreticis: iſti enim ſuæ particulari Eccleſiæ credunt; nos verò credimus catholicæ, & vniuerſali Eccleſiæ.

His animaduerſis, vt ad reſolutionem accedamus, præſciendum, quod *Lumbier hic num.* 167. exiſtimat definitum eſſe ab Innocentio hoc decreto probabiliorem opinionem de veritate Catholicæ Fidei ſufficere infideli, vt poſſit, & obligatus remaneat præcepto credendi, & ideo peccare peccato infidelitatis, ſi rectâ non credat.

15 At nihilominus dico: Communis, ſententia quæ poſtulat euidentiam credibilitatis, vt infidelis teneatur præcepto determinato credendi, non ſubiacet huic damnationi. Ita *Ioannes de Cardenas hic diſſer.* 5. *c.* 3. *num.* 28. *Hurtadus De la Fuente*, & alij cum *Thoma Munieſſa d.* 1. *Theol. ſect.* 5. *num.* 45.

Patet; quia cui proponitur vt probabilis, vel probabilior credibilitas myſteriorum noſtrę Fidei, pro tunc non proponitur ſine formidine: Ergo tunc non proponitur ita, vt poſſit elicere actum Fidei, qui eſt ſine formidine. Preterea opinio, quę affirmat, infidelem cum ſola cognitione probabiliore de reuelatione Die, teneri ad credendum aſſenſu ſupernaturali, ſubiacet damnationi propoſitionis 21. quę ita ſe habet: *Aſſenſus ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutē, ſtat cum notitia ſolum probabili reuelationis, imò cū formidine, qua quis formidat, ne ſit locutus Deus.* Atqui notitia probabilior, quā acquirit Infidelis nō excedit metas probabilitatis; atque adeo ea notitia eſt ſolum probabilis: Ergo ſi in tali caſu Infidelis tenetur ad credendum Fide ſupernaturali; & re ipſa implet eam obligationem: habebit aſſenſum ſupernaturalem cum ſola notitia probabili reuelationis, Imò cum notitia probabilis, aut probabilior non excludat formidinem, poterit habere aſſenſum ſupernaturalem compoſitum cum tali formidine. Ecce quomodo ea doctrina *Lumbierij*, & aliorum expoſita manet damnationi propoſitionis XXI. Nec dicas cum *Filguera*, quod myſteria noſtræ Fidei ſunt euidenter credibilia. Nam debent vt ſic proponi: Infideli autem, cui ſolùm proponitur vt probabilis, aut probabilior credibilitas myſteriorum Fidei, impoſſibile eſt pro eo inſtanti, vt proponatur euidens: Ergo licet in ſe ſint euidenter credibilia myſteria Fidei, non peccat Infidelis ex eo capite, quod habeat opinionem probabilem credibilitatis, & non euidentem.

16 Verum quidem eſt, quod ſi perſeueret præſtando ſollicite (vt debet) diligentiam neceſſariam ad acquirendam certitudinem, ad illam perueniet; cum Deus infundat illuſtrationem ad roborandum intellectum, & inſpirationem ad inuitandam voluntatem. In eo autem inſtanti, in quo ſupponimus illi proponi, eam credibilitatem vt merè probabilem, non eſt ſub libertate eius, quod ſibi proponatur vt euidens. Peccat quidem peccato infidelitatis, ſi non conetur ad habendam certitudinem in re tanti momenti; eius enim ignorantia eſt vincibilis; at ſi conatur ad illam, excuſatur à peccato infidelitatis, non quia ducitur opinione pro

babi-

babili, (quæ quidem includit ignorantiam vincibilem; quia non præſtat diligentiam, ad quam tenetur ad aſſequendam certitudinem in re tanti momenti) ſed quia dum conatur ad illam facit totum quod poteſt.

17 Dum verò aſſequitur euidentiam credibilitatis per motiua, vt ſupra, habet euidentiam credenditatis, vt loquar cum *Caramuele*, & docent Theologi cum *D. Thoma* 2.2.q.1.ar.5.ad 1. Quamuis enim non ſit euidens verum eſſe id, quod credimus; euidens tamen eſt, ſtantibus tot, & tantis motiuis ad confirmandam noſtram Fidem, obligari nos ad eam credendam, & excuſari omninò à leuitate credulitatis: Euidens enim eſt debere nos obedire Prælato, quando non poſſumus prudenter dubitare de eius voluntate obigandi, licet non conſtet nobis euidenter de tali voluntate, ſed ſolum per eius voces. Euidens etiam eſt, nos debere exhibere cultum Principi denuò venienti, licet non conſtet nobis euidenter, quod ille ſit Princeps, ſed ſolum per ſigna Principatus, quæ id teſtantur. Vnde euidens etiam eſt, debere nos adorare Hoſtiam in Eccleſia propoſitam; licet nec euidenter, nec per Fidem conſtet nobis, quod ſit conſecrata. Euidens eſt, debere filium colere, & reuereri ſuum Patrem; licèt non ſciat euidenter eſſe ſuum patrem; & ſic in alijs in quibus non adeſt ratio prudenter dubitandi. Multò ergo magis euidens erit, debere nos credere ea, quæ à Deo nobis proponuntur, quamuis non ſit euidens à Deo proponi, quando nimirum non eſt fundamentum prudenter de hoc dubitandi, & tot ſunt fundamenta ad credendum, quod Deus loquitur, & exigit à nobis Fidem, & per conſequens vult nos obligare ad præſtandam Fidem.

PROPOSITIO V.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

1 **Hæc ſumpta eſt, vt iacet, ex Theſibus publicè propugnatis Antuerpiæ ab *Antonio Marchant*, anno 1674. indeque delata ad S. Sedem tanquam vna ex doctrinis pernicioſis manantibus tunc per Belgium. Adſtipulari eidem etiam putatur *Vaſquez to.4.in 3.p.q.90.ar.1.dub.4.à num.* 37. Sed iſte non tam enormiter errat: nam licèt ibi dicat, ſolùm obligare in fine vitæ, tamen per accidens in multis caſibus obligare ad contritionem, & ſic ad actum charitatis, iam tradiderat *q.86.ar.6.dub.6.num.*11;**

PROPOSITIO VI.

Probabile eſt ; ne ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

2 Hæc tribuitur *Antonio de Eſcobar in ſumma tr.5. exam.4. num.8.* Cæterum apud eum non inuenitur, vt iacet, ſed cum nonullis additis, quibus declarat ſufficienter, mentis ſuæ non eſſe admittere vlteriorem extenſionem præcepti; ſed exponere determinationem quinquennij, denegationemque maioris moræ prudenti hominum arbitrio conſtare; non verò ex vigore iuris, quod indefinitum eſt & multoties obligat, quin quadriennium, vel alium terminum determinatè præſcribat, & citat *Filliucium*. Vt vt ſit, ipſe *Eſcobarius* longo poſt tempore cautior ſuam mentem clarius declarauit, & *Filliucium* ſuæ indemnitati reſtituit videlicet, *t.6. Theol.mor.1.p.l.49.n.9.* in hæc ſcribens de præcepto charitatis: *Præceptum hoc affirmatiuum per ſe obligat, quando quis ad vſum rationis peruenit: & quando grauia contra charitatem tentamina aſſurgunt; & ſemel in anno aut ſaltem quinto quoque anno: non tamen eſt certum in articulo mortis obligare: & quanto quis tenetur ad veram pœnitentiam extra ſacramentum. Filliucius tr.22.nu.288.* cui vlterius adijcit *Sanctium*, *Villalobos*, & *Bonacinam*.

PROPOSITIO VII.

Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus

3 Hæc tribuitur *Tamburino l.2. in decal.c.3. §.2.num.2.* vbi hæc habet *Mihi placet doctrina Azorij to.1.l.9.c.4.quæſ.1.circa finem, qui docet, hoc præceptum charitatis impoſitum fuiſſe ab iuſtificationem impij: ſolùm igitur tunc obligare quando impius quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, quà ſe iuſtificet, niſi eliciat actum contritionis, quæ ſemper aliquo tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia dilecti inuoluit. Conſequenter igitur, & indirectè, ratione ſuæ iuſtificationis ad actum Charitatis Fideles obligantur. Azorij* verò hæc ſunt verba: *Profecto videtur (vt quæſtionem ſoluamus) eiuſmodi præceptum eſſe conſtitutum, eo modo, quo diximus eſſe datum, & impoſitum diuinitus Fidei præceptum, & ſpei: nimirum tanquam remedium ad iuſtificationem impij: quare ijs temporibus ſuam obligationem affert, quibus improbum hominem oportet ſua peccata per veram pœnitentiam odio habere, & deteſtari, vt obtenta venia, ad diuinam gratiam*

reuocetur : Quare quandocumque quis debet de ſuis peccatis per veram cordis pœnitentiā dolere, vt eorum veniam obtineat extra ſacramētum reipſa ſuſceptum, ipſo iure diuino cogitur actum charitatis elicere : quia ſine eo vera & legitima pœnitentia non eſt, quæ ſufficiat, vt idonea, ad peccata lethalia poſt Baptiſmum commiſſa delenda extra Sacramentum, quamuis cum Sacramento pœnitentiæ ſufficiat is dolor, quem Theologi attritionem appellant, qui actus charitatis non eſt, cum ſit deteſtatio peccati non amore Dei, ſed metu gehennæ, vel odio turpitudinis, quæ peccatis ineſt, vel ſpe bonorum cæleſtium ſuſcepta. Hæc ibi : qui *l.8.c.7.quæſ.6.* loquens quandonam credendi præcepto, & lege ſinguli teneantur, inquit: *Reſpondeo actum Fidei eſſe imperatum à Deo tanquam remedium neceſſarium ad iuſtificationem impij, tum fidelis, tum infidelis : & proinde mandatum credendi tunc inducit obligationem, cum impius lege, & præcepto compellitur ad iuſtitiam adipiſcendam : qua obtenta præceptum Fidei non habet amplius vim obligandi : ita, vt certo tempore Fidei actum elicere debeamus, ſemper tamen eo præcepto tenemur, ne aliquid extra Fidem credamus.* Hec ibi in impreſſione Romæ anno 1600. quare non reperio verba, quæ ad eximendum eum à damnatione huius propoſitionis afferunt *Ioannes de Cardenas, Hurtadus De la Fuente*, & alij. Et quod, vt retuli, ſit ſententia *Azory* (& conſequenter *Tamburini*) aſſero ex eadem illuſtriſſima Religione *Filliucium tr.22.c.9.quæſ.8.num.286.* vbi quærit, quo tempore, obliget per ſe preceptum charitatis erga Deum, & relata prima extrema ſententia nimis rigida, ſubdit : *Secunda ſententia extrema, tunc tantum obligare, quando obligat contritio in ordine ad ſatisfactionem. Azorius l.9.c.4.quæſ.1. vel tunc tantùm, quando graues in Deum tentationes inſtant, & eſt periculum conſentiendi.* Hæc ibi *Filliucius*, qui *nu.288.* ſententiam hanc vocat probabilem, licet *num.290.* ſequatur vt probabiliorem tertiam ſententiam. Si tamen tibi videtur excuſationi iſtorum doctorum fauere, quod dixi in *Lapide Lydio in comment.ad propoſ.1.* initio æquo animo patior ; ſum enim benè affectus erga tam doctos Auctores, & tam illuſtrem Religionem.

SVMMARIVM.

§. I.

4 *Qui amor ſit amicitiæ, quæue creatura ſit eius capax?*

5 *Quodnam ſit obiectum formale charitatis, quiue charitatis actus primarius?*

6 *An aſſignandum ſit diuerſum obiectum formaliter reſpectu charitatis acquiſitæ, & infuſæ, ſintque diſtinguendi duo amores amicitiæ naturalis, & ſupernaturalis?*

7 *Deus non neceſſario ſub ratione trini, ſed vt auctor bonorum ſupernaturalium eſt obiectum charitatis?*

8 *Per infinitam Dei perfectionem quid intelligitur, vt ſit actus iuſtificatiuus?*

9 *Da-*

9 *Datur habitus charitatis infuſus, & poteſt augeri in hac vita.*

10 *Habitus charitatis augetur per actus intenſiores ipſo habitu præexiſtent. & inſuper actus remiſſi charitatis hominis iuſti merentur augmentum gloriæ.*

11 *Qualibet Iuſtorum opera facta in Deo, quantumuis remiſſa, ſunt meritoria augmenti gloriæ.*

12 *Opera remiſſa Iuſtorum merentur etiam augmentum gratiæ.*

13 *Iſtud gratiæ, & charitatis augmentum ſtatim confertur eodem ipſo inſtanti, quo elicitur actus meritorius etiam habitu remiſſior.*

14 *Aucta gratia, & charitate ſimul augentur omnes virtutes infuſæ.*

15 *Omnes virtutes infuſæ ſemper infunduntur, & augentur eadem propoſitione, qua gratia.*

16 *Gratia, & charitas in via amitti poſſunt, idque per mortale: at nequeunt de lege ordinaria directè diminui per peccata venialia.*

17 *Præceptum de dilectione Dei poſſe in via impleri, contra ſectarios, de Fide eſſe oſtenditur.*

18 *Præceptum charitatis continet affirmationem, & negationem: affirmationem principaliter; negationem ſecundariò. Quatenus negatiuum ſemper obligat, & ad ſemper. Quid cum graues tentationes inſurgunt odij Dei, vel iracundiæ contra Deum?*

19 *Præceptum charitatis quatenus affirmatiuum quando obligat per euidens, & indirectè?*

§. II.

20 *Præceptum charitatis affirmatiuum per ſe in pluribus caſibus, & temporibus obligat: meritòque proſcriptum aſſerere, tunc ſolum obligare, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam qua iuſtificari poſſumus.*

21 *Oſtenditur quia obligare non per ſe, ſed per accidens ſolùm, eſt contra rationem charitatis.*

22 *Idem oſtenditur ex pluribus inconuenientibus.*

23 *Actus charitatis incluſus in contritione, non iuſtificat formaliter, ſed diſpoſitiuè.*

24 *Lethaliter peccat, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret: meritòque damnata Propoſitio quinta.*

25 *Probatur primo ex eo quod præceptum dilectionis Dei ſemel tantum in vita obligare, ſemper malè audiuit in Eccleſia.*

26 *Idem oſtenditur à pari, imò maiori, ex præcepto diuino ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.*

27 *Tertiò ex eo quod hoc dilectionis exercitium Deus iure ſuo poſtulat, vt vltimus finis, primumque principium, vt pater, vt ſponſus animarum, vt eximius benefactor, alijſque innumeris titulis.*

28 *Quartò ex eo quod oportuit, vt ſub præcepto probiberetur nimia & ignaua dilatio exercitij adeo nobilis, & proficui.*

29 *Quin-*

Digitized by Google

29 *Quintò, quia alioqui ſatis foret nullum agnoſcere affirmatiuum præceptum proprium, ac ſpeciale charitatis.*

30 *Sextò, quia ſaltem toties debet obligare, quoties præceptum concupiſcendi Deum nobis, orandi, gratias agendi, honorandi Deum per ſacrificia, & cætera huiuſmodi.*

31 *Opinio contraria cum ſit improbabilis, à ſcrupulis non liberat: nec ſi ad ſpeculationem recurratur, hoc præceptum tantum in articulo mortis obligare eſſet dicendum.*

32 *Vt minimum quintò quoque anno per ſe obligat præceptum affirmatiuum Charitatis erga Deum, & multipliciter probatur.*

33 *Communiter hæc dilectio quinque annorum videtur nimium prolixa. Et quidem ad tres, vel quatuor annos hanc obligationem contrahunt? non nulli ad duos. Satis probabiliter, & communiter docetur, quod ſingulis annis hoc præceptum per ſe obligat.*

34 *Et ſatis etiam probabile eſt hoc præceptum obligare per ſe etiam aliquoties intra annum.*

35 *Oſtenditur, per hanc doctrinam non imponi fidelibus onus importabile, ſed potius iugum ſuaue, & onus leue.*

36 *An hoc præceptum, quatenus affirmatiuum obliget, cum primum incipit vſus rationis?*

37 *Non obligat pro inſtanti vſus rationis. Nec id* D.Thomas *docuit.*

38 *Non ſequuntur inconuenientia, quæ afferuntur ab Aduerſarijs.*

39 *Obligat tamen circa vſum rationis nempè quando quis incipit habere notitiam Dei vt infinite amabilis propter ſe, ſufficientem ad iſtum amorem eliciendum: & adhuc datur aliqua latitudo aliquarum hebdomadarum.*

40 *Hæc ſententia ſic explicata haud obnoxia videtur ſcrupulis, & torſionibus conſcientiarum.*

41 *Adeſt obligatio diligendi Deum in periculo, ac extremo vitæ eius, qui conſcius eſt peccati mortalis, etiam ſi Sacramentaliter confeſſus eſt.*

42 *Imò tutiùs, & probabilius docetur, quod etiam exiſtens in gratia, & qui ſuo tempore extra periculum elicuit actum dilectionis Dei, debet circa periculum, ac articulum mortis elicere actum dilectionis Dei.*

43 *An ſint alia tempora, in quibus obliget præceptum charitatis erga Deum?*

44 *Quæ, & quot ſunt peccata commiſſionis contra præceptum dilectionis Dei?*

45 *Peccatum omiſſionis contra charitatem Dei, in quot ſpecies diſtinguitur?*

Digitized by Google

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia harum trium Propoſitionum.

4 PRænotandum eſt primò ex *Diuo Thoma 2.2.q.23.ar.1. in corp.* non quemlibet amorem eſſe amorem amicitię,ſed eum, quo alicui volumus bonum: bonum autem amatum non amamus amore amicitiæ; vt enim inquit *Ariſt.8. ethic.c.2.* ridiculum eſſet ſi vino quiſpiam bona vellet, quod intelligitur gratia ſui, & amore amicitiæ. *Vt* autem notauit idem *Angelicus Doctor 1.2.q.26.ar.4.Caiet.ibidem,Ferrara 1.cōtra Gent.c.91.* & alij in eodem actu amoris duplex eſt reſpectus, alter ad perſonam, cui volumus bonum, alter amor ad bonum ipſum. Ratione prioris dicitur amicitię, ratione poſterioris concupiſcentiæ. *Vt* autem ſępè in Ethicis docet *Ariſtot.* amare eſt velle alicui bonum. Meritò autem *S.Doctor cit.art.1.* docuit homines nō habere amicitiam cum rebus irrationalibus. Et *Ariſt.cit. c.2.* dixit illas per accidens amari, eo quod ſemper eas amamus relatè ad aliquam creaturam rationalem. Non poteſt ergo res irrationalis capax eſſe amicitiæ humanæ,ſicut neque eſt ſecundùm ſe capax honoris, & adorationis ſine prototypo, vt rectè probat *Vaſquez l.3.de adoratione d.1.c.6.*

5 Notandum eſt ſecundò: Non eſſe obiectum formale charitatis Deum vt bonum nobis: ſic enim Deus, non amatur amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ: quia non volumus illi bonum vt bonum illius eſt, ſed potius illum diligimus ex complacentia noſtra. Sed tale obiectum ad ſpem pertinet. Sicut etiam obiectum Charitatis non eſt Deus, vt poteſt conferre nobis auxilium: hac enim ratione eſt obiectum Spei: quemadmodum vt verax in dicendo eſt obiectum Fidei. Eſt ergo formale obiectum bonitas ipſa Dei ſecundum ſe irreferribiliter, quod alij dicunt, charitate diligi Deum ſuper omnia, ac propter ſe ipſum irreferribiliter. Ita docent communiter *Theologi in 3.d.27.cum D.Thoma 2.2.q.17.ar.6.*& ideo *q.23.ar.1.* dixit charitatem eſſe amicitiam hominis erga Deum; per amicitiam autem diligitur amicus propter ſe, hoc eſt, ita per amicitiam volumus amico bonum, vt velimus illud, quatenus bonum ipſius eſt, & ex complacentia eius.Hinc charitas actualis,ſeu charitatis actus primarius,eſt amore amicitię proſequi Deum ſuper omnia, ac propter ſe ipſum irreferribiliter. Ratio eſt; quia Charitatis Theologicæ proprium munus eſt, hominem aliquo modo pro ratione ſtatus coniungere cum Deo, vt vltimo fine, ac ſummo Bono: ſed nullus amor coniungit nos ita cum Deo, vt vltimo fine, ac ſummo Bono, niſi is, quo amatur Deus ſuper omnia, & propter ſe ipſum irreferribiliter, ita nimirum, vt ipſe non referatur ad aliud, ſeu ametur pro-

Digitized by Google

propter aliud quodcumque bonum creatum, vt motiuum primarium, & finale, vt ſanè ex terminis conſtat; nam eo ipſo, quo amatur Deus propter quodcumque bonum creatum, vt motiuum principale, & finale; iam non amatur Deus ſuper omnia, ſed minùs, quam illud aliud bonum: nec conſequenter talis amor coniungit nos Deo, vt vltimo fini, & ſummo Bono, ſed potius illi alteri bono, propter quod amamus Deum. Nam propter quod vnumquodque tale ipſum eſt magis tale. His autem non obſtat *D. Auguſt. 1. ſoliloq. c. 6. circa finem* dicens. Charitatem eſſe neceſſariam ad deſiderandum diuinum aſpectum: Quis enim neget, poſſe aliquem amare beatitudinem, vel vt bonum proprium amantis, qua ratione amor ille pertineret ad amorem concupiſcentiæ, vel propter Deum ipſum & bonum ipſius Dei, & ex complacentia ipſius, qui eſt noſtra beatitudo obiectiua, & dilectio eius ſub ea ratione plane erit amicitia, & Theologica. In *Lapide Lydio* verò explicui tripliciter intelligi amari Deum ſuper omnia, nempe obiectiuè, appretiatiuè, & intenſiuè. Iuxta ergo ibi, & hic dicta, Formale motiuum charitatis eſt infinita Dei bonitas ſecundum ſe, & propter ſe amabilis, propter quam Deus amatur. Ideo Deum ſuper omnia propter ſe diligimus & omnibus creaturis ipſum præferimus, quia ſummum, & infinitum bonum eſt; hinc actum charitatis elicit ſic diligens: Deus *meus, te ſuper omnia diligo, omnibus creaturis te præfero, ac potius tibi volo placere, quam cuicumque alij, quia infinitè bonus, propter te amabilis, & perfectiſſimus es. Auguſtinus Lucenſis in caut. confeſſ. l. 1. c. 1. num. 23.*

6 Notandum eſt tertiò: aſſignari diuerſum obiectum formaliter reſpectu charitatis acquiſitæ, & infuſæ; & hinc eſſe duos amores amicitiæ diſtinguendos; ita vt amore naturali diligamus Deum, vt eſt auctor naturæ, & ex complacentia eius ſub hoc reſpectu; amore vero ſupernaturali amemus ipſum vt auctorem bonorum ſupernaturalium propter ſeipſum, & ex complacentia eius; quod alij dicere ſolent, Deum vt auctorem naturæ eſſe obiectum amoris naturalis; vt obiectum autem beatitudinis eſſe obiectum charitatis ſupernaturalis. Quod poteſt explicari ex eo quod docet *S. Thomas cit. q. 23. ar. 1.* & recipiunt communiter Theologi, & Philoſophi, Omnem amicitiam requirere aliquam communicationem bonorum, & ita ex communicatione bonorum naturalium, vel ſupernaturalium poteſt colligi diuerſa amicitia. Dum autem Gregorius XIII. & Pius V. damnarunt propoſitionem *Michaelis Baij Louanienſis, in ordine 34.* quæ eſt: *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo Deus amatur vt auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur vt glorificator eſt, & commentitia, & vana eſt, & ad illudendum Sacris Literis, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata:* Ex damnatione huius propoſitionis aliqui colligunt damnatam eſſe opinionem negantium diſtinctionem duplicis amoris. Alij vero putant, quod illa propoſitio ſolùm damnatur propter ſeueram cenſuram communis opinionis. Ita *Vaſquez, Turrianus, & alij.* Cæterum procul

Digitized by Google

dubium eſt, vtramque dilectionem præcipi. Vide quæ attuli in *comment.cit.ad 1.Propoſ.*

7 Notandum eſt quartò, quod dum *S.Thomas* pro obiecto charitatis aſſignat Deum vt obiectum beatitudinis, non intelligit Deum eſſe obiectum charitatis theologicę neceſſariò ſub ratione Trini,vt recẽtiores aliqui videntur ſentire, ſed Deum vt auctorem bonorum ſupernaturalium; nullus enim negare poteſt Deum vt vnum, & bonum in ordine rerum ſupernaturalium poſſe diligi ex complacentia ſui ipſius, quæ dilectio planè eſt charitatis Theologicę. Primò, quia aliàs eſſet concedenda quarta virtus Theologica; nam talis actus non pertineret ad Fidem vt conſtat, neque ad ſpem, quia non diligitur Deus, vt bonum noſtrum, neque vt potens nobis auxiliari, ſed vt bonus in ſe, & ex complacentia ſui ipſius. Si ergo talis actus non eſſet charitatis theologicæ, eſſet ſanè concedenda quarta alia virtus theologica inuiſa Patribus, & Scholaſticis; verſatur enim hic actus circa Deum, tamquam circa obiectum formale. Secundò quia vere hoc obiectum formale comprehendit bonitatem Dei, & complacentiam eius; quod verò ametur vt vnus, vel vt trinus, non pertinet ad diuerſam rationem formalem, ſi ſemper conſideretur vt bonus in ordine rerum ſupernaturalium. Quod vlterius poteſt oſtendi, quia ante legem Euangelicam ſecundum multorum ſenſum multi fuerunt, qui non habuerunt notitiam Trinitatis, & tamen abſurdum eſſet dicere, omnes illos cum vera Fide vnius Dei non habuiſſe veram dilectionem theologicam, quæ neceſſaria eſt ſaltem vt diſpoſitio ad iuſtificationem extra Sacramentum. Imò vt ex infra dicentis conſtabit, etiam in lege Euangelica cenſet non improbabiliter multi, Fidem explicitam Trinitatis non eſſe medium neceſſarium ad iuſtificationem extra Sacramentum, & poſſe hominem interdum iuſtificari præcedente Fide vnius Dei remuneratoris, & ſubſequuta ſupernaturali dilectione illius.

8 Porrò per infinitam Dei bonitatem, & perfectionem, quam dicimus eſſe obiectum formale charitatis, non ſolum intelligitur cumulus omnium perfectionum collectiuè, ſed etiam quæuis infinita Dei perfectio ſeorſim ſumpta abſtrahendo ab alijs; ſic, vt amari poſſit Deus actu charitatis iuſtificatiuo, non ſolum quia eſt infinitè perfectus in omni genere, ſed etiam præcisè quia eſt infinitè perfectus in genere naturæ diuinæ,præſcindendo ab attributis,& perſonalitatibus; item præciſe propter infinitam ſapientiam, aut iuſtitiam, aut bonitatem Dei ſpecialem, quæ eſt ſpeciale attributum Dei, à cæteris attributis & perfectionibus diuinis diſtinctum, importans ſummam perfectionem Dei in operando; aut perſonalitatem Patris, vel Filij vel Spiritus Sancti abſtrahendo ab alijs perfectionibus. Ita *Arriaga*, Ouiedus, *& alij*. Contra *Gaſparum Hurtadum* aſſerentem; Deum ita debere per charitatem amari propter omnes omninò perfectiones,quas continet, vt ſi vel vnica excepta ametur propter cæteras,

Digitized by Google

ras, actus ille non ſit charitatis. Et contra *Caſtillum* volentem ſolam naturam Dei eſſe obiectum formale charitatis. At noſtra ſententia facilè probatur, quia ſingulæ perfectiones Deo intrinſecæ ſunt infinitæ in ſuo genere. Ergo reddunt Deum infinite amabilem propter ſe ibi ſiſtendo, adeoque amabilem amore amicitiæ, & ſuper omnia, quæ non ſunt Deus; ac proinde non ſolum omnes Dei perfectiones ſumptæ collectiuè; ſed etiam ſingulæ diſtributiue poſſunt eſſe obiectum formale actus charitatis, qui ſit verus amor amicitiæ, ac ſuper omnia, & conſequenter iuſtificatiuus. Si dicas. Quilibet actus charitatis eſt perfectiſſimus: Ergo habet obiectum formale perfectiſſimum. Ergo omnem omnino perfectionem Deo intrinſecam. Diſtinguo antecedens: eſt perfectiſſimus ex ſuo genere, ſiue ex ſuo modo tendendi generico, qui eſt ſiſtere in bonitate Dei abſolute, eamque amare propter ſe,& quidem ſuper omnia, concedo; eſt perfectiſſimus hoc ſenſu, quod inter actus charitatis nō detur alius alio perfectior tum intenſiuè, tum etiā extenſiue, ob extenſionem ad plures Dei perfectiones,& plura bona ſiue intrinſeca ſiue extrinſeca Deo volenda, nego. Vnde non debet omnis actus charitatis, quamuis ex ſuo genere perfectiſſimus, habere pro obiecto formali omnes Dei perfectiones collectiuè. Hinc Deus per quemlibet actum charitatis amatur vt perfectus, & quidem infinite in aliquo genere: at non infinitè perfectus in omni genere; hoc enim proprium eſt actibus charitatis ex obiecto formali extenſiuè perfectiſſimis. Vnde omnes actus charitatis non ſunt eiuſdem ſpeciei phyſicè, & ſtrictè, ſed ſolum moraliter, & latè quatenus omnes conueniunt in eo, quod nitantur perfectione Deo intrinſeca, ipſum reddente infinitè amabilem propter ſe. Quod abunde ſufficit, vt poſſint pertinere ad eundem habitum ſupernaturalem, qui cum potentias imitatur, poteſt ad varios ſpecie actus extendi.

6 Notandum eſt quintò: Et dari habitum charitatis infuſum, & poſſe augeri in hac vita. Et circa primum errauit *Magiſter in 3.d.27.* ratus non eſſe habitum charitatis. Sed meritò illum refutant cæteri ſcholaſtici, & *S. Thomas cit.q. 24.ar.2.*& doctè de hac re tractat *Bellar.to.2.l.1.de gratia*, & *lib.arb.c.8.& 9.* qui varias obiectiones ſoluit, ſicut & *S.Thomas* in diſputatis quæſtionibus de charitate. Iam verò conſtans, & concors vna Theologorum ſententia aſſerentium eſſe habitum infuſum charitatis ſupernaturalis, qui neceſſarius eſt ad eliciendum connaturaliter actum amicitiæ ſupernaturalis erga Deum: ſpecialiter verò oportet aduertere habitum iſtum, ſi non diſtinguatur ab habitu gratiæ, valde certum eſſe debere talem habitum eſſe concedendum, quia certum omnino eſt paruulos per baptiſmum manere ſantificatos forma aliqua inhærente, in quibus cum non ſit aliquis actus voluntatis, neceſſariò concedendus eſt habitus. Si vero habitus charitatis diſtinguatur ab habitu gratiæ, vt propugno cum Thomiſtis, ſufficit hic probare ex *Trident.ſeſ.6.can.11.* ibi: *Si quis dixerit hominem iuſti-*

ficari

cari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei; anathema ſit. Ceſſent ergo inſanire quidam ſcioli Athomiſtę. Quoad ſecundum, fuit error Iouiniani aſſerentis omnes iuſtos eſſe æqualiter iuſtos, vt refertur *to.1.Conciliorum in Concilio Talenſi,in Epiſtola Epiſcoporum ad Syricium Papam*, quæ eſt *epiſtola* 81.inter epiſtolas *Ambroſij*, & ex *Sandero l.7.de viſibili monarchia* docet *Vaſquez.1.2.to.1. d.99.c.1*.hanc hæreſim fuiſſe ſub anno.*385*. Theodoſio imperatore,& Syricio Pontifice. Ex alio capite errauit Lutherus, exiſtimans omnes iuſtos eſſe æqualiter iuſtos, ratus conſtitui iuſtos iuſtitia Chriſti extrinſeca, contra quem errorem ſcripſit *Vega l.10.ſuper Concilium Trid.à.c.3.capite* autem 2.refutauerat errorem eiuſdem Lutheri, putantis Iuſtos non poſſe proficere in ſanctitate. Quòd verò charitas poſſit augeri, probari poteſt ex locis ſcripturæ, vbi dicitur, non eſſe omnes æquahter iuſtos, vel poſſe creſcere in Sanctitate. *Iob.1.Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra? 2.Corint.9. Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Apocal.vlt. Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc.*Et in *Conc.Trid.ſeſſ.6.c.10.&.can* 24.definitur, homines iuſtos in hac vita bonis operibus creſcere in ſanctitate. Impugnari etiam poteſt prædictus error ex locis ſcripturæ, & Patrum, in quibus præmia beatorum dicuntur eſſe inæqualia, quæ adducuntur à *Vaſquez to.1.1.p.d.*47.& paſſim id docent Patres.

10 Certum eſt apud Theologos habitum charitatis augeri per actus intenſiores ipſo habitu præexiſtente; quia & omnes habitus hoc habent ſecundum rectam philoſophiam, vt pono ex materia de habitibus; & prædicti actus habent omnes conditiones ad meritum, ac proinde nihil deeſt quominus mereri poſſit augmentum habitus: communis verò ſententia rectè docet, actus remiſſos charitatis hominis iuſti mereri augmentum gloriæ; vt patet ex *Trident.cit.ſeſſ.6.c.16.*vbi enumerans conditiones requiſitas ad meritum, vt homo conſequatur ſuo tempore gloriam, ſolum requirit, vt ſit opus hominis iuſti, & ſit factum in Deo, hoc eſt, ex auxilio, & gratia, & vt homo diſcedat ex hac vita in gratia: nihil verò dicit de intenſione, aut remiſſione actus. Et in eodem capite inquit Concilium: *Neque verò illud omittendum eſt quòd bonis operibus in Sacris litteris vſque adeo tribuatur,vt qui vni ex minimis ſuis potũ aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe ſua mercede cariturum.* Quibus verbis pendet Concilium dignitatem bonorum operum, vt vltima etiam opera minima ſint digna ęterna mercede.Si reſpondeas cum aliquibus illud opus tribuendi calicem aquæ frigidæ non eſſe opus minimum, quia eſt opus charitatis; nam Chriſtus *Matthei* 10.& *Marci.9.* promiſit mercedem ei qui dediſſet potum aquæ frigidæ, non quomodocumque, ſed in nomine diſcipuli, quaſi ex affectu erga Chriſtum. Contra eſt: nam Concilium manifeſte loco

cita-

citato, dum vtitur illis particulis VT, ETIAM, exaggerat excellentiam, & dignitatem operum. Deindè illud, *in nomine diſcipuli*, non neceſſariò ſignificat actum charitatis, ſed vel religionis, vel obſeruantiæ erga miniſtrum Euangelii. Adde, quod ex oppoſita ſententia ſequeretur peioris eſſe conditionis iuſtum hominem, qui in principio feruentius, & intenſius operaretur, ſi futura opera ſubſequentia minùs intenſa nullius meriti eſſent apud Deum.

11 Imò quælibet iuſtorum opera cum prædictis conditionibus quamtumuis remiſſa, eſſe meritoria augmenta gloriæ, benè etiam tradit communis ſententia; alias opus hominis iuſti factum in Deo eſſet cariturum ſua mercede, etiamſi iuſtus ille diſcederet ex hac vita in gratia, ſi poſt opus illud numquam intenſiorem actum habitu effecit, quod videtur contra Concilium loco citato. Aliqui reſpondent, opus illud non cariturum ſua mercede, quia meretur nouo titulo eamdem gloriam prius debitam. At hæc ſolutio & fundamentum non habet, & reipſa nihil continet doctrinæ, ſed videtur conficta ad eludendam vim argumentorum: præmio enim aliquo finito non poteſt æqualiter ſatisfieri duobus operibus, ſi primum opus condigne merebatur illud præmium, quod in ſolutione debiti humani inter homines eſt manifeſtum. Deinde mereri idem præmium pluribus titulis non multum moueret homines ad operandum ſi ſemel effeciſſent opus aliquod valdè intenſum. Item quod in ſcriptura dicitur, Deum redditurum vnicuique iuxta opera ſua, ſine cauſa reſtringitur, & limitatur ad ſola opera intenſa. Nonnulli reſpondent, loca concilij poſſe explicari de præmio accidentali, quod erit diuerſum pro diuerſis operibus. Hoc etiam facilè poteſt refutari; quia *Conc.cit.ſeſſ.6.can.32.* expreſſe loquitur de meritò gratiæ, & vita æterna, ſicut &*.c.16.* Rurſus Concilium non diſtinguit de actu intenſo, vel remiſſo; certum autem eſt apud omnes opus intenſum mereri nouum præmium eſſentiale.

12 Et opera remiſſa Iuſtorum merentur etiam augmentum gratiæ. Ita doctores communiter cum *D.Thoma 22.q.2.ar.6.in corpore*:& ad 1.*Scoto & Grabiele*:Ratio eſt, quia hoc ipſo quod hæc opera conſtituunt operantem dignum maiori gloria, efficiunt etiam magis amicum, atque adeò merentur augmentum gratiæ. Quod ſi habitus gratiæ non diſtinguatur ab habitu charitatis non eſt dubium quin actus qui meretur gratiam, mereatur charitatem: ſi verò diſtiguantur iſti duo habitus, vt probabilior tenet ſententia: *Victoria relat. de augmento charitatis p.1.d.num.4.Sotus de na ura, & gratia l.2.c.17.& in 4.d.15.q.2.ar.2.*docent augeri aliquando habitum gratiæ, non tamen charitatis. At dicendum puto, quolibet actu quo iuſtus meretur augmentum gratiæ, mereri etiam augmentum charitatis. Videtur ſententia expreſſa *S.Thomæ,2 2.q.24.ar.6.ad* 1.& ſequuntur *Valen.ibidem pu.3.& Vaſquez 1.2.to.2.d.220.c.6.*vbi fusè hoc probat, contra *Victoriam*, & alios. Et certè nullum eſt idoneum fundamentum ad di-

dicendum augeri vnum habitum, & non alterum: & ſecundum veriorem opinionem aſſerentium hos habitus diſtingui, dicendum eſt vnum non infundi ſine altero, quod omnes concedunt, ac proinde nec augeri; quod enim aliqui dicunt de augmento habitus gratiæ ſecundum rationem gratiæ, & acceptionem extrinſecam, benè refutatur à *Vaſquez cap. cit.* & nullo modo eſt admittendum, eo quod habitus gratiæ, ſiue diſtinguatur ab habitu charitatis, ſiue non, ex natura ſua habet conſtituere hominem ſanctum, vt pono ex materia de Gratia. Si opponas, in Chriſti humanitate non fuiſſe ęquales habitus gratiæ, & charitatis, quia habitus charitatis, erat finitus in intenſione, cum tamen habitus gratię in ratione gratię eſſet infinitus. Contra eſt, quia gratia habitualis Chriſti, ſicut & charitas, fuit finita ſecundùm intenſionem, ex communi ſenſu Doctorum, & habitus iſti inter ſe fuerunt æquales; ex vnione tamen cum diuinitate deriuabatur in huiuſmodi habitus, & operationes Chriſti infinita quædam dignitas, ratione cuius poterat habitus gratiæ, & charitatis dici habere infinitatem in ratione gratiæ propter dignitatem perſonæ, & diuinitatem, qua inſtar vnguenti vngebatur humanitas, iuxta ſanctorum Patrum doctrinam.

13 Iſtud autem gratiæ, & charitatis augmentum ſtatim confertur eodem ipſo inſtanti, quo elicitur actus meritorius etiam habitu remiſſior. Ita *B. Albertus in 4. d. 17. ar. 10. Gabriel, Maior, Almainus, Suarez, Vaſquez, Lorca, Caſtillus, Malderus, Corduba, Hurtadus, Torres*, & alij plures: quamuis *Capreolus, & Conradus* cenſeant dari tale augmentum, quando homo ſe diſpoſuerit per feruentiorem actum, ita tamen, vt ſi in hac vita numquam habuerit feruentiorem actum, numquam dabitur illud præmium, quod aliàs daretur, & reſponderet actui remiſſo. Et *Scotus in 4. d. 22. q. 1. §. de ſecundò, & d. 21. q. 1. §. in iſta quæſtione, verſ. iſtud eſt*, ſentiat, tale augmentum numquam dari in hac vita, dari verò in ingreſſu beatitudinis. Probatur autem noſtra ſententia ex *Conc. Triden. ſeſſ. 6. c. 10.* vbi dicit, iuſtificatos, & amicos Dei euntes de virtute in virtutem renouari, vt Apoſtolus inquit de die in diem mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitię in ſanctificationem per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam acceptam, cooperante Fide bonis operibus creſcere, atque magis iuſtificari. Circa quem locum ponderandum eſt primò, quòd videtur *Concilium* loqui de augmento iuſtitiæ, de qua loquens *c. 7.* dixerat cauſam illius eſſe Baptiſmum: hæc autem iuſtitia habitus eſt. Incipit enim *Concilij caput* his verbis. *Sic ergo iuſtificati*, vbi illa particula *Sic*, modum iuſtificationis priùs traditum planè indicat. Deindè *Concilium* vniuersè videtur loqui de omnibus operibus, quibus iuſti communiter obſeruant mandata, euntes de virtute in virtutem; cum tamen communiter non ſemper hæc opera ſint intenſiora; & *can. 24* definitur, Iuſtitiam acceptam augeri coram Deo per bona opera; & *can. 32.* definitur, Iuſtificatum bonis operibus ex gratia factis, mereri

Digitized by Google

augmentum gratiæ. Accedit ratio, quia per tales actus quantumuis remiſſos ſufficienter diſponitur iuſtus in ratione diſpoſitionis meritoriæ ad recipiendum augmentum habitus gratiæ, & charitatis. Sciendum enim eſt, ſuppoſita communiori, & veriori ſententia ſupra tradita, quod actus remiſſus mereatur augmentum gratiæ, dicendum eſſe per quemlibet actum virtutis hominis iuſti conſtitui iuſtum magis Sanctum: conſtituitur enim dignus maiori gloria, ſicut peccator nouis peccatis redditur magis iniuſtus. Et hanc ſanctitatem Recentiores, qui contra hæreticos ſcripſere, appellant Sanctitatem operum. Per illa ergo opera conſtituitur operans magis Sanctus, & hanc Sanctitatem actuum dicimus eſſe ſufficientem diſpoſitionem in genere meriti, & formæ conſtituentis amicum. Ergo cum homo ille per talem actum magis placeat Deo, atque adeò in eo ordine ſufficienter videatur diſpoſitus ad infuſionem habitus, non eſt cur negemus infundi. Et confirmatur amplius, quia iuſtificatio non fit ſine habitu: Ergo augmentum iuſtificationis non fit ſine augmento habitus: hoc enim ipſa natura iuſtificationis videtur poſtulare. Si obijcias: ſi per omnes actus cuiuslibet virtutis augeretur ſtatim habitus charitatis, cum in religioſis hominibus frequens ſit habere huiuſmodi actus, inſignem quamdam facilitatem experirentur in ſe ipſis ad eliciendos actus charitatis, quod non ita euenit. Reſpondeo, hominem iuſtum non experiri eam facilitatem, quia habitus ſupernaturalis non iuuat ad facilitatem, ſed ad ſubſtantiam actus; quam doctrinam tradidit *Vaſquez* 1. 2. *tom.* 1. *d.* 83. *cap.* 1. *num.* 7. Ego cum Turriano non negarem iuſtum hominem, qui frequenter benè operatur, maiorem in dies facilitatem experiri ad obſeruanda mandata Dei, & benè operandum; ſiue hæc oriatur ex augmento habituum infuſorum in voluntate, ſiue ex adiuncto exercitio habituum adquiſitorum, ſiue etiam ex parte intellectus, ſi multiplicentur rationes, quæ efficacius mouent ad operandum: quamuis dum ſumus in ſtatu agonis, & pugnæ, non deſint motus vitiorum, cauſæue extrinſecæ, inpedimentaque vincenda, & ſuperanda ex auxilio gratiæ per Chriſtum.

14 Aucta gratia, & charitate ſimul augentur omnes aliæ virtutes infuſæ. Ita poſt *Suarium, & Conincbium, Ripalda d.* 128. *ſect.* 6. diſſentientibus *Vaſquio*, *Turriano*, *& Maldero* de habitibus fidei, & ſpei, quos volunt tantum creſcere per actus proprios: quod ad cæteras virtutes extendunt quidam recentiores apud *Salas*: At oſtenditur noſtra ſententia. Imprimis de moralibus: quia hæ virtutes ſunt proprietates à gratia connaturaliter inſeparabiles, ſicut charitas: ergo eam ſequuntur quoad infuſionem, conſeruationem, & augmentum, ſicut charitas. Deinde ſpecialiter de Fide, & Spe: tum ex *Triden. ſeſſ.* 6. *c.* 10. vbi poſtquam docuit, iuſtos per bona opera creſcere in iuſtitia, in fine ſic concludit: *Hoc verò iuſtitiæ incrementum petit Eccleſia cum orat: Da nobis Domine Fidei, Spei, & Charitatis*

augmentum &c. Deinde iuſtitiam, de cuius augmento agit *c.* 10. ſuperius *c.* 7. docet conſiſtere *in ſuſceptione gratiæ, & donorum*, ideſt ſaltem Fidei Spei, & Charitatis, vt ſub finem eiuſdem capitis indicat. Tum etiam quia Fides, & Spes numquam primum infunduntur ſine gratia, quæ illas connaturaliter ita exigit, vt numquam exiſtat ſine illis, adeoque illas, ſi non præinueniat (vt ſubindè in peccatoribus) ſemper ſecum afferat: Ergo ſunt veræ eius proprietates; ac proinde creſcente gratia creſcunt tamquam eius proprietates quaſi per reſultantiam, ſicut cæteræ virtutes, quæ ſunt proprietates entium naturalium. Nec ex eo, quod in peccatore conſeruantur ſine gratia, inferendum, quod non ſunt eius proprietates. Nam hoc fit per accidens, præter, aut etiam aliquo modo contra exigentiam naturalem, ex ſpeciali fauore Dei nolentis peccatorem fidelem, qui ab ipſo nec dum ex toto receſſit, deſtituere principio intrinſeco actuum ad reconciliationem diſponentium.

15 Vndè videtur probabilior ſententia *Ripaldæ*, contra *Suarium*, docentis, Omnes virtutes infuſas, ſemper infundi, & augeri eadem proportione, qua gratia, ſicut hæc ſemper fit in eodem gradu intenſionis cum reliquis virtutibus infuſis. Ratio eſt, quia Charitas ex communiſſima etiam aduerſariorum ſententia, eſt ſemper in pari gradu intenſionis cum gratia: adeoque, & reliquæ virtutes, etiam Fides, & Spes; cum etiam *hæ*, vt iam oſtenſum eſt, ſint veræ proprietates gratiæ: gratia verò earum radix. Vndè licet ſubindè in peccatore præinueniantur à gratia, ea tamen introducta, ſtatim incipiunt creſcere, quaſi per reſultantiam creſcente gratia, ſicut calor præinuenitus in ſubiecto à forma ignis, ſtatim hac introducta intenditur vſque ad gradum iſti formæ proportionatum. Hinc habitus Fidei, & Spei non augentur in peccatore per proprios actus in eo ſtatu elicitos, quia cum hi actus in peccatore non ſint meritorii gratiæ; etiam non ſunt meritorii donorum ſupernaturalium eam conſequentium. Quare Sancti numquam magis excellunt in vna virtute habituali infuſa, quam in alijs, licet ſubinde magis excellunt in vna virtute actuali, V. g. Fide, hoc ſenſu, quod frequentiores, aut etiam per auxilia tranſeuntia excellentiores fidei actus exerceant, quam, aliarum virtutum. Item hoc ſenſu, quod per actus heroicos vnius virtutis magis reprimant paſſiones repugnantes vni virtuti, quàm alijs.

16 Notandum eſt ſextò: Charitatem in via amitti poſſe, idque per mortale: hæc enim vel eſt idem cum gratia ſanctificante, vel inſeparabiliter coniuncta: Atqui gratia amitti poteſt per peccatum, vt contra *Iouinianum*, & *Caluinum* definitur in *Trid. ſeſſ. 6. can. 23.* & patet ex ſcriptura *Ezech.* 18. *Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa. Ioan.* 15. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras &c.* Illa verò verba 1. *Io.* 3. *Omnes, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Et ſimilia *Auguſtini*,

alio-

aliorumque Patrum, intelligenda ſunt, vel in ſenſu compoſito, vel in ſenſu conditionato, ſic, vt ſenſus ſit, non poteſt peccare retinendo charitatem, vel ſi ſequatur motionem gratiæ ſantificantis per gratias actuales ſibi connaturaliter debitas, & charitatis per ſuos actus ſemper inclinantis in bonum: In quem ſenſum dixit *Auguſt. lib. de gratia Chriſti: Cum peccat homo non operatur ſecundùm charitatem, ſed ſecundùm cupiditatem, ſecundùm quam non eſt natus ex Deo*. At gratia, & charitas non poſſunt de lege ordinaria directè diminui per peccata venialia. Ita communiſſime cum *D. Thoma 2.2.q.24.ar.1.* contra *Gloſſatorem in c. Tres ſunt, de Pœnit. d. 1.* volentem paulatim minui per venialia: quod vt probabilius tenet *Altiſiodorenſis*, & valdè inclinat *Richardus*. Ratio eſt, quia alioqui poſſent venialia ita multiplicari, vt per illa totaliter deſtrueretur gratia, & charitas, & conſequenter homo propter illa damnaretur; atque ita venialia poſſent per multiplicationem fieri mortalia, quod eſt erroneum. Nec dicas cum *Richardo*, vltimum veniale gratiæ, & charitatis totaliter deſtructiuum, fieri mortale per accidens, ratione præcedentium. Tum quia vltimum veniale nihil accipit malitiæ à præcedentibus. Tum quia poteſt contingere, vt de facto ſæpè contingit, vt ſecundum ſe ſit multò leuius præcedentibus. *Altiſiodorenſis* inquit, per venialia quamtumuis multiplicata gratiam, & charitatem non poſſe totaliter deſtrui, quia eius diminutio per venialia fit ſecundùm partes proportionales decreſcentes, quà ratione poteſt in infinitum diminui abſque totali conſumptione. At eſt ab omni ratione, & æquitate alienum aſſerere, quod venialia poſteriora ſæpè grauiora prioribus, minus minuant gratiam, & charitatem, quàm priora. Rectè tamen dicuntur venialia diminuere gratiam, & charitatem indirectè. Primò, quia venialia diſponunt ad mortale, quatenus remouent abundantiam gratiarum actualium, quibus homo præſeruatur à lapſu in mortale. Secundò, quia impediunt frequentiam actuum charitatis. Tertiò, quia faciunt, ne charitas facilè imperet actus præſertim heroicos aliarum virtutum. Quartò quia tollunt feruorem charitatis: qui enim affectum habet ad venialia, non poteſt elicere actus excellentes appretiatiuè. Quintò, quia intendunt habitus prauos inclinantes ad malum etiam in materia peccati mortalis, & augent concupiſcentiam, quæ eſt venenum charitatis. Hoc ſenſu intelligendus eſt *Auguſtinus epiſt. 108.* relatus in *cit. c. Tres ſunt*, vbi dicit: *Quod ſi parua peccata collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment, ſicut vnum aliquod graue peccatum; quid enim intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua neglecta, impleat nauim, atque ſubmergat*. Et *tr. 1. in epiſt. Ioannis ſub medium: Sed iſta leuia dicimus, noli contemnere, leuia multa faciunt vnum grande, & multæ guttæ implent flumen*. Eodem ſenſu explicandi ſunt *Origenes, Bernardus*, & alij Patres apud *Coninchum*, vti, & illud *Eccleſiaſt. 19. Qui ſpernit modica paulatim decidet*. Si denique dicas, Venialia

Digitized by Google

reddere hominem minùs Deo gratum. Diſtinguo, ideſt minus dilectum amore amicitiæ accidentali ſito in voluntate dandi ampliores gratias actuales, non infligendi pœnas temporales, &c. concedo; ideſt minùs dilectum amore amicitiæ eſſentiali, ſito in voluntate dandi gloriam, nego.

17 Notandum eſt ſeptimò. Licet ſectarij negent præceptum de dilectione Dei poſſe in via impleri, quia quantumcumque aliquis ſit iuſtus, non viuit abſque peccatis venialibus, hæc autem dum commiſit, non ex toto corde Deum diligit: Nihilominùs de fide eſt, præceptum de dilectione Dei poſſe in hac vita impleri, & quidem ita perfectè, vt præſtetur totum id, quod à nobis Deus per illud exigit, *D. Auguſt. lib. de perfect. iuſt. reſp. ad* 16. *D. Thomas* 2.2.q.44.ar.7. *Siluius*, & alij ibidem. *D. Bonau. in* 3. d.27.ar.2.q.6. & alij Theologi omnes. Quia in ſcriptura multi dicuntur impleuiſſe hoc mandatum. Ergo poteſt impleri. Nam de Dauide dicit 3. *Reg.* 14. quod: *Secutus eſt dominum in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu eius*. Ipſe etiam Dauid dicit de ſe ipſo *Pſal.* 118. *In toto corde meo exquiſiui te.* 4. *Reg.* 20. dicitur, quod *Ambulauerit coram Deo in veritate, & corde perfecto*. Quare nobis viatoribus non præcipitur, vt ſemper ſine intermiſſione ſimus quaſi abſorpti in Deum (nam hoc reſeruatur patriæ) ſed vt non violemus amititiam diuinam, ſeruantes mandata, quæ obligant ſub peccato mortali, vt ipſe Dominus interpretatur. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Licèt autem iuſtus, qui venialiter peccat, non diligat Deum illo actu, quo peccat, non tamen eſt tranſgreſſor huius præcepti, quia habitualiter diligit Deum ex toto corde, cum ipſum pro fine vltimo retineat, nihilque admittat, quod habitualem eius dilectionem excludere poſſit.

18 Notandum eſt octauò. Præceptum charitatis continere affirmationem, & negationem: affirmationem principaliter, quia nimirum vult elici actum amoris ſupernaturalem: Negationem ſecundariò, quia vetat quidquid hanc dilectionem euertit, vt ſunt omnia peccata mortalia. Et ratio eſt, quia omne præceptum affirmatiuum virtualiter prohibet quidquid impedit executionem operis præcepti; nam qui præcipit finem, præcipit & media neceſſaria ad finem. Quatenus igitur præceptum negatiuum eſt, de non odendo Deum, nihilque agendo, quod eius dilectioni, & amicitiæ contrarium ſit, ſemper obligat, & ad ſemper; quia numquam licèt odiſſe Deum. Ita *D. Thomas* 1.2.q.100.ar.1.ad.2. *Siluius* ibidem ar.7. *Auguſtinus Lucenſis in caut. confeſſ. lib.* 1.c.1. num. 10. & alij communiter. Obligat autem præceptum negatiuum hoc, cum graues tentationes inſurgunt odij Dei, aut iracundiæ contra Deum, quæ in aliquibus ſolet eſſe tentatio frequens, præſertim in impatientibus, & iracundis. Ita *Sanchez l.*2. *decal. c.*35. *num.*9. *Bonac. to.*2. *d.*3. *q.*4. *pu.*2. *num.*2. *Valen.* 2.2. *d.*2. *q.*4. *pu.* 1. *Petrus Hurtadus d.*74. *de charit. ſect.* 6. §. 26. *Bannez* 2.2.q.24.ar.1.dub.2. Item

Aragonius, Petrus de Ledeſma, Diana, Villalobos, & Trullench apud *Leandrum à Sacram.* Verum ſi omittatur actus dilectionis non eſt diſtinctum peccatum ab ipſo odio Dei. *Molfeſius c.5.num.24. Lucenſis, Sporer* & alij. Nec in odio Dei datur paruitas materiæ, quia quodcumque minimum malum velis Deo, eius ſummam bonitatem tollis; conſequenter Deum; qui non poteſt eſſe Deus, niſi ſummè, & infinite bonus ſit. *Lucenſis l.2.c.5.num.12.*

19 Notandum eſt nonò. Præceptum charitatis, quatenus affirmatiuum eſt, obligare per ſe, & per accidens. In quibus caſibus per ſe obligat, oſtendetur *§. Sequenti.* Obligat per accidens, & indirectè, ratione ſcilicet alterius. Et primò ſemper ac implendum eſt aliquod munus, quod lethaliter exerceretur abſque contritione, & ſic amore Dei, vt ſi ad euitandam infamiam grauem, teneretur exiſtens in mortali celebrare, aut reliqua Sacramenta recipere, & nequeat confiteri: vel ſi teneretur Sacramenta adminiſtrare, & ſit in mortali, & non habeat copiam confeſſarij; vel nolit confiteri, in caſibus, in quibus poteſt ſufficienter præmittere actum contritionis miniſtrationi. Ita *Sporer p.2.tr.2.c.5.ſect.2.num.30. Lucenſis l.1.c.1.num.19.* & alij communiter cum *Filliuc.tr.22.c.9.num.291.* Non obligat verò quoties ſumenda eſt Euchariſtia ab exiſtente in gratia; quia ſufficit gratia ad illius dignam ſuſceptionem. *Leander à Sacram. in præcepta decal.1.p.tr.4.d.2.q.26.* & alij contra *Bannez.* Obligat ſecundo per accidens, dum vrget tentatio dilectionis laſciuæ erga creaturam, & illam patiens cognoſcit actum dilectionis Dei eſſe ſibi remedium contra tentationem, *Ioannes de Cardenas hic diſſert.6.c.2.ar.3.num.16. Lucenſis; & Sporer ſupra, Caſſianus à S. Elia in arb.opin.mor.v. Amor Dei §.vn.num.4.* Imò ex alijs *Filliucius, Lucenſis, Sporer, & Caſſianus à S. Elia*, ſupra hoc extendunt ad quodcumque periculum mortis Spiritualis, quod vitari non poſſit aliter, niſi actu charitatis erga Deum. Porrò in his caſibus, in quibus tenetur per accidens emittere actum dilectionis Dei, non peccat duplici peccato, ſi omittat; quia licèt ſint duo præcepta, vnum tamen eſt ratione alterius, & ad vnum finem ordinatum, puta vt Sacramentum rite ſuſcipiatur, &c. *Leander à Sacram. l.c.q.18.in fine Syluius 2.2 q.44. ar.6.quæſt.3. Tannerus 2.2.d.2.q.4.num.83. Molfeſius, Ioannes de Cardenas, Sporer*, alijque. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & nonnullis quæſitis ſatisfit.

20 Dico primò. Præceptum charitatis affirmatiuum per ſe in pluribus caſibus, & temporibus obligat: *V*nde falſum eſt, & contra

rationem charitatis, meritóque vt minimum tamquam ſcandaloſum damnatum, tunc ſolùm obligare, quando tenemur iuſtificari, nec habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.

21 Probatur primò. Contra rationem charitatis eſt obligare non per ſe, ſed per aliud, & vt medium in defectu alterius medij: Sed hæc Propoſitio VII. aſſerit charitatem eſſe medium ſolùm in defectu alterius medij: ergo falſa eſt, & deſtruens rationem charitatis, iureque proſcripta. Probatur maior: De ratione charitatis eſt, vt ſit finis aliarum virtutum, & præceptorum, vt dicit *Apoſtolus* 1. *ad Tim.* 1. Et *S. Thomas* id probat, quia finis Spiritualis vitæ eſt; vt homo vniatur Dei, quod fit per charitatem; vt dicitur 1. *Ioan.* 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vnde omnes aliæ virtutes ordinantur ad ipſam, vt optimè ibidem explicat Angelicus Doctor. Sed de ratione finis eſt, quod ſit per ſe intentus: quia finis propter ſe appetitur, ac proindè non vt medium: Ergo contra rationem charitatis eſt, non obligare per ſe, ſed per aliud. Si dicas: Finis præcepti non cadit ſub præcepto: Sed charitas eſt finis præcepti, vt dicit Apoſtolus: Ergo non cadit ſub præcepto. Ex doctrina eiuſdē *Doctoris Angelici ibid. ad* 1. diſtinguo maiorem: Finis præcepti non cadit ſub præcepto aliarum virtutum, quarum eſt finis concedo: Sub præcepto ſpeciali, & peculiari, nego. Nam in præceptis, quæ dantur de alijs virtutibus, licet ordinentur ad charitatem; non cadit ſub precepto charitas, ita vt ſi ſine charitate impleantur illa pręcepta, peccatum contra charitatem committatur: Sed cadit ſub præcepto ſibi peculiari; quod habetur *Deuter.* 5. 6. & 10. *Diliges Dominum Deum tuum &c. Mat h.* 22. *Lucę* 10. *Marci* 12. & *Epiſt.* 1. *Ioannis c.* 4. dicitur *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat Fratrem ſuum.* Cæterum hoc fuſius, & ponderatis verbis primi, & ſecundi mandati proſecuti ſumus in *Lapide Lydio in comment. ad Propoſ.* 1. Licèt ergo non ſemel hoc præceptum obliget per accidens, ac per aliud, ſeù aſſumitur, vt medium ad iuſtificationem; vt in *prænot.* 8. oſtenſum eſt; tamen in hoc errat enormiter hæc Propoſitio; quod excludit ab hoc præcepto obligationem per ſe, per ly, *tunc ſolùm obligat.*

22 Probatur ſecundò hanc Propoſitionem ſeptimam eſſe pernicioſam, & Scandaloſam, ex inconuenientibus. Nam imprimis iuxta eam, B. Virgo, & qui gratiam baptiſmalem conſeruarunt toto tempore ſuæ vitæ, nec non hi, qui verè attriti per Sacramenta mortuorum iuſtitiam recuperarunt, nullius criminis rei forent, quamuis numquam nedum ſemel, exercuiſſent erga Deum dilectionem. Vnde hæc Propoſitio eandem cenſuram meretur, qua perſtricta fuit ab *Vniuerſitate Louanienſi die* 4. *Maij* 1655. *Propoſitio illa in ordine* 24. *In rigore loquendo, videtur quod homo non teneatur vnquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.* Cenſura. *Impia, & primam legem Chriſtianæ vitæ euertens.* Confirmatur, quia indè fieret, Iuſtos numquam obligari ad diligendum Deum; ſed ſolos pecca-

to-

tores, quibus Sacramenta deſunt, vnde ad ſtatum gratiæ transferantur. Quare neque B. Virgo, quæ eſt Dei Mater, perſonam Filij ſui diligere debuiſſet; nec Dei Filii adoptiui: dum ſunt tales redamare Patrem optimum, à quo inceſſanter amantur; nec anima ſancta, quam Deus ſibi in charitate deſponſauit, vicem retaliare ſponſo ſuo: nec eximijs beneficijs affectus, & maxime beneficio innocentiæ, aut remiſſionis peccati, vt cumque rependere beneuolentiam, ſaltem amicabili beneuolentia ſui benefactoris, cuius dona compenſare nequit beneficijs alijs. Sanè omnes iſti tituli, etiam inter homines, ſpecialiſſimè poſtulant amorem, non ſtipendiarium, ſed liberalem, ac purum quoad reliqua ſui muneris officia ſollicitentur, & tam animi, quam corda ſtrictiſſimo amicitiæ vinculo inuicem vniantur. Inconuenientiſſimè ergo hæc Propoſitio negat hos titulos vrgere comparatione Dei, qui ex parte ſua numquam deficit, ſed diligentes ſe diligit, & quouis titulo incomparabiliter excedit, quidquid ad amorem, ac beneuolentiam inter creaturas poteſt obligare. Deindè coarctare vires iſtius maximi præcepti, ad caſum inimicitiæ dumtaxat, & ad illas circumſtantias, vbi præcluſæ ſunt viæ impetrandi veniam alio modo, quam per contritionem perfectam, & dilectionem Dei in ipſa incluſam, ſatis abſurdum videtur, & magna occaſio deſidiæ in illis, qui quam maximè deberent exercitio dilectionis tamquam maximò ac præcipuo alios greſſus ſuos rectè dirigere, & filialem amicitiam conſeruare. Nemo inficias ibit, ſcandaloſum, ac pernicioſum eſſe docere, numquam patrem aut matrem filios, neque filios, patrem, vel matrem diligere debere affectu beneuolentiæ, niſi eos grauiter offenderint, & alio modo non poſſint inire cum ipſis pacem. Nec tolerabilius eſſet permittere ſponſis, ac vxoribus, ne viros ſuos vnquam ament, niſi adulterium commiſerint, cuius veniam impetrare nequeant abſque veri amoris ſignis. Parque eſt ratio de magnis benefactoribus non diligendis, niſi fuerint antea graui iniuria laceſſiti, & aliter quàm oſtenſione amoris reconciliari non valeant. Quomodo ergo hæc circa Deum tolerari poterunt, nempe circa ſummum Bonum, Patrem Optimum, Fidelem Sponſum, Benefactorem eximium, & effuſe liberalem? Prætereà dicere primum, & maximum omnium præceptorum, quale eſt præceptum diligendi vltimum finem, nunquam per ſe obligare ad dilectionem; ſed ſolùm per accidens ac mere caſualiter, vel ex ipſis terminis abſurdiſſimum videtur, & contrarium ſummæ dignitati huius virtutis, quam per ſe, ac ratione ſui nunquam neceſſariam reddit, ſed ſolum fortitudò debitam, & ratione alterius boni ex præcepto procurandi. Hinc denique ſequeretur, non dari ſpeciale præceptum charitatis, contra Decretum Alex. VII. Aliud namque eſt hominem teneri ad actum dilectionis, cum extra Sacramentum tenetur iuſtificari; aliud verò, quod hoc debitum ex ſpeciali præcepto diuinæ dilectionis tunc oriatur. Et primum quidem concedit hæc Propoſitio;

ſe-

ſecundum verò non ſequitur; cum actus dilectionis tunc debeatur, non ſui gratia, & ob excellentiam propriam; ſed ſolum per modum diſpoſitionis, aut medij, neceſſariò requiſiti ad obſeruationem alterius præcepti diuerſi tunc abſolutè obligantis. Vndè ſecundum iſtam propoſitionem peccaret quidem contra charitatem Dei ſolam, ſi dilectionem omitteret, qui ex ſola Dei charitate iuſtificari debebat; & contra propriam, ſi ex hac quoque tenebatur. Cæterum contra præceptum diligendi Deum ex ſe, & ex proprijs meritis ipſius virtutis nullo vnquam caſu peccaret.

23 Porrò actus charitatis incluſus in contritione non iuſtificat formaliter, vt volunt *Vaſquez* ſed diſpoſitiuè, vt vult communis, & certa ſententia; & oſtendo *tr.de Charitate*. An autem hic articulus ſit hactenus definitus ab Eccleſia? nempè quod homo per ſolam contritionem non iuſtificetur formaliter, ſed quod requiratur alia gratia habitualis. Negant *Corneus*, & alij. At qui bene capit vim *Concilij Tridentini* pluribus in locis; aſſerere cogitur, huiuſmodi Articulum eſſe definitum ab Eccleſia in eadem Synodo non obſcurè. Ita *Card.de Lugo de Pœnit.d.8.ſect.4. Morettus in Tribunali conſ.cong.14.caſu.1.* & alij cum *Salmeron. in Epiſt.ad Galat.diſp.8.qu.11.* cuius teſtimonium magnum eſt; ipſe enim interfuit *Tridentino*, & ſcire melius potuit mentem *Concilij* quando definiuit, Contritionem eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem, quod *Vaſquez* conatur aliter interpretari. Imprimis *Seſſ.6.can.3.*ibi: *Si quis dixerit, ſine præuenienti Spiritus Sancti inſpiratione atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere; aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ex quibus comperitur, quod *Concilium* ſupponit, diligenti Deum ſicut oportet, ſubſequenter impertiri iuſtificationis gratiam. Ergo forma iuſtificationis, de mente *Concilij* non eſt ipſa contritio. Secundò poſt quam *Seſſ.6. cap.6.* enumerat diſpoſitiones, quæ iuſtificationem præcedunt, nempe ſpem, Fidem, & dilectionem, deindè *c.7.*incipit his verbis. *Hanc diſpoſitionem Iuſtificatio ipſa ſubſequitur*. Tertio Contritio de mente *Concilij* ſemper fuit neceſſaria ad obtinendam, & impetrandam veniam peccatorum, vt docet *Seſſ.14.c.4.*etiam ante aduentum Chriſti, & etiam extra Sacramentum. Ergo contritio, quæ tunc requirebatur, impetrabat remiſſionem peccatorum. Ergo non erat forma, ſed diſpoſitio. Denique *Seſſ.6.can.7.*ait: *Iuſtitiam, per quam iuſtificamur, dari vnicuique ſecundum propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & operationem*. Contritio autem non datur ſecundum menſuram diſpoſitionis antecedentis. Ergo ex mente *Concilij* non eſt forma iuſtificans, ſed gratia habitualis: ad menſuram enim diſpoſitionis, & contritionis datur ſubinde gratia habitualis, & iuſtificatio ipſa.

24 Dico ſecundò: Peccat mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret: meritò autem hoc decreto damnationi ſubijcitur Propoſitio quinta, condemnare non audens ſententiam oppoſitam: eo enim

eo enim loquendi modo ſignificatur alienatio mentis noſtræ ad condemnandam rem ex meritis ſuis conſideratam, & propenſio ad abſoluendum. Vnde fauorem ei doctrinæ præſtitiſſe videtur, cuius damna erant potius indicanda.

25 Probatur primò ex eo, quod ſententia adſtruens præceptum charitatis ſemel tantum obligare in vita ad exercitium ſui actus, nunquam benè audierit in Eccleſia; & ſi quos olim nominatos defenſores habuit, jam hoc tempore antiquata erat. Vnde nimis laxam, pluſquam centum ab hinc annis, eam appellauit *Nauarrus in man.c 11. tr.7.* ridiculam *Petrus de Ledeſma in ſumma 2. p.tr.3. de charitate c.5.concluſ 6.*poſt *Sotum*, qui vlterius addit *l.2 de iuſtit.& iure q.3.ar.10.in medio* etiam longe abberrare à natura huius præcepti: incredibilem *Villalobos 2.p. num.3. diffic.2.num.6.* inuериſimilem *Azorius 1.p.l.6.c.4.quæſ.1.*nec non *Suarez.d.15.de Pœnit.ſect. 6.num.18.*Ex quo inſuper diſcimus *d.69. de ſacram.ſect.3.clauſ.2.* id rationabiliter dici non poſſe. Quare oppoſitam ſententiam vt certam ſequuntur *Serra 2.2.q.44.in fine Baſſeus V.Charitas num.9. Leand.à Sacram.in præcepta d cal.1 p.tr.3.q.11.* vt innumeros recentiores prætermittam, qui illam ſectati ſunt communi aſſenſu, ac nominatim *Molina*, *Valen. Baldellus*, *Petrus Hurtadus*, *Auerſa*, *Layman*, *Caſtropalaus*, *Arriaga*, *Sanchez*, *Torres*, *Bonac.* *Amicus*, *Caſpenſis*, *Pontius*, & alij.

26 Probatur ſecundò à ſimili, imò à maiori. Equidem exemplum valde ſimile ſuggerit præceptum diuinum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quod ex ſe etiam eſt indefinitum, & nullum tempus determinat; quin proinde liceat, aut licuerit vnquam, eo præciſè iure attento, id tantum ſemel in vita ſuſcipere, vel eius executionem ad mortem vſque differre. Quod vtique *in Conc.Trident.* definitum eſſe *ſeſſ.14. c.5.* circa finem ex illius verbis rectè ponderatis ſibi elicere videtur *Vaſquez,to.4. in 3.p.q. 90.ar.1.dub.4.num.26.* Ait enim Concilium ex vi legis Eccleſiaſticæ, qua tempus annuum confeſſionis præſcribitur, illam non fuiſſe præceptam abſolutè, & quoad ſubſtantiam; ſed hoc ſolum factum, *vt diuinum præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, adimpleretur*. Atqui, ſi præceptum illud non pluries, ſed ſemel tantum obligaret, per repetitas confeſſiones annuas non adimpleretur, ſed prima vice illi foret adæquatè ſatisfactum, & omnes aliæ confeſſiones ſubſequentes vel licitè prætermitti poſſent, vel non ex iure diuino obligarent; ſed ex ſola lege Eccleſiaſtica. A fortiori igitur illud primum magnumque præceptum iuris naturalis, ac diuini, quo ex charitate tenemur diligere Deum ſuper omnia, quamuis nullum tempus determinate præſcribat, non ideo ad vnum actum reſtringitur, aut obligat tantum ſemel: ſed iuxta exigentiam materiæ, & ipſius præcepti dignitatem, ad hoc ſaltem debet obligare, vt in diuturna vita non ſit ferè abſque exercitio, ſed interdum renouetur.

27 Probatur 3. Quia hoc dilectionis exercitium Deus iure ſuo poſtulat, vt vltimus finis, primumque principium, vt pater, & ſponſus animarum, vt amicus, & eximius benefactor, aliiſque innumeris titulis, qui etiam vrgent inter homines ad amoris amicabilis, ac beneuolendi officium, & exercitium.

28 Probatur 4. Quoniam non ſolum expedit pluries diligere Deum, & exhibere eum effectum, qui ſibi eſt omnium gratiſſimus, ſed etiam oportuit, vt ſub præcepto prohiberetur nimia, & ignaua dilatio exercitii in ſe adeò nobilis, & in ſe adeò proficui ad vitam erga Deum rectè influendam. Tradidiſſe ergo fatendum eſt.

29 Probatur 5. Quia alioqui ſatiùs foret nullum agnoſcere affirmatiuum præceptum proprium, ac ſpeciale huius virtutis: nam ratio, quæ certum reddit, illud dari extra collectionem omnium mandatorum, quæ ad alias virtutes ſpectant, pariter monſtrat, illud non debere arctari dumtaxat ad vnam vicem.

30 Probatur 6. Quia nemo æquo iudicio negare, aut ambigere valet, præceptum diligendi Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus, ac tota fortitudine (ita enim proponi in diuerſis locis ſacræ paginæ omnibus compertum eſt) ſaltem toties obligare ad exercitium cordis, viriumque noſtrarum, quoties obligat præceptum concupiſcendi Deum nobis, orandi, gratias agendi, honorandi Deum per ſacrificia, & cætera eiuſmodi, quæ ex virtute religionis, aut ex aliis inferioribus charitate debentur. Atqui affirmatiuum præceptum concupiſcendi Deum nobis, aut orandi, E.g. quamuis ſit indefinitum, quin certus numerus menſium, aut annorum præſcribatur iure naturali, vel diuino ad executionem eius, nihilominus non ſemel obliget; ſed interpretatione prudenti eius tempora determinantur; & in *Lapide-Lydio comment. ad 1. Propoſ.* aſſignauimus tempora exercitii ſpei, cuius alter actus eſt amor concupiſcentiæ Dei. Ergo à fortiori id ipſum dici debet de præcepto diligendi Deum amicabiliter, quod tanquam primum, ac maximum in ſcriptura diuina commendatur tot exaggeratis verbis.

31 Hinc audiendi non ſunt *Remigius Noyden in ſumma tr.2. c.1. §. 3. & Acacius de Velaſco tom.1. reſol.mor. V. Amor, reſ.53. num.2.* dum relatam, nec exploſa illa ſententia de præcepto diligendi Deum, ſemel tantum obligante, ſubdunt, eam liberare à multis ſcrupulis: neque enim ab ſcrupulis liberat opinio planè improbabilis; & is modus dicendi non minorem eius approbationem inuoluit, quam *non audere eam damnare*. Sed nec attendi debet *Ioannes Sancius in ſelectis d.1. num.21. verſ. Nec frangitur:* dum ſcribit, verius videri, ſi ad ſpeculationem tantum eſſet recurrendum, non niſi in mortis articulo hoc præceptum obligare. Quod non eſſe improbabile, *Iacobus Fontanus*, aliique Doctores Louanienſes defenderunt, id referente *Wilhelmo Sandæo in confut. trium virorum*, ad hanc propoſ. 5.

verſ.

verſ. Fortaſſe. Atque eódem recidere videtur, quod olim docebat *Canus in relect. de Pœnit. 4. p. propoſ. 2.* cum ait: *Nec peccat mortaliter, qui non diligit Deum, niſi neceſſitatis articulus intercedat.* Contra quos audiendus eſt *Sotus cit. l. 2. de iur. & iure q. 3. ar. 10. in medio*, vbi rectè inquit: *Si dixeris, ſatis eſſe, ſemel in vita, idque in articulo mortis præceptũ dilectionis Dei impleri, profectò à natura huius præcepti aberras: cum enim præceptum hoc cæterorum omnium ſit præambulum, &, vt ait Paulus, finis (nam finis præcepti eſt charitas) ridiculum eſſet dicere, quod liceat tranſigere totam vitam antequam nos obliget.*

32 Dico 3. Vt minimum quinto quoque anno per ſe obligat præceptum affirmatiuum charitatis erga Deum; & contrarium eſſe probabile aſſerere hoc decreto meritò vt ſcandaloſum abigitur.

Probatur 1. Quia ea ſententia Propoſitionis ſextæ nimis extenuat vires huiuſce præcepti, quod eſt maximum, ac primum, & baſis totius Decalogi, impellitque ad pernicioſam negligentiam frequentandi Dei amorem, dum tanto tempore oriantibus impunitatem promittit.

Probatur 2. Quia præceptum petendi à Deo bona nobis ſalutaria, & honorandi ipſum religioſo aliquo cultu, & ſperandi ab eo auxilium, tantam deſidiam non patitur: quinimò obligationem orandi intra vnum, vel alium menſem vrgere *Leſſius* putauit *l. 2. de iuſt. & iure c. 37. dubit. 3. num. 12* iis verbis: *His addi poteſt, nos obligari, vt non multo tempore oratione abſtineamus, V. g. ad menſ. m vnum, vel alterum, quia eſt ſignum m gnæ negligentiæ ſuæ ſalutis*: Subſcribente ſapientiſſimo *Ioanne à S. Thoma tom. 6. d. 27. art. 3. fol. mihi 385. col. 1. num. 6.* vbi relato hoc dicto *Leſſij*, addit: *Et hoc ſatis rationabile videtur per ſe loquendo, niſi ſuperueniat aliquod impedimentum, putà infirmitatis, aut immodici laboris, quo excuſatur quis ab orando.* Quo ergo pacto vltra quinquennium dilationem nobis dabit præceptum amandi illum, quem pluris debemus facere, quàm nos ipſos, & quàm omnia bona, quam licet per orationem conſequi, vel ſperare? *Suarez* vtique de vtroque præcepto pariter philoſophatur *tom. 2. de Relig. l. 1. c. 30.* vbi ſcribit, Orationi non eſſe permittendam vnius anni dilationem, neque vnius menſis fortaſſis.

Probatur 3. Quia viſum eſt ſupra ob hanc cauſam aliquoties obligare iſtud præceptum per ſe, atque ratione ſui, ſicut obligat præceptum confeſſionis obnoxios peccatis grauibus, & præceptum orandi, atque alia id genus tàm peccatores, quàm iuſtos, ſed temporis determinationem cum primis eſſe relictam iudicio authentico Eccleſiæ, & interim prudentum arbitrio. Atqui arbitrium iſtud, ſi Doctores conſulamus, communiſſimè vltra quinquennium non protrahitur: Imò ſunt pauci, qui tanti temporis dilationem permittant; ſi verò prudentiales rationes ex ipſius præcepti dignitate, magnaque neceſſitate amoris Dei ad ſeruiendum ipſi ex animo, & obſeruandi cætera mandata illius, haud dubium, quin tanta dilatio, vti eſt dilatio orationis, ac ſimilium, valdè diſ-

ſona rationi videatur, origo grauium malorum, & in re tanti momenti, quam maximæ incuriæ ſignum. Iure igitur optimo *Innocentius ab Spiritu Sancto* edoctus, & hoc iudicium ſecutus, propoſitionem illam, vt ſcandaloſam reiicit, ac præceptum inſuper adiunxit, ne quis in praxi ſe illi accomodaret. Quo factum eſt, vt ſaltem ſingulis quinquenniis ex mandato Eccleſiæ ad Dei amorem exercendum teneamur eo modo, ac ſenſu, quo ad confeſſionem tenemur in annos ſingulos.

33 Cæterum quamuis *Filliucius ſupra num.290. Eſcobar cit.l.49. nu.9. & Trullench l.1.in Decal.c.5. dub.3.nu.5.* afferant, quem diligendo Deum quinto quoque anno ſufficienter ſatisfacere præcepto naturali, ac diuino: aliis communiter iſta dilatio videtur nimium prolixa. Et quidam ad tres, vel quatuor annos hanc obligationem contrahunt, vt *Coninch d.24. de Charit.num.53. Gabr.à S.V.* & alii. Alii ad duos annos contrahunt. Ita *Caſtropalaus tom.1.tr.6. d.1.pu.4.num.10.* dicens: *Reputarem, dilationem trium annorum eſſe grauem*. At ſatis probabilis, & communis eſt ſententia docens, quod ſingulis annis hoc præceptum per ſe obligat. Ita tradunt *Petrus de Ledeſma in ſumma tom.2. tr.3.c.5. poſt 6.concluſ. Petrus Hurtadus de Mendoza 2.2.d.174.ſect.6. §.26. Lorca 2.2. d.58.ſect.3. num.8. Roccaful*, & alii, quos citatos ſequitur *Leander à Murcia tom.2.diſquiſ.moral.l.4.diſp.3.reſ.7. Hurtadus De la Fuente hic diſſert.5.c.2.num.16.* aliique. Ratio eſt, quia cætera præcepta minoris dignitatis, & præſtantiæ, & quæ ordinantur ad charitatem, tanquam ad finem, obligant pluries, quam ſingulis quinquennijs, quadriennijs, triennijs, & biennijs. Ergo multo magis prę-ceptum charitatis, quod eſt cæteris pręſtantius, frequentius debet obligare quã ſingulis quinquenniis, &c. Confirmatur, quia pręceptum ſumendæ Euchariſtiæ obligat ſemel in anno: Ergo ſaltem ita obligabit pręceptũ charitatis. Probatur conſequentia; quia hoc præceptum correſpondet virtuti charitatis: cum hoc ſit Sacramentum amoris, vt paſſim loquuntur Patres; & ſit inſtitutum, vt maximè vniamur Deo, quod fit per vinculum charitatis: vnde ad augendam charitatem ordinatur: Ergo multò magis ſaltem ſemel in anno debet obligare hoc præceptũ charitatis. Neque id nimis oneroſum debuit videri *Dianæ p.5.tr.14. reſ.105.* aut alii cuiuis recte cogitanti, quam ſit neceſſariũ nobis ad vitam, pro vt oportet, ordinandam, & quot titulis à Deo exigatur. Quinimò ſatis remiſſe nobiſcum agitur, annuo dumtaxat amore à nobis petito, vt ſapienter ſcripſit *Petrus Hurtadus ſupra n.26.*

34 An autem ad breuius temporis ſpatium ſit reſtringendum? Negant valdè probabiliter *Hurtadus De la Fuente*, & alii ſupra relati. Sed ego puto ſatis etiam probabilem ſententiam docentem, quod hoc præceptum obliget etiam aliquoties intra annum. Ita docent *Didacus Aluarez tom.1. vitæ ſpiritualis l.3. c.6.§.ſed nemo, Card.de Aguirre tom.3.d.136. nu.129. Ioannes de Cardenas hìc diſſert.6.c.2. art.2.* Et quod actus amoris Dei ex ipſa dignitate, primatu, & magnitudine præcepti, frequentandus ſit,

ſi non

ſi non ſæpius, ad minus ſexies in anno. Vnde ſi pœnitens per annum inconfeſſus vixerit, ſex peccata mortalia ad minus in tranſgreſſione huius præcepti commiſerit, docet *Auguſtinus Lucenſis in Cautela Confeſſarij l.2.c.5.num.2.* At *l.1.c.1.num.17.* ait, quod obligat *ad minus ſemel in menſe, ob excellentiam actus, & infinitam amabilitatem obiecti, id enim videtur per ſe valde rationi conforme*. Mouentur, tum ex Scriptura. Nam illa verba *Deuteronomij 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens:* ſicut & illa *Ioannis 15. Manete in dilectione mea,* ideſt, pergite me diligere, vt *Auguſtinus, Chryſoſtomus, Leontius, Teophilactus, Beda, & Rupertus* interpretantur denotant continuationem, & frequentiam, quam non habet, qui tantùm ſemel in anno elicit actum amoris Dei. Tum etiam, quia licèt poſſint impleri præcepta alia ſine formali, & actuali relatione ad charitatem erga Deum, ſicut licèt candidatus dignitatis accipiat iter arduum Romam verſus, motus ex intentione dignitatis, quam ambit; adhuc tamen poteſt illud iter aggredi independenter ab ea intentione. At neceſſarium eſt repetere actus dilectionis Dei, vt per intentionem finis impellatur ad ſeruanda præcepta, tamquam media, quamuis hæc poſſit aliquando implere ſine intentione eius finis. Non tamen poteſt moraliter omnia implere diuturno tempore, atque vincere difficultates illorum, niſi frequenter eliciat actus dilectionis Dei, ſiue deſiderij placendi Deo. Quod patet ex ipſa ratione finis. Difficillimum eſt aggredi media ardua, quando finis, ad quem ordinantur ea media, tepidè amatur, & raro intenditur, aut appetitur. Ita quando Pater Cracouienſis filium mittit Romam, vt procuret aliquam dignitatem Eccleſiaſticam, ſi filius tepidè ſe gerit circa intentionem, & deſiderium talis dignitatis, duriſſimum ſibi videtur talia, & tam ardua media executioni mandare. Atqui ille, qui tantum ſemel in anno elicit actum amoris Dei, tepidè ſe gerit erga finem, qui eſt charitas erga Deum: Ergo difficillimum eſt, quod animum erigat ad exequenda reliqua præcepta, quæ ſunt media ad talem finem. Huc reſpiciebat Pſaltes Regius *Pſal.16.num.4.* cum dixit: *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras.* Vbi per eam clauſulam, *Propter verba labiorum tuorum, Auguſtinus ſer.9.de verbis Domini ſecundum Matthæum,* intelligit *præceptum dilectionis*. Igitur cum finis præcepti charitas, cenſetur Deus præcepiſſe frequentiam actuum dilectionis Dei, ſub graui obligatione, vt ea auferat talem difficultatem, ſeu impoſſibilitatem moralem, quam ſub graui obligatione debet auferre. Ex his putat *Ioannes de Cardenas cit.art.2.num.18.* non poſſe differri actum dilectionis Dei ad menſem; quia menſis integer videtur multum tempus, ob ſummam eius præcepti dignitatem, vtilitatem, & neceſſitatem. Imò quamuis *Cacheranus*, & alij putent nimis rigi-

dam

Digitized by Google

dam ſententiam *Scoti in 4.d.27.q.vn.Bayumi*, & aliorum Scotiſtarum putantium hoc præceptum obligare per ſe in qualibet die Dominica: ego cum *Reinſſenſtuel Theol.mor.tr 4.diſt.2.q.3.num.*34. & *Lucenſi in c.1.num.*18. *& Illſung tr.3.d.11.ar.3.num.*8.non puto improbabilem; quia excellentia, & bonitas diuina exigit, vt pro beneficio creationis, conſeruationis, & redemptionis ipſum frequenter amemus: Ergo præſertim debemus illum amare illa die, quam ipſemet aſſignauit pro cultu ſibi reddendo: & ſi in hac die Fideles tenētur,cum abſtinentia operum ſeruilium,ad aliquem cultum Deo exhibēdum: quiſnam autem cultus nobilior,quam amoris diuini? Pariter, licet *Baſſeus*,& alij non admittant ſententiam *Angeli V.Feria n.* 41.*Tabiena V.charitas q.*20. *Almaini in 3.d.37. qu.vn. Gabrielis ibid. qu.vn. ar.*3.*Ioannis Pontij d.*32.*q.*5.& aliorum putātium,hoc præceptum obligare ſingulis diebus feſtis. Ego cum *Ioanne de Cardenas ſupra c.1. ar.2. num.*9. exiſtimo non eſſe contemnendam: eique accedit etiam *Piſanus hic num.* 7.quoad dies feſtos, in quibus recoluntur myſteria præcipua noſtræ redemptionis, videlicet Incarnationis, Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis Domini N.I.C.Aſcenſionis in cęlum, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, in quibus maxima beneficia nobis collata recoluntur. Quod ſi Fidelès non accuſant ſe in confeſſione de tranſgreſſione huius præcepti ob omiſſiones tantæ frequentiæ; hoc eſt,quia exiſtimant ſatis probabiliter ſe ad eam non teneri.

35 Nec per hanc doctrinam imponitur fidelibus onus importabile, ſed potius iugum ſuaue, & onus leue, quod quaſi inſenſibiliter portant Fideles timorati, qui conſcientiæ ſuæ non ignauè proſpiciunt: hi enim multos actus dilectionis Dei eliciunt, quamuis non aduertant eos eſſe actus charitatis. Vnde *Caſtropalaus cit.pu.4.num.*11. hæc habet: *Aduerto tamen, rarò quemlibet fidelem, niſi moribus deprauatus ſit, huius peccati reum exiſtere: quia ſæpè conatur contritione ſe ad abſolutionem diſponere, ſæpeque beneficia diuina, & ſummam bonitatem conſiderat, quibus ad effectum debitum amicitiæ excitatur.* Sequitur *Leander à Sacram.in Decal.tr.4.d.2.qu.*28. & *Lorca* 2.2. *d.*58.*ſect.*3.*n.*8.qui addit, quod in duabus petitionibus Orationis Dominicæ continetur actus charitatis in Deum, nam eum charitatis actum elicit, qui deſiderat ſanctificari nomen Dei; item qui deſiderat, quod omnes voluntatem Dei faciant in terra, ſicut in cælo. Imò eſt & alia petitio, quæ includit etiam actum charitatis, ſcilicet, *Adueniat Regnum tuum*. Nam iſtud regnum eſt id de quo dixit Chriſtus, *Regnum Dei intra vos eſt*; ſcilicet dilectionis Dei, & reliquarum virtutum. Qui ergo deſiderat nobis aduenire regnum dilectionis Dei, Deum oſtenditur diligere; nam, vt ait S. *Gregorius*, *Qui deſiderat diligere Deum, iam incœpit illum diligere*. Qui ergo attentè, & ex affectu dicit Orationem Dominicam, vtique tres actus charitatis erga Deum elicit. Præterea frequentiſſimum eſt inter fideles timoratos reſiſtere tentationibus, & abſtinere à peccatis mortalibus, quia

vi-

Digitized by Google

vident grauiter diſplicere Deo: Quid autem eſt abſtinere à peccato mortali, quia Deo diſplicet, niſi abſtinere à peccato ex dilectione Dei? Et ipſemet *Caiteranus*, ne conſcientiæ torqueantur, aduertit, in praxi frequenter excitari, & elici actus amoris Dei, occaſione ſuſpiciendi Sacramenta, exercendi eleemoſynas, & alia externa charitatis opera, ac opera conſilij, recitandi deuote orationes, audiendi conciones, &c. nam videntes ea opera eſſe Deo placita, ſanè eo fine frequenter ea præſtant: operantur ergo ex motiuo charitatis erga Deum, & conſequenter actus charitatis eliciunt. Et loquendo de obligatis ad recitationem Diuini Officij, ij in eo inuenient quamplurimos actus dilectionis Dei, ſi attente, & ex affectu recitent. Sicut & quando mentaliter oramus, aſſiduos atque feruidos amoris actus in Deum experimur, vt notat *Felix à Panormo to.2.d.4.num.177.*

36 Sed hic quæritur primò. An hoc præceptum, quatenus affirmatiuum obliget, cum primùm incipit vſus rationis?

Affirmat *Bannez.2.2.qu.44.ar.1.dub.1.ad 3.Nau.in ſum.c.11.num.8. Toletus l.4.ſum.c.9.num.9. Sotus*, & non pauci expoſitores *D.Thomæ 1.2.q.89.ar.6.* vbi S.Doctor aſſerit illo tempore quemlibet obligatum eſſe ſe ad Deum conuertere, & omnia ſua in eum tanquam in vltimum finem dirigere; quia conſentaneum eſt creaturæ rationali, vt ſuum Creatorem recognoſcat, & amet. Mouentur autem ad hanc obligationem ſtatuendam, tum ob rationem dictam, tum ob inconueniens, quod videtur ſequi, ſi pro illo tempore hæc obligatio negetur. Contingere enim poteſt, vt exiſtens in originali, & ad rationis vſum accedens, peccet venialiter, proferendo ſcilicet aliquod otioſum verbum, aut officioſum mendacium, & cum tali peccato originali, & veniali è vita diſcedat. Hoc autem eſt inconueniens, quia tali peccatori non eſt locus aſſignatus, ſiquidem neque eſt infernus; illum enim ſoli decedentes in mortali adeunt: neque Limbus, quia ibi non eſt pœna ſenſus, qua indiget veniale: neque eſt Purgatorium, vbi ſolum amici Dei purgantur. Ergo non eſt concedendus huiuſmodi caſus. Deinde quia *Innocentius III.in c.Maiores de Baptiſmo,§.ſed adhuc*, declarat dormienti adulto non remitti peccatum originale, quia hoc ſine actuali mortali remitti non poteſt, ad cuius remiſſionem dormiens non ſe diſpoſuit. Sentit ergo in adultis, originale eſſe non poſſe ſine actuali mortali.

37 Cæterum, nec eſt certum, *D.Thomam* huius eſſe ſententiæ: *Caietanus* enim *1.2.q.89.ar.6.& 22.q.10.ar.4 Victoria in 3.par.* relectionis de puero veniente ad vſum rationis *num.11.Corneius in 1.2.tr.7.d.vlt.dub.vn.num.3.*& alij putant, *D.Thomam* ſolum ibi docere, quod teneatur quilibet in primo inſtanti vſus rationis conuertere ſe in Deum, illumque diligere implicitè per propoſitum viuendi ſecundum præſcriptum rationis, aut faciendi quod honeſtum eſt, vel per amorem, & acceptationem boni honeſti

neſti in cõmuni, quæ omnia idem ſunt, in quibus Deus implicitè cõtinetur, prout clarius S. Doctor ſe explicat *q. 14. de verit. ar 11. ad. 1.* cuius ratio eſt, quia, primum, quod homini cogitandũ occurrit, cum primo venit ad vſum rationis, eſt deliberare de ſe ipſo; hoc eſt, deliberare, ad quem finem ſit ordinaturus ſe, & ſuas actiones. Hæc autem ſententia probabilis eſt, licet non minus probabilis ſit oppoſita doctorum mox referendorum. Nec motiua ſententiæ *Bannez*, & aliorũ conuincunt, vt hanc obligationem ita grauem pro illo inſtanti aſſeramus. Nam licet conueniens ſit, vt quilibet ſe, ſuaque omnia in Deum dirigat, cum primùm rationis vſum aſſequitur. At hoc ex obligatione fieri nec ſuauitati legis diuinæ, nec imbecillitati humanę conſonum eſſe poteſt; imò potiùs videtur impoſſibile; niſi aliquo ſuperiore, & extraordinario lumine illuſtretur. Quod ſic probo: Nam ad executionem huius præcepti requiritur illius perfecta cognitio; hoc autem plures ſapientes latet, ne dum pueros; & præterea ante vſum rationis nequeunt pueri perfecte cognoſcere, quomodo ſit Deus ſuper omnia diligendus; accedente verò vſu rationis, ſi tunc ligantur præcepto, ligantur ſine illius cognitione. Et quidem pueri dum incipiunt habere vſum rationis, de totius futuræ vitæ recta inſtitutione non cogitant, nec de amicitijs perpetuis, aut de capeſſendo ſtatu, v.g. religionis, aut coniugij; ſed de his, quæ ſibi ante id tempus magis familiaria fuerunt, aut quæ primum ſenſui occurrunt. Quo circa, licet diſcurſu paulatim procedente deliberent circa nonnullas actiones, quarum fere per ſe nota eſt turpitudo, aut valdè conſpicua honeſtas; adhuc capaces non ſunt vſus rationis quoad alia altioris indaginis, & intellectus difficilis, quæ diuturna potiùs inſtructione aliorum addiſcendo aſſequi poſſunt, quam proprio ingenio, ac diſcurſu. Accedit, quod nullus eſt, qui cognoſcat primum inſtans ſuæ rationis principium. Quomodo ergo ligari præcepto pro illo tempore poteſt? Quę quidem conuincunt, ſi ſumatur inſtans rationis phyſicum; at ſi moraliter ſumatur pro aliquibus horis, vel diebus, & ſi non ità conuincant, ſuo etiam modo efficaciam habent. Nam breui illo tempore vix poſſunt inſtrui pueri perfectè in ijs, quæ neceſſaria ſunt ad illius executionem. Sic docent *Azorius p. 1. l. 4. c. 10. quæſt. 6. & l. 9. c. 4. quæſ. 1. Val. 2. 2. d. 5. quæſt. 19. pu. 3. Sanchez l. 2. in Decal. c. 35. num. 7. Coninch d. 24. dub. 3. num. 48. Suarez to. 4. de pœnit. d. 11. ſect. 1. num. 14. & de char. d. 5. ſect. 3. num. 2. Leander à Sacram.* & alij, quos refert *Narbona in annalibus anno 7. q. 11. n. 8. Arriaga to. 5. d. 36. ſect. 2. num. 13.* Diſplicet tamen quod hic Auctor ſubdit *num. 14.* ijs verbis: *At verò mihi videtur omnino certum, etiam ipſum D. Thomam, niſi fortè miraculosè præuentus fuiſſet, nihil cogitaſſe de ea obligatione multis etiam menſibus poſtquam habuit vſum rationis.* Deſiderarem enim maiorem obſeruantiam erga Angelicum Doctorem; & miror non legiſſe in Auctoribus Societatis, *D. Thomam*, ſicut & B. Aloyſium Gonzagã eliciuſſe actum amoris Dei in primo inſtanti vſus rationis.

Digitized by Google

38 Ad argumentum aduerſariorum, reſpondeo in primis eſſe nullum, vt inquit *Arriaga* iis verbis: *Nam quod homo naſcatur in originali peccato, non prouenit ex natura rei, ſed eſt quid valde accidentale ob peccatum Adami: Ergo ratio naturalis, quæ de eo originali nihil nouit, non poteſt in eo fundari ad inducendam obligationem eius conuerſionis. Quòd ſi propterea dicatur ea obligatio eſſe independens ab eo, quod naſcamur in originali, vel in gratia, aut in pura natura, tunc facilè replicabitur, eo ipſo ceſſare argumentum factum, quod vnicè deſumebatur ex eo, quod non eſſet vllus locus pro tali homine in originali, & cum ſolo veniali decedente.* Deinde reſpondeo admittendo dari poſſe in homine exiſtente in originali peccatum veniale, priuſquam mortale, quod neceſſariò aſſerendum eſt, etiamſi concedamus pro illo principio vſus rationis dari præceptum affirmatiuum dilectionis: ſiquidem ex defectu plenæ deliberationis poteſt illud præceptum omitti, cuius omiſſio, vt benè dicit *Sanchez* ſupra, ſolum venialis erit. Item poterit hæc obligatio præcipuè inter barbaros inuincibiliter ignorari: ſtante autem tali ignorantia inuincibili nullum in eius omiſſione committitur peccatum. Ergo poterunt tunc venialiter peccare, peccato mortali non commiſſo, atque adeo cum originali, & veniali ſolum decedere. Ergo tàm in contraria ſententia, quàm in noſtra aſſignandus eſt locus, quò debeat decedens in originali, & veniali macula adire. Dupliciter ergo argumento directè reſpondemus. Primò ad diuinam prouidentiam pertinere, ne permittat aliquem ſolo veniali, & originali maculatum è vita decedere. Sic *Sanchez* cum aliis *d. nu.* 7. At quia quibuſdam videtur, hoc gratis excogitatum ad euadendam difficultatem: Secundò reſpondeo, admittendo caſum, poſſe, inquam, aliquem cum originali peccato, & veniali tantum mori, ipſumque ad Limbum puerorum acceſſurum, ibique aliqua perpetua, & temporali pœna confuſionis orta ex diſplicentia ſui ob illam maculam eſſe puniendum. Sic *Sanchez cit. ſect.* 1. *nu.* 18. *Coninch cit. d.* 24. *dub.* 8. *nu.* 40. & 41.

39 Non tamen prorſus negamus hoc præceptum obligare circa vſum rationis, ſed amplectimur ſententiam *Pratelij par.* 3. *Theol. c.* 3. §. 3. *num.* 449. hæc habentis: *Probabilius per ſe obligat, quando quis primum incipit habere notitiam Dei, vt infinitè amabilis propter ſe ſufficientem ad iſtum amorem eliciendum, quia recta ratio dictat, vt habita huiuſmodi notitia, homo Deum ſuper omnia diligat, ſeque, & ſua omnia ad Deum, ea ratione, tanquam ad finem vltimum referat; illud tamen quam primum intelligendum eſt cum aliqua latitudine, ſic, vt ſine graui peccato poſſit differri ad aliquot hebdomadas, & menſes, non tamen ad vnum, aut alterum annum.* Sequitur *Auguſtinus Lucenſis cit. c.* 1. *num.* 17. Non ergo æqua, ſed nimia liberalitate *Arriaga num.* 19. extendit ad primum, aut ſecundum annum. Nec approbandus *Coninch cit. dub.* 3. *num.* 50. qui dicit, quod non ſtatim puer poſt talem notitiam peccat mortaliter, ſed tantum ſi differat

Digitized by Google

ferat notabiliter, vt V. g. vltra annum. Et ego nec dilationem medii anni admitto cum *Card. de Aguirre to. 3. d. 130. ſect. 13. n. 129.*

40 Hæc ſententia ſic explicata non eſt obnoxia ſcrupulis, & torſionibus conſcientiarum; nam requiritur, vt ſufficienter illuceſcat hoc præceptum peruenienti ad vſum rationis; vt etiam docent *Petrus Hurtadus d. 174. ſect. 1. ſubſect. 2. §. 25. Boyuinus to. 4. Theol. tract. de char. qu. 4. concl. 3. Gabr. à S. V. 2. 2. d. 25. dub. 2. num. 59.* & alii. Itaque vt hoc præceptum peruenientem ad vſum rationis obliget, debet illi proponi Deus amandus, & præceptum de illo amando. *Boyuinus*, & alii. Quare antequam illi proponatur ex aliquo Doctore extrinſece, vel ex interno lumine, non tenetur. *Molfeſius in ſum. tr. 11. c. 5. num. 23.* & alii. Et poſtquam eſt propoſitum, habet aliquam latitudinem temporis, puta duorum, aut trium menſium. Tenentur tamen parentes, Parochi, & Confeſſarii pueros, qui ad vſum rationis videntur accedere, aut eum attigiſſe, diligenter inſtruere de Dei amore, eiuſque obligatione, & ad eum ſæpius eliciendum excitare. Ita *Layman*, quem ſequitur *Pratel. us ſupra num. 454. Baſſæus V. Charitas n. 10.*

Quæritur 2. An adſit obligatio diligendi Deum in periculo, aut extremo vitæ?

Et quidem, ſi quis nunquam Deum antea dilexit, nemo dubitare poteſt, quin teneatur in periculo, aut extremo vitæ, ad perfectam Dei dilectionem: debet enim huic præcepto aliquando ſatisfacere: nec iam aliud tempus ſupereſt. Quod ſi aliquando dilexit, ſed longo tempore diſtulit repetitionem amoris, V. g. vltra annum: cum ea mora ſit graue peccatum, quod emendare debet et, etiam extra illum articulum, aut periculum, a fortiori etiam in illo eadem obligatione conſtringetur, nec verum emendationis propoſitum, aut veram attritionem habebit, nec validam confeſſionem conſtituet, ni tempus mortis præueniat, atque ad diligendum Deum ex toto corde ſe accingat.

41 Quod ſi Deum dilexerit, nec ſit in mora grauiter culpabili repetendi amorem eius, ſit tamen conſcius peccati mortalis, in hoc caſu aliqui dicunt ſufficere elicere actum attritionis cum Sacramento Pœnitentiæ. Ita *Azorius p. 1. l. 9. c. 4. quæſ. 1. Villalob. p. 2. ſum. tr. 3. diff. 2. nu. 6. Caſtropalaus cit. tr. 6. d. 1. p. 4. num. 9.* & alii. His ab extremo aduerſantur nonnulli putantes tunc requiri contritionem, vtpote ſecuriorem, ſaltem exiſtimatam. At computari non debere inter pericula ad maiorem ſecuritatem obligantia, ſi quis ad confeſſionem accedat cum vera attritione ſibi nota vt tali, docent communiter Doctores, quia attritionem ſufficere ad valorem, & fructum Sacramenti tàm in vita, quàm in morte, adeò certum eſt ex *Tridentino ſeſſ. 14. c. 4.* adeoque receptum ab Auctoribus poſt *D. Thomam, & Scotum*, vt contraria opinio contritionem poſtulans ſaltem exiſtimatam, haudquaquam cenſeri ſoleat hoc iam tempore

pore probabilis. Verum animaduertendum eſt, *Contenſonem, Gauardum, Poncium Scotiſtam*, & non paucos alios contendere in attritione debere includi aliquam Dei dilectionem, tametſi minus perfectam; & licet cæteri communiter exiſtiment eam non requiri, quibus conſocior; tamen priorem ſententiam improbabilem appellare nequeo ex Decreto Alexandri VII. edito die 5. Maii anno 1667. quo diſtrictè omnibus vetuit, aliquam ex eis taxare ſub pœna excommunicationis maioris S. Sedi reſeruatæ. Nonnulli dicunt etiam per ſe obligare hoc præceptum inſtante mortis articulo, eiuſque periculo hominem peccati mortalis conſcium, quia homo ex amore ſui, ac Dei tenetur modo ſecuriſſimo ſuæ ſaluti conſulere per actum amoris Dei per ſe ſufficientem ad ſupplendos defectus Sacramentorum, ſi qui fortè interuenerint. Ita *Pratelius ſupra num.* 450. & alii cum *Arriaga ſupra num.* 17. cuius hæc ſunt verba: *Imò addo in articulo mortis hominem teneri, etiam ſi ſit copia Confeſſarij: non quia incertum ſit; vtrum attritio ſola intra Sacramentum ſufficiat: eſt enim id planè de Fide, ſed quia cum nec mihi ſit omnino certum, an ego ſim baptizatus, & conſequenter, an ſim capax Sacramenti Confeſſionis: item, non ſim omnino certus alterum eſſe Sacerdotem, aut habere intentionem me abſoluendi: & mea ſalus ſit res ſummi momenti, in qua ſi tunc erratur, nullum per totam æternitatem amplius reſtat remedium: profectò teneri videor, ad adhibendum medium illud, quod habeo in ea poteſtate, & facilè poſſum exequi, & in quo ceſſat omne dubium: ſiue enim baptizatus ſim, ſiue non, & ſiue alter validè me abſoluat, ſiue non, talis amor ſufficit ad ſalutem; per quod tamen non nego, ſi quis hanc obligationem ignorans, & bona fide procedens, confiteatur cum ſola attritione, eum ſaluandum, ſi validè adminiſtretur Sacramentum.* Alii rectius hanc obligationem ex his capitibus non agnoſcunt, quia non tenemur ad metaphyſicam ſecuritatem: ſed tunc quando probabile eſt, Sacramentum, quod ſuſcepit, ex ſui defectu, aut miniſtri infructuoſum eſſe, aut inualidum; nam tunc ratione periculi moriendi extra ſtatum gratiæ, & numquam diligendi vltimum finem, imò gerendi cum ipſo æternam inimicitiam, charitas Dei obligabit ad quærendum aliud medium, quo probabilis formido tanti mali depellatur. Id autem præſtabit amor Dei in contritione incluſus. Ego independenter ab hac obligatione ex hoc capite, cenſeo conſcium peccati mortalis in articulo, & periculo mortis, admitti ad eliciendum actum perfectum dilectionis Dei, quamuis Sacramentaliter ritè confeſſus ſit. Ita *Suarez d.*15. *de Pœnit. ſect.*4. *num.*19. *Layman l.*5. *tr.*9. *c.*2. *num.*6. *in fine, Coninch ſupra num.*51. *Hurtadus De la Fuente hic differt.*5. *c.*4. *num.*26. *Sporer Theol. mor. tom.*1. *tr.*2. *c.*5. *ſect.*2. *num.*35. & alii; nam ſemper manet obligatio inſtaurandi diuinam dilectionem retractatam per peccatum, quamuis homo ſit certiſſimus de ſua attritione, & iuſtificatione per Sacramentum obtenta: imò quamuis id ſciret non ſolum morali modo abſ-

Digitized by Google

que ſpeciali ratione formidandi, vt ſæpè vſuuenit; ſed per reuelationem diuinam ſibi factam. Nam id non pendet ex periculo condemnationis ſibi iminentis; ſed ex præcepto ſpeciali diligendi Deum ſuper omnia, quæ ſibi placent, aut placebunt vnquam, & placuerunt antea. Huic enim præcepto, poſtquam amor Dei eſt retractatus, omninò ſatisfacere oportet, vt peccator, qui per adoptionis gratiam virtute Sacramenti denuò factus eſt Dei filius, amore filiali eum diligat, nec ſe inueniat imparatum, Deo interrogante poſt mortem, quod in vita interrogauit *Malachiæ 1. v.6. Si ego pater, vbi eſt amor meus?*

42 Immo tutior, & probabilior eſt ſententia docens, quod etiam exiſtens in gratia, & qui extra periculū ſuo tempore elicuit actū dilectionis Dei, debet circa periculum, ac articulū mortis elicere actum dilectionis Dei. Ita *Val.2.2. d.3. qu.19.pu.1. caſu 7. Catheranus tr.7.l.2.c.5. §.2.n.26. Suarez, Sporer, Lucenſis,* & alii. Nam præceptum de ſuſcipienda Euchariſtia in periculo mortis obligat etiam eum, qui communicauit in Paſchate, imò ſecundum veriorem ſententiam, qui paulò ante periculum communicauit: Euchariſtia autem eſt Sacramentum amoris: præceptum etiam hoc regale non eſt inferius illo, ſed maius, ac maximum: obligabit ergo in eo periculo non ſolum exiſtentem in peccato, ſed etiam in gratia, &c. Confirmatur etiam ex iis, quæ affert *Cacheranus ſupra* his verbis: *Idem præceptum obligat circa finem vitæ, cuius nomine venit articulus, aut probabile periculum mortis: Ly circa, denotat aliquam latitudinem, adeò vt non ſit obligatio erumpendi in amoris actum ſtatim, ac occurrit articulus, aut periculum mortis, ſed intra aliquod interuallum, intra quod in periculo conſtitutus probabiliter putat ſe victurum, & futurum moraliter expeditum ad amandum: obligat, inquam, circa huiuſmodi finem, pro quo maximè viget neceſſitas habendi gratiam, & coniungendi ſe Deo omni maiori ſecuritate; nullo autem ſecuriori modo id fit, quam dilectione, aut contritione: Præter quod ratio amicitiæ poſtulat, vt tunc potiſſimum exerceatur, quando in poſterum non erit amplius liberum eam exercere; vnde & Chriſtus Ioan.13. Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.*

43 Quæritur 3. An ſint alia tempora, in quibus obliget præceptum charitatis erga Deum, quatenus affirmatiuum?

*Sotus l.2.de iuſt. qu.3. ar.*10. putat, quod hoc præceptum obligat, dum ſingulare beneficium à Deo confertur. *Baſſæus V. Charitas nu.9. Azorius, Fillucius, Suarez, Caſtropal. Sporer,* & alii hanc ſententiam reiiciunt; quia, inquiunt, ſi beneficium ad aliquem actum impellit, ſatis eſt, vt ſit gratiarum actio, & non oportet, vt ſit actus dilectionis. Sed ego cum *Boyuino cit.qu.4. concl.3.* probabilem exiſtimo ſententiam *Soti*; quia cum ſingulare beneficium ſit ſignum ſpecialis amoris Dei circa nos, tunc debet redamari; ſicut enim beneficiis correſpondet gratiarum actio, ita amori correſpondere debet amor; nam amor amore compenſatur, vt eſt

com-

Digitized by Google

commune proloquium. *Sotum* ſequuntur etiam *Toletus l.4. c.9. num.16.* & *Valen. pu.1. caſu 4.* qui tamen ſubdit, ſi beneficium eſt naturale, ad amorem naturalem obligare: ſi ſupernaturale ad ſupernaturalem.

Nau. c.11. num.9. ait, quod etiam obligat hoc præceptum dilectionis Dei, quando diligendus eſt proximus ex charitate, vt infra.

Alia tempora non facilè admiſerim cum *Sporer*: Non enim obligat tempore, quod aliquod opus arduum, aut egregium eſt inchoandum; quia ſatis eſt eo tempore orare Deum, eiuſque auxilium implorare. *Leander à Sacram. in Decal. tr.4. d.2. q.21.* Nec obligat cum quis aliquam blaſphemiam in Deum euomentem audit, aut illi grauem iniuriam inferentem, vt volunt *Nau.* & *Valen.* Nam ſufficit illum corrigere, aut coercere, &c. *Leander à Sacram. l.c. qu.22. Gabr. à S.V. l.c. num.56.* Et ſic vt ſummum tunc obligat Religionis præceptum ad honorem diuinum defendendum. *Fillinc. tr.22. c.9. num.289.* Et qui perueniens ad vſum rationis fecit actum dilectionis Dei antequam baptizatur, non tenetur, dum baptizatur, vi huius præcepti elicere actum amoris Dei; quia ad dignè ſuſcipiendum illud ſufficit attritio concepta ex metu pœnæ: quæ non includit amorem Dei ſuper omnia. *Leander à Sacram. l.c. qu.25. Arriaga ſupra num.15. Sanchez l.2. c.35. num.9. Suarez de Char. d.15. ſect.3. num.2. Coninchus cit. dub.3. n.44. Caſtropal. d. pu.4. n.7.* & alii, contra *Sotum de natura, & gratia c.22.* & *Val. d. pu.1. caſu 2.*

Quæritur 4. Quæ, & quot ſunt peccata contra charitatem, & dilectionem erga Deum?

44 Reſpondeo: contra charitatem Dei eſſe duo præcipua peccata; nempè commiſſionis, & omiſſionis, quæ opponuntur duobus præceptis, affirmatiuo ſcilicet, & negatiuo. Commiſſionis eſt contra negatiuum præceptum; & dicitur odium Dei, quod, vt docet *D. Thomas 2.2. qu.34. ar.2.* eſt omnium peccatorum grauiſſimum: quia opponitur charitati, quæ omnium virtutum excellentiſſima, perfectiſſima, & præſtantiſſima eſt. Quod ſemper eſt peccatum mortale (niſi defectus deliberationis adſit) quia obiectum ſemper eſt res grauis, nempè Dei contemptus, & diſplicentia. *Torres 2.2. d.92. dub.1. Caſtropalaus cit. d.6. d.4. pu.1. nu.3. Sporer*, & alii. Nec eſt ſimile de odio proximi: Tum quia quodlibet odium Dei maximè repugnat ſummæ bonitati Dei, qui ſummè bonus eſt, nec in ipſum vlla ratio mali cadere poteſt. Tum etiam ſicut mortaliter peccat, qui Deo fidem non præſtat in quolibet articulo fidei, etiam minimo, ita etiam, qui vult aliquod malum Deo, mortaliter peccat. Ex oppoſito ſicut mortaliter non peccat qui fidem homini in minimis non præſtat, ita non peccat mortaliter, qui vult proximo leue malum. Porro aduertendum eſt cum *Caietano 2.2. qu.35. ar.2. Petro de Lorca 2.2. qu.34. pu.1. num.3.* & aliis communiter, odium Dei generale reperiri in omni peccato, non verò odium ſpeciale: nam odium generale conſiſtit in auer-

auerſione à Deo, quatenus peccator electione actus peccaminoſi cõnuertit ſe ad creaturam, & Deo virtualiter vult malum, ideſt peccatum, & offenſam; & hæc eſt circumſtantia omnium peccatorum; odium verò ſpeciale conſiſtit in actu diſplicentiæ, vel deſiderii mali in Deum, & hoc odium rarò committitur à viatoribus: eſt tamen in Dæmonibus, & damnatis, qui ob plagas ſibi à Deo illatas, ipſum deteſtantur; & ſimiliter peccator in via, qui Deum odio habet, Deum tanquam ſibi infeſtum, & odioſum concipit: & ideò ipſum odio habet, aut optat ipſum non eſſe: quamuis enim electio voluntatis non poſſit abſolutè ferri in impoſſibile, nihilominus actus ſimplex voluntatis ferri poteſt, vt docet *Ariſt. 3. ethic. Azorius p. 1. l. 9. c. 4. quæſ 6. Sanchez*, aliique.

45 Peccatum omiſſionis contra charitatem Dei diſtingui poteſt in tres ſpecies. Prima eſt, quãdo Deus nõ diligitur ea ratione, qua diligendus eſt; vt quia diligatur principaliter ob beatitudinẽ, vel ad euitandas inferni pœnas, vel propter aliquod bonũ creatũ, quod ab eo ſperatur; ita vt ſi aliquod horũ deeſſet, non diligeretur; tunc enim quia non diligeretur Deus vt vltimus finis, & propter, verùm nos ipſi potius, & creatura aliqua; ideo eſſet peccatum mortale ex indebito modo diligendi Deũ, ita ex multis Doctoribus *Azorius tit. c. 1. quæſ. 5. in fine, Filliuc. tr. 22. c. 9. quæſ. 10 num. 296. Trullench in Decal. to. 1. tit. 1. c. 5. dub. 3. num.* 12. qui addit, quod talis amor propriè dicitur mercenarius: mercenarij enim, qui conducti in vinea laborant, habent ſtipendium tamquam vltimum finem, non verò Domini gloriam & vtilitatem. Ideo licèt poſſimus Deum diligere, & alia bona facere ob gloriam æternam, & præmium conſequendum, iuxta illud *Pſal.* 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem*: Nihilominus retributio, ſeu præmium non poteſt eſſe finis vltimus, ſed tantummodo minus principalis, Ita *Sanchez l. 3. c. 3. num. 5. Reginaldus l. 17. num. 93. Pratel. num. 442. & Sporer ſect. 3. num. 44.* & alij; de quo plenè in *Alexandri Gladio, comm. ad* 10. *Propoſ.* Ex quo patet à fortiori non licere finem vltimum in hac vita conſtituere: quamuis enim longam nobis vitam exoptare poſſimus, tamen finem vltimum in præſenti vita collocare non poſſumus; quia Deus non diligeretur tanquam finis vltimus, & vita temporalis præterretur æternæ fruitioni Dei. Ob id *Sanchez l. c. num.* 11. *Nau. c. 15. num. 20.* & alii docent, illum grauiter peccare, qui cupit in hac vita ſemper permanere; notabiliter enim verum ordinem peruertit, præferendo commoda præſentis vitæ æternæ fruitioni, & fini omnium rerum vltimo. At *Pratelius num. 452. Sporer*, & alii hoc tantum admittunt de eo, qui aduertenter cupit manere in hac vita, ſic, vt huius ſæculi delicias præferat Deo, eiuſque fruitioni; ſecus ſi id cupiat præcisè ex amore huius vitæ, aut ex incertitudine ſalutis æternæ, ſeu ex metu gehennæ. Verùm vide, quæ dixi in *Lapide-Lydio comment. 1*, Secunda eſt, quod Deus non ametur ea quantitate, qua opus eſt; vt ſi

vt ſi non ſuper omnia quoad appretiationem modo explicato dicto *comment.*1. aut non amore ſupernaturali, quando is obligat. *Filliuc. cit. qu.* 10.*num.*297.*Trullench ſupra num.*15. & alij communiter. Tertia eſt, quando non diligeretur tempore debito; de quo dictum eſt ſupra. Ab hac tertia ſpecie excuſari quis poſſet Primò. Si putaret probabiliter non obligare in aliquo ex dictis caſibus ſupra. Secundò, ſi ex inaduertentia inculpabili tale tempus accidat, in quo teneatur; & non aduertat. Tertiò, ſi ignoret inculpabiliter aliquod ex ijs temporibus, & caſibus. *Filliuc. ſupra, Granadus* 2.2.*contr.*3.*de char.tr.*14.*Ioan.de Cardenas diſſert.*6.*c.*2.*art.*2. & alij communiter. Sanum tamen, & ſalutare conſilium tradunt *Sylvius* 2.2.*qu.*44.*ar.*6.*qu.*3.*Filliuc.Valent. Cacheranus, Pratel.num.*455. & alij identidem ſub dubio ſubijcere Sacramentali confeſſioni tranſgreſſionem præcepti charitatis erga Deum, eamque recenſere inter peccata, de quibus *Pſal.* 18. habetur: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*. Hoc ſanum conſilium ſeruandum eſſe etiam circa Fidem, & Spem rectè addit *Filliucius ſupra.*

PROPOSITIO VIII.

Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, (modo non obſit valetudini) quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

1 HÆc eſt *Ioannis Sancij in ſelectis d.*2. *num.*14. ibi: *Deficiente verò nocumento, comedere, vel bibere abſque neceſſitate, ſolùm ob delectationem captandam, ſcilicet ob frigiditatem potus, vel ſuauitatem cibi, neutiquam contra rationem erit, ſed talis comeſtio, aut potatio liberè fit, vt appetitus naturalis ſuis fruatur actibus. At velle appetitum delectari ſuis operationibus, quæ contra rationem non ſunt, nullatenus peccatum eſt; cum ſcelus reperire ſit impoſſibile, niſi contra rationem tendat operans. Dices quæſo quare contra rationem operatur edens, aut bibens abſque fame, dum aliàs eſus, aut potus nocumentum ſaluti non inferant? Nam ſi ob ſolam cibi delectationem gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatum etiam eſſet odorari res aromaticas ob ſolam delectationem capiendam boni odoris. Et eſſet ſcelus, res inſpicere pulchras ob ſolam delectationem, quam viſus in viſione capit. Et eſſet crimen audire muſicam ob capiendã auditus delectationẽ. Quis autem d.mnet hæc? & velle audire muſicã ob delectationem non ſolũ nõ eſſe peccatũ, ſed eſſe rem bonam, expreſsè fatetur D. Auguſtinus l.*8.*Confeſſ.c.*10.*Igitur nec guſtus ſenſum, ex eo quod appetat cibum ob ſolam delectationem, damnare*

erit

erit fas; priorisque erit conditionis, quam alij? Hæc ille, & ex illo idem; docuit *Antonius de Eſcobar in ſumma tr.2. exam.2. num.102.* Ipſe tamen contrariam apertiſſimè ſequitur in *Theol. Morali poſtea excuſa to.1. l.4.nu. 231.* & ibi opinionem *Sancij*, magis Auctoris ſui ingenio quàm practicæ veritate inniti, putet. *Baſſaus autem V. Gula tr.2 in fine*, eam probabilem eſſe iudicat, dum oppoſitam *Paſqualigi*, vt probabiliorem tenet. Adhæret *Maior in 4.d.31.qu.vn.concluſ.7.* dicens: *quòd ſi quis concedat pluſquam ſibi ſufficiat, non tranſcendit latitudinem temperantiæ in cibo, dummodo cibus non ſit in iacturam corporis, vel animæ, & nec ſit prohibitus.* Et inde infert, quòd ſi quis pyrum, vel pulchrum pomum comedat gratia voluptatis, non peccat.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Gula, quæ opponitur virtuti abſtinentiæ ſtrictè acceptæ, definitur, quod ſit* Vitium in oppoſitione, & vſu delectationis cibi, & potûs, debitum modum, ideſt, præſcriptum rationis excedens. *Et fit quinque modis,* Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudiosè. *Differunt ſpecie.*

3 *His quinque modis omnes ſpecies Gulæ continentur. Referuntur quidam alij modi, ſed conſtituunt ſpecies diuerſas a Gula, vel ad eaſdem quinque reducuntur.*

4 *Vitium Gulæ inter peccata capitalia rectè numeratur, eo quod plurium aliorum origo eſſe ſoleat: & per ſe loquendo, & ex genere ſuo eſt peccatum veniale, & aſſignatur ratio. Eſt verò mortale, ſi quis in delectatione finem vltimum conſtituat, & ſcandaloſa, atque erronea eſt ratio huius octauæ Propoſitionis*: quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. *Tripliciter in delectatione cibi, & potus poteſt vltimus finis conſtitui.*

5 *Gula mater plurium dicta vitiorum, quinque infelices gignit filias, quæ ſunt,* Hebetudo mentis, Immoderata lætitia, Multiloquium, Scurrilitas, & Spurcitia. *Explicantur, & determinatur quando ſunt peccata mortalia, quando venialia.*

6 *Gulæ ſpecies, crapula, & ebrietas. Crapula conſiſtit in cibo immoderato. Comedere vſque ad vomitum, aliquando veniale, aliquando mortale, aliquando nullum.*

7 *Ebrietas, quaſi extra* briam, *eſt* exceſſus in potando, cauſa voluptatis, vſque ad violentam vſus rationis priuationem. *Eſt peccatum mortiferum, ſi voluntaria ſit. Oſtenditur multipliciter, & occurritur inſtantijs.*

8 *Si voluntaria non ſit, non eſt culpa, ſaltem mortalis, ſic excuſatur ebrietas Noe. Eſt autem voluntaria directè, vel indirectè.*

9 *Si non fiat cauſa voluptatis, poteſt carere culpa; ſic non eſt peccatum inebriare ſe ex præſcripto medicorum, ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit.*

10 Si

10 *Si quis cogatur bibere intento enſe, alioquin interficiendus, non peccat, ſi ebrietatem patiatur, loquendo de ebrietate, vt ſolum dicit priuationem vſus rationis ex potu, idque oſtenditur multipliciter.*

11 *Si ebrietas non ſit plena, & perfecta; hoc eſt ſi poſt potum adhuc diſcernere poſſit inter bonum, & malum, licet non nihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus: lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, &c. probabile eſt, eſſe tantum veniale ex grauioribus.*

12 *Hæc propoſitio quoad primam partem continet pernicioſas doctrinas præcauendas ratione damnationis, etiam, & ſunt: prima* Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini. *Et hic ſatietas ſumitur pro comeſtione cibi immoderati. Secunda eſt:* Comedere, & bibere propter ſolam voluptatem non eſt peccatum modo non obſit valetudini.

§. II.

13 *Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, eſt peccatum, etiam ſi non obſit valetudini, & clarè oſtenditur.*

14 *Similiter eſt illicitum comedere, & bibere, propter ſolam voluptatem, etiamſi non obſit valetudini. Et contraria aſſertio damnationi huius decreti ſubijcitur.*

15 *Oſtenditur ex Sacris literis.*

16 *Item ex eo quod debeamus viuere ſecundum rationem, non ſecundum ſenſum.*

17 *Et præterea, quia eſt humanæ naturæ indignum in operationibus ſuis non quærere alium finem, quam brutum.*

18 *Et contra ordinem rationis eſt, ponere finem in voluptate ſenſus, more Epicureorum.*

19 *Et denique, quia contrariatur virtuti Temperantiæ.*

20 *Reus videtur huius propoſitionis damnatæ etiam* Matthæus de Moya. *Si verò ſentiatur voluptas, ſed non ob hanc ſolam quis comedat, vel bibat, ſed ad conſeruandam valetudinem, aut reſtaurandas vires, peccatum nullum committitur.*

21 *Idem dicendum eſt de eo, qui ob ſolam delectationem res pulchras inſpicit, aromata odoratur, concentus muſicos audit.*

22 *Non tamen in omnibus his caſibus quis peccat mortaliter, ſed ſolùm venialiter; niſi quis ponat vltimum finem in cibo, potu, odoratu aromatum, viſione rei pulchræ, & id genus.*

23 *Non licet ſumere ſine peccato veniali ſalſiuſcula, aut alia ſapida, ad excitandum appetitum gulæ, vt delectetur in comeſtione.*

24 *Non reprobatur hoc decreto ſententia docens; eſſe aliquos actus indifferentes in indiuiduo.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò Gulam opponi virtuti abſtinentiæ ſtricte acceptæ. Vnde ſicut abſtinentia eſt virtus, quæ facit nos moderate appetere, & vti cibo, & potu non inebriante; ita Gula eſt vitium in appetitione, & vſu delectationis cibi, & potus debitum modum, ideſt præſcriptum rationis, excedens. Hoc autem fieri poteſt quinque modis, vt pulchre oſtendit *D.Thomas 2.2. qu. 148. ar.4.* ex *D. Gregorio l.3.mo al.c.37.* qui hoc verſiculo continentur: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.* Ratio huius diuiſionis eſt, nam exceſſus ſpectari poteſt, vel circa ipſum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa illius ſumptionem: circa cibum, vel ratione ſubſtantiæ, vel qualitatis, vel quantitatis. Ratione *ſubſtantiæ* eſt exceſſus, cum appetuntur cibi pretioſiores, quam conueniat ſtatui, vt ſi Religioſus contemptis aliis cibis, nolit comedere, niſi Perdices, Phaſianos, Ficedulas; hoc inſinuatur per *lautè*. Ratione *qualitatis*, vt cum in condimentis, & ſtudio præparandi eſt exceſſus, vt ſi nolit comedere, niſi multo ſaccaro, vel ſuccis variis ſit conditum. Hoc iudicat *ſtudioſè*. Ratione *quantitatis*, cum nimium comeditur, ideſt, pluſquam natura requirat; qui modus eſt frequentiſſimus, & indicatur per ly *nimis*. Circa ipſam ſumptionem poteſt eſſe exceſſus, vel ratione *modi*; vt ſi quis voraciter comedat cibos non manſos deuorando, ſicut canes, & leones: hoc ſignificat *ardenter*. Vel ratione *temporis*, debitum tempus, præueniendo, vel etiam ſæpius quam deceat comedendo: quod indicat *præproperè*. Vnde patet, quam male *Sancius* ſupra dixerit: *Cum tamen gula ſolum inueniatur quando contra rationem dictantem quis edit, vel bibit, quod ei nociuum eſt.* Differunt autem hæ inordinationes ſpecie, ſecundum *D.Thomam*; vnde etiam diuerſæ in diuerſis reperiuntur: alii enim ſolum peccant in pretioſitate ciborum, quia nihil illis ſapit, niſi peregrinum, & ſumptuoſum; alii in qualitate, & palati teneritudine: alii in quantitate, alii in voracitate, alii in crebritate ſumendi, alii in pluribus horum, alii in paucioribus.

3 Notandum eſt 2. his quinque modis omnes gulæ ſpecies contineri. Et licet videantur eſſe aliquæ aliæ: qui enim comedit carnes tempore vetito, peccat peccato gulæ: ſimiliter qui comedit ante communionem: & tamen nullo horum modorum peccant. Idem videtur de illo, qui loco indebito, V.g. in Templo, vel in foro comedit. Item qui cibis noxiis vtitur, denique qui carne humana, vel carbonibus aliiſque cibis execrandis delectatur. At re vera non ſunt. Etenim illæ ſolæ ſunt gulæ

ſpecies,

Digitized by Google

ſpecies, quæ conſtituuntur per circumſtantias inducentes diuerſas inordinationes, oppoſitas virtuti abſtinentiæ; tales autem ſunt ſolum quinque ſupradictæ; quia inordinatio, quam inducunt, non repugnat propriè alteri virtuti, quam abſtinentiæ. Circumſtantiæ verò, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti, non conſtituunt ſpeciem gulæ, ſed alterius vitij, ad quod illa inordinatio per ſe pertinet, V.g. ex eo, quod cibus ſit noxius non conſtituitur ſpecies gulæ, quia nocere naturæ ſuæ non eſt contra virtutem abſtinentiæ, ſed contra charitatem ſui. Vnde in vſu talis cibi non eſt alia inordinatio propria gulæ, quam quod cibus nimis ardenter appetatur; ita vt ex eius affectu homo velit nocere valetudini. Itaque in primo caſu eſt ſpecies gulæ, quatenus comeditur præproperè, ſeù quia conueniens tempus vtendi tali cibo præuenitur. *Caietanus* reſpondens *Martino de Magiſtris* refert ad primum modum, vbi cibus ratione ſubſtantiæ non congruit homini: ſed hic reuera congruit ratione ſubſtantiæ, ſed ſolum ratione temporis non congruit: ſicut cum debitum tempus præuenitur. In ſecundo ſimiliter præuenitur tempus conueniens: vel dicito potiùs eſſe peccatum ſacrilegii, quam gulæ; quia non tam peccat tunc comedendo, quàm volendo poſt cibum communicare. In tertio caſu, cum in loco incongruo, ſi id fiat affectu gulæ; vt quia non poteſt differre donec venerit domum, reducitur ad præproperè, vel nimis ardenter. Circumſtantia autem loci illius non conſtituit ſpeciem propriam gulæ, quia non inducit inordinationem contra abſtinentiam; ſed contra religionem, vel modeſtiam. De quarto, cum quis cibo notabiliter noxio vtitur; iam dictum eſt. In quinto non tam eſt vitium gulæ humanum, quam feritas belluina, praua conſuetudine contracta, vel affectio morbida, aut belluinæ naturæ conſtitutio. Ex his fere ſoluas multas minutias, quas contra iſtos quinque modos obiicit citatus *Martinus*.

4. Notandum eſt 3. Tametſi vitium Gulæ inter peccata capitalia rectè numeretur, eo quod plurium aliorum origo eſſe ſoleat: nihilominus per ſe loquendo, atque ex genere ſuo ea eſt peccatum veniale. Ita cum *D. Thoma, Sylu. V. Gulæ, num. 2. Maſtrius d. 15. Theol. mor. num 146. Lucenſi l. 2. c. 6. num. 4. Reginald. l. 15. num. 64. Reiffenſtuel. tr. 3. Theol. mor. differt. 3. qu. 6. num. 43. Sporer*, aliiſque. Ratio eſt: quia Gula præciſe ſumpta, & ſelectis malitiis contra alias virtutes pugnantibus, non repugnat grauiter charitati Dei, vel proximi. Vnde ſi quis edat ante tempus, ſi nimis exquiſita, ſi plus iuſto, ſi nimis voraciter ad modum canum, vel nimis exquiſite præparata (qui ſunt quinque modi peccandi vitio Gulæ) per ſe loquendo non peccat mortaliter. Cæterum Gula mortale peccatum eſt, ſi quis in illa delectatione vltimum finem conſtituat. Ita communiter Theologi cum *D. Thoma*. Et hinc patere poteſt, quam ſcandaloſa, imò erronea ſit ratio huius propoſitionis, nempè: *Quia licitè poteſt app titus*

naturalis ſuis actibus frui. Hoc enim diſcrimen intercedit inter *frui*, & *vti*; dicimur enim *frui* reſpectu finis intenti, quem conſequitur: dicimur autem *vti* reſpectu medii, quod adhibemus ad finem conſequendum. Et ità *Seneca lib. de vita beat. c. 10.* agens cum quodam Epicuri diſcipulo, ait: *Tu voluptate frueris, ego vtor*; id eſt, tu intendis voluptatem tanquam finem; ego autem voluptatem eligo tanquam medium ad conſequendum finem honeſtum. Hinc fit, eam propoſitionem: *Licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*, accipiendam eſſe in hoc ſenſu, nempè: *Licitè poteſt appetitus naturalis gaudere de delectatione procedente ex ſuis actibus tanquam de fine obtento*. Et cum hæc propoſitio ſit vniuerſalis, alias malè aſſumeretur vt ratio illatiua alterius propoſitionis, ſcilicet: *Licitum eſt comedere vſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem*: inde colligitur hæc conſequentia erronea: Ergo omnis actus ſenſui delectabilis eſt licitè appetibilis: imò abſque peccato expeti poteſt, ipſius ſenſibilis delectationis intuitu, putà præpoſtera libido, eſus carnium humanarum, ebrietas, appetitus vindictæ, &c. quid abſurdius? poteſt autem quis in illa delectatione cibi, & potus vltimum finem conſtituere tripliciter. Primò expreſsè, vt cum quis expreſse, ſeù in actu ſignato, illam voluptatem ſummum eſſe bonum iudicat, ſicut olim Epicurei. Secundò, implicitè, cum id quidem expreſse non iudicat; tamen erga illam ſic afficitur, vt paratus ſit propter illam omnia humana, & diuina iura violare. Tales ſunt hoc tempore hæreſeos miniſtri, qui ſanam doctrinam, & Religionem propter ventrem adulterant, cauponantes verbum Dei; de qualibus dicit Apoſtolus ad Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt*. Tertiò interpretatiuè; vt cum quis affectu gulæ paratus eſt non quidem quoduis, ſed aliquod peccatum mortiferum admittere; hic enim etſi minus perfectè, & propriè ponat vltimum finem in voluptate ciborum, quam ſecundus, qui omnia ad illam refert; tamen aliquo modo id conuincitur facere: nam hoc ipſo, quo mortiferè peccat, Deum propter voluptatem deſerit, & hanc illi ſuo facto præponit: vnde etiam de talibus dici poteſt: *Quorum Deus venter eſt*. Et iſte tertius modus locum habet, ſi quis ob id furetur, contractus faciat iniquos ſi non ſoluat creditoribus, vt opiparè victitet, ſi violet ieiunia Eccleſiæ, veſcendo carnibus, vel ſæpius comedendo, ſi ex gula corpori aliquod notabile damnum inferat, ſi graue ſcandalum inde oriatur, ſi probabiliter timeatur aliquod peccatum mortale, ex quantitate, vel qualitate cibi ſumpti committendum. *Toletus de ſeptem peccatis mortalibus cap. 60. Leſſius de iuſt. & iure l. 4. cap. 3. dubit. 1. num. 6. & 7. Syluius 2. 2. q. 148. ar. 2. Lucenſis l. c. p. 5.*

Notandum eſt 4. Gulam meritò inter Peccata Capitalia connumerari, eo quod ſit mater plurium vitiorum, pro vt nimium probat ipſa experientia; præcipuè autem, teſte *S. Gregorio cit. cap. 31.* quinque infelices gignit Filias, quæ ſunt, Hebetudo mentis, Immoderata lætitia, Multilo-

tiloquium ; Scurrilitas, & Spurcitia. *Heb tudo mentis*, ſeù ſtupiditas conſiſtit in eo, quod non poſſit quis orare, aut alia huiuſmodi præſtare. Hæc fit mortalis, quando quis inordinate bibendo, vel comedendo, voluntariè redditur ineptus ad intelligenda, vel præſtanda ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, vel ad quæ ex officio, aut alias ſub graui peccato quis tenetur. *Immoderata*, ſeù inepta *lætitia*, hoc loco non quamuis inordinatam denotat lætitiam, qualis omne peccatum comitari ſolet, ſed eam præcipue, quæ mouet ad cantiones obſcænas, actus turpes, ſaltus, vel choreas inhoneſtas, &c. Et huiuſmodi immoderata lætitia fit mortale peccatum, quando eſt inductiua ad conſenſum, aut delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur. Per *Multiloquium* peccatur, iuxtà illud *Prouerb* 10. *In multiloquio non deerit peccatum*. Et quidem tunc peccat quis mortaliter per multiloquium, quando illo vtitur in grauem irreuerentiam Dei, aut in tantum eo delectatur, vt paratus ſit illud præferre impletioni alicuius præcepti ſub culpa mortali obligantis; alioquin verò, ac ex genere ſuo, eſt peccatum veniale. *Scurrilitas* idem ſonat, ac iocularitas quędã proueniens ex defectu rationis, quę ſicut nõ poteſt cohibere verba, ita nõ poteſt cohibere exteriores geſtus. De hac, ſicut & de ſtultiloquio, fit mentio *Epheſ. c.* 5. vbi etiã Scurrilitas apertè ſecernitur à Stultiloquio, dum dicitur: *Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet*. Differt autem Scurrilitas, à Stultiloquio, quod Scurrilitas dicat quamdam inhoneſtatem in verbis, & geſtibus, V.g. Scurrilia dicere, canere, vel alia huiuſmodi ad riſum excitandum agere. *Multiloquium* verò conſiſtit in ſuperfluitate verborum: quæ ſi proferantur abſque recta ratione, ſeù iudicio intellectus, Stultiloquium erit. Porrò Scurrilitas per ſe, & ſecluſo ſcandalo; eſt peccatum veniale; foret tamen mortale, ſi fieret cauſa delectationis Venereæ: *Spurcitia* tandem, ſeù *Immunditia* attenditur ſecundum inordinatam emiſſionem quarumcumque ſuperfluitatum, ſpecialiter verò quantum ad emiſſionem ſeminis: & hæc, ſi voluntaria ſit, eſt peccatum mortale. Tantum autem cibi, vel potus capere, vt vomitus ſequatur, ſi vſus rationis non adimatur, per ſe loquendo, non videtur peccatum mortale, vt docent *Caietanus V. Gula*, *Nau. in man. c.* 23. *n.* 1. *Petrus de Ledeſma in ſum. p. 1r.* 2. *tr.* 27. *c.* 3. *de Gula*, *Baſſæus ſup. num.* 2. & 8. *Sylvius ſupra ar.* 2. 5. & 6. *Reiffenſtuel ſupra à n.* 33. & alii; contradicentibus ſatis probabiliter *Sporer*, aliiſque.

6 Notandum eſt quintò, Gulæ duas eſſe ſpecies, nempè crapulam, & ebrietatem. Crapula conſiſtit in cibo immoderato. Iam dictum eſt, comedere, vſque ad vomitum eſſe veniale, niſi notabiliter noceat propriæ ſaluti. Quod ſi fiat cum vtilitate, nullum eſt peccatum. Vnde inquit *Caietanus* ſupra, quod de conſilio medicorum liceat ſumere amplius quàm par eſt ad vomendum, ſi iudicant vtile ad ſalutem. Vbi verò damnum infertur ſaluti ex quantitate, vel qualitate cibi, notanda ſunt ver-

verba *Toleti de ſeptem pec.mort.c.60.num.2.* quæ ſunt. *Tertiò, cùm damnum aliquod notabile corporis ſibi infert, vt qui ob nimium cibum, vel potum incidit in febrim, vel alteri, & ſic miniſtrat cauſam; & hoc ſi aduertenter facit, aut ſaltem cum debuiſſet aduertere, nam ſi expertus eſt ſibi talem cibum, vel alteri multum nocere, quamuis non aduertat, à culpa graui non excuſatur. Quando verò damnum non eſt graue, tunc erit veniale, vt infirmus patiens febrim, ſi bibat aquam, quam ſcit futuram cauſam alicuius augmenti, ſolùm venialiter peccat. Sic etiam qui ei miniſtrat.*

7 Ebrietas dupliciter accipitur, vt notat *D.Thomas 2.2.qu.150. ar.1.* nempè pro defectu vſus rationis, nimio potu inducto, vnde dicitur quis ebrius, & ſic non eſt peccatum propriè, ſed peccati effectus: & pro ipſa potatione, quæ hunc defectum efficit. Sic eſt peccatum, & definiri poteſt hoc modo: *Ebrietas eſt exceſſus in potando, cauſa voluptatis, vſque ad violentam vſus rationis priuationem.* Vel ſic. *Eſt violenta vſus rationis interceptio per nimium potum, cauſa voluptatis aſſumptum.* Sic dicta, iuxta *D.Tomam*, quaſi *extra briam*, quod debiti vini menſuram excedat. Vnde dum quis odore lupuli ſalictarij, vel ſuffitu tabaci, vel opio, alijſque narcoticis priuatur vſu rationis, non eſt ebrietas; quia hoc non fit exceſſu potandi. Eſt peccatum mortiferum ſi voluntaria ſit. Ita cum *D.Thoma cit.qu.150.ar.2.* omnes Teologi. Patet tum ex Sacra Scriptura. *Prou.23. Ne intuaris vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè; ſed in nouiſſimo mordebit, vt coluber; & ſicut regulus venena diffundet*: nimirum quia ſicut illa venena ſunt corpori lethifera, ita vinum in fine mortem æternam adfert animæ, & corpori: *1. ad Cor.6. Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* hic ebrietatem connumerat alijs vitijs mortiferis, & pari modo à regno excludere affirmat. Nec obſtat, quod *ebrioſum*, non ebrium; ſed deditum ebrietati deſignet; ac proinde requirat conſuetudinem: nam Græcè eſt verbum, quod ebrium ſignificat: vnde ſicut is, qui alia vitia, vel ſemel commiſerit, excludetur à regno, niſi pœnitentiam egerit, ita etiam qui, vel ſemel ebrius fuerit. Ad *Galatas 5. Ebrietates* ponuntur inter opera carnis, quæ à Regno Dei alienum reddunt. Tum ex Patribus, *Baſilio hom.in ebrietatem, Ambroſio de Elia, & Ieiùnio c.14. Chryſoſtomo hom.contra luxum, & crapulam. Auguſtino ſerm.231. de tempore*, vbi ſæpiùs dicit, per ebrietatem perire *animam, hominem Deò fieri inimicum, & reum in die iudicij; & ſerm.232. Qui credit ebrietatem eſſe paruum peccatum; ſi ſe non emendauerit, & pro ipſa ebrietate pænitentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis æterna illum pœna cruciabit*: idque probat ex Apoſtolo *1. Cor.9. & ad Eph.5.* Nec dicas, *Auguſtinum ſerm.41. de Sanctis*, crimina enumerantem capitalia, non ponere ebrietatem abſolutè, ſed cum reſtrictione: *Ebrietas*, inquit,

inquit, *ſi aſſidua ſit &c.* Nam, vt rectè *D. Thomas cit. ar. 2.* illã addit reſtrictionẽ, vt indicet ſe loqui de ebrietate plenè volũtaria; qui enim raro inebriãtur non videntur id voluntariè, ſed præter mentẽ pati, nimirũ ex eo quod ignorent vim potus, vel debitam menſuram, aut non aduertant ebrietatis periculum. Tum ratione, quia magna malitia eſt, quòd quis tantùm ob voluptatem, aut ingluuiem, aduertenter ſe priuet vſu rationis, & quidem violenter, ac modo innaturali rationem perturbando, ſeque priuando proxima poteſtate vtendi ratione ad omnem ſubitam neceſſitatem. Et hoc vltimum notanter additur ad excludendum ſomnum; nam etiam dormiens priuatus exiſtit vſu rationis, ſed modo naturali ab Auctore naturæ inſtituto ad virium naturalium conſeruationem. Simulque dormiens non ſimpliciter exiſtit priuatus vſu rationis; quia excitatus à ſomno, quocumque tandem tempore, mox habet proximam poteſtatem vtendi ratione ad omnem neceſſitatem: hoc autem ſecus fit in plenè ac perfectè ebrio, vt patet. Hinc non eſt idem de ſuffitu tabaci: illo enim ſuffitu non tollitur poteſtas vtendi ratione extra ſomnum, ſicut per ebrietatem; ſed ſolum in ſomno (qui modus eſt naturalis) ſua facultate refrigerante, ſed conſtringente inducendo ſoporem; vnde etiam ſi ſuffitus ille hauriatur cauſa voluptatis, quam Indi dicuntur in illo ſapore percipere, non erit mortiferum, ſecundum ſententiam communiorem, licet *Lucenſis cit. c. 6. nu. 20.* putet mortale. Odor lupuli ſalictarij turbat quidem caput, non tamen puto plenè inebriare; ſi reuera inebriaret, ſicut ipſe potus, puto eodem modo vitandum.

8 Dixi, *ſi voluntaria ſit*; aliàs non eſt peccatum, ſaltem mortale. Eſt autem voluntaria, vel directè, quando quis ebrietatem intendit: vel indirectè, vt quando quidem expreſsè non cupit inebriari, ſed tantũ bibit quantũ poteſt, non curans, an ſequatur ebrietas, an non. Item quando aduertit ſe inebriandum, ſi perget potare, nihilominus non deſiſtat. *Leſſius ſupra dubit. 3. num. 15. Reiffenſtuel ſupra num. 49. Baſſæus num. 6.* idem dicens de eo, qui procurat alium inebriari. Quod ſi quis non præuiderit periculum ebrietatis (pro vt accidit in ebrietate Noe *Gen. 9.*) & ignorans fortitudinem potus, vino circumuentus fuit, nec hoc præuidit, culpa vacat. *Lucenſis num. 9. Reiffenſtuel;* & alij cum *D. Thoma*, ex *D. Auguſtino.*

9 Inſuper doctrina allata dumtaxat procedit, ſi ebrietas fiat cauſa voluptatis. Nam non eſſe peccatum inebriare ſe ex præſcripto medicorum, ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit, docent ex *Bannez, Valen. & Azorio Em. Sà V. Ebrietas, Sylu. Caiet. Nau. Toletus, & Laym.* quos relatos ſequitur *Reiffenſtuel ſupra num. 50. Sporer tom. 1. tr. 1. c. 7. ſect. 4. num. 69. Octauius Maria à S. Ioſeph inter. 996. Leſſius cit. dub. 4. num. 13.* exemplificans his verbis: *Vt ſi in ſubito peſtis terrore, alijs remedijs æquè commodis non ſuppetentibus, magnus hauſtus vini generoſi ſumatur: vel aduerſus venenum frigidum (vt opium, ſolanum, cicutam, hyoſcyamum) aut contra cantharides magna*

vini

vini copia bibenda, ex qua rationis vſus ſit impediendus, præſcribatur; non enim exceſſus reſpectu talis ſubiecti, & ad talem finem: neque cauſa delectationis guſtus, vel tactus palati, vel æſophagi ſumitur: vnde non repugnat temperantiæ, quæ circa tales delectationes verſatur. Eſt contra *Felicem à Panormo to.2.d.4.n.1106.Lucenſem n.16.* alioſque.

10 Nec eſt illicitum inebriare ſe, ſi quis cogatur bibere intento enſe, alioquin interficiendus, loquendo de ebrietate, vt ſolum dicit priuationem vſus rationis ex potu. Ita cum *Azorio, & Reginaldo, Reiffenſtuel ſupra, Leſſius l.c.dub.4.num.37.* atteſtans ita ſecum ſentire multos viros doctos in Vniuerſitate Louanienſi conſultos. Ratio eſt, quia ſi id licitum eſt cauſa medicinæ, ad pellendum, vel arcendum morbum; etiam erit licitum ad vitandam mortem ab alio intentatam: ad hanc enim euitandam multa licent, quæ per ſe ad hoc non ſunt ordinata, ſed ſolum ex malitia alterius. Sic docent ſatis probabiliter Doctores, licere ſibi amputare manum, vel digitum, iubente tyranno, ad mortem redimendam; & ob ſimilem cauſam poſſum ieiunare, pluſquam valetudo ferat, aut ratio virtutis abſtinentiæ extra illum caſum: poſſumque veſci fungis, aut aliis rebus noxiis, bibere copiam vini eliquati, etiam cum periculo febris: nec non hauriendo medicamentum valetudini noxium, & ſimilia: quæ tamen extra illam neceſſitatem nullo modo eſſent licita: ſicut enim licitum eſt lædere ſanitatem, & corporis integritatem ad vitandam mortem ex alterius malignitate impendentem, ita etiam licitum eſt lædere rationis vſum ad breue tempus, ob eandem cauſam: etſi enim quis dominium iſtorum non habeat, habet tamen cuſtodiam in ordine ad bonum totius, ac proinde poteſt de illis diſponere, prout neceſſarium eſt ad ſalutem totius. Eſt contra *Caiet. Sporer*, & alios afferentes teſtimonium *D.Auguſtini ſerm.232.* Verum S. Doctor eſt intelligendus, quando quis cogit bibere in contemptum virtutis, vt ſobrietatem, & modeſtiam ſugillet: non autem cum id ſolum facit, quod putet ſe contemni, aut ſibi fieri iniuriam, niſi tantumdem bibatur, quantum ipſe propinauit. Vtrumque etiam dictum eſt intelligendum, dummodò non timeatur aliquod damnum in ebrietate faciendum, ſcilicet quod tempore ebrietatis occidat, vulneret, &c. quia non ſunt facienda mala, vt eueniat bona. Ita cum *Toleto, Octauius Maria à S.Ioſeph ſupra.*

11 Præterea doctrina ſupra ſtabilita intelligitur de ebrietate plena, & perfecta. Nam ſi quis poſt potum adhuc diſcernere poſſit inter bonum, & malum, licet non nihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus, lingua titubet pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videtur, non dum eſt plena ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale, quamuis ex grauioribus, ſi deliberatè ſit commiſſum. Ita contra *Sylu. Angelum*, & alios, quos ſequitur *cit. à S.Ioſeph interrog.99?.* docent *Leſſius cit.c.3.dub.3.num.30. Bonac.d.vlt.in decal.q.1.pu.1.num.4. Reiffenſtuel*

num.

Digitized by Google

*num.*48. & alij: qui ſimul pro ſigno ebrietatis ponunt, ſi quis temulentus non aduertat quid agat; & bonum à malo non diſcernat: adeoque ſequenti die, non meminerit, quid pridie fecerit, aut qua ratione domum venerit: &c. cum aliàs ialium ritè meminiſſe ſoleat.

12 Notandum eſt vltimò: hanc propoſitionem quoad priorem partem continere pernicioſas, ac ſcandaloſas doctrinas, quæ etiam ſunt præcauendæ ratione damnationis: vt docent *Filgu ra, Lumbier, Cardenas, Corella, & Torrecilla*: quidquid dixerit *Hurtadus De la Fuente diſſert.6. c.1.num.5.* Doctrinæ autem iſtæ ſunt *comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini.* Vbi aduertendum, quod terminus ſatietas in hac Propoſitione non ſumitur, vt idem ſit, ac ſatisfacere fami; ſed pro comeſtione cibi immoderati, ita vt ſit comeſtio maioris quantitatis cibi, quam neceſſarium eſt ad vitæ ſuſtentationem. Secunda eſt: *Comedere, & bibere propter ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini.* His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum

13 DIco 1. Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, eſt peccatum; etiamſi non obſit valetudini, ita vt hoc genus ſatietatis, ſiue immoderati cibi manducatio (idem eſt de potu) ſit per ſe motiuum huius damnationis.

Probatur. Tum ex motiuo extrinſeco damnationis, nempè auctoritate Sanctorum Patrum, etenim *D. Auguſtinus tom.10.ſerm.41. de Sanctis*, inquit. *Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam neceſſe ſit, ad minuta peccata nouerit pertinere. D.Gregorius l.30. mor. c.17.* hæc verba habet: *Quinque modis nos gulæ vitium tentat; aliquando namque indigentiæ tempora præuenit: aliquando lautiores cibos quærit: aliquando quæ ſumenda ſunt, accuratius præparari appetit: aliquando in ipſa quantitate ſumendi menſuram refectionis: aliquando in ipſo æſtu immenſi deſiderij aliquis peccat.* Accedit *S.Thomas cit.q.148.ar.4.* cuius etiam eſt ſupra relatus verſus, *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudiosè.* Et *S.Iſidorus* relatus à *S.Thoma* affirmat peccare guloſum, dum excedit in cibo ſecundum quantum. Tum etiam ex motiuo intrinſeco damnationis. Principium autem intrinſecum, ſiue ratio formalis intrinſeca motiua huius damnationis eſt, quam inſinuat *S. Thomas loco cit.* nempè, Gulam eſſe inordinatam concupiſcentiam edendi, quam dicit haberi, dum nimis comeditur. Conſiſtit verò inordinatio in eo, quod cum alimentum inſtitutum ſit à natura ad conſeruandam vitam, id quod ſuperfluum eſt reſpectu conſeruationis vitæ, deuiat à recta

Digitized by Google

ratione, & ideo peccatum eſt, ſaltem veniale.

Dico ſecundo. Illicitum eſt comedere, & bibere propter ſolam voluptatem, etiam ſi non obſit valetudini: Et contraria Propoſitio ſubiecta manet damnationi.

15 Probatur primò. Sacræ Litteræ vbique damnant, & prohibent quidquid ex fine voluptatis ſenſibilis fit. *Numer.* enim 11. occiduntur Hebræi, qui petierunt, & comederunt carnes ex fine voluptatis gulæ. Apoſtolus item *Roman.* 8. inquit *Debitores ſumus non carnis, vt ſecundum carnem viuamus.* Viuere autem ſecundum carnem non eſt aliud, quàm viuere ſecundum appetitum carnis, illum ſequendo, vel excitando: hic verò appetitus non eſt, niſi ad ſuas delectationes.

16 Probatur ſecundò. Quia voluptas ſenſibilis eſt bonum ſenſus: honeſtum autem bonum rationis: homo autem debet viuere ſecundum rationem, quæ excellit in ipſo, non ſecundum ſenſum, qui inferior eſt: aliter deijcit ſe ipſum de ſublimitate ſuę conditionis, & viuit more brutorum, idemque eſſet bonum arietis, ac P. Scipionis Africani, vt dixit *Tullius* relatus ab *Auguſtino* 4. contra *Iulianum c.* 12. Ergo debet proſequi in omni opere ſuo bonum honeſtum, non ſenſibile: Ergo quęlibet actio ob finem voluptatis ſenſibilis mala eſt. Hinc Stoici ſolum honeſtum appellarunt bonum; & quamuis rationabilius Peripatetici, alijque Philoſophi etiam valetudinem, & diuitias appellarint bona, tamen non in ipſis, ſed in honeſtate finem collocandum docuerunt; omninò autem non locandum in voluptate carnis. *Ariſtoteles* quidem 7. *Ethic. c.* 10. *Qui proſequitur*, inquit, *voluptates propter ſe ipſas, & non propter aliud inde prouenient, intemperans eſt.* Et *Tullius* 1. *offic. Victus, cultuſque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem.* Igitur etiam à saniori Philoſophia Gentium aberrat Propoſitio, quæ licitam aſſerit comeſtionem, & potum ob ſolam delectationem: Epicuri enim, ſiue Ariſtippi doctrinam ab omni omnium Gentium, ac ſæculorum honeſtate damnatam in Chriſti Eccleſiam inducit. Proinde ab eius Auctoribus id poſtulari poteſt, quod à Iuliano, vt bonam laudante concupiſcentiam, poſtulat *Auguſtinus: Obſecro vos, non ſit honeſtior Philoſophia Gentium, quam noſtra Chriſtiana, quæ vna eſt vera Philoſophia,* 4. *contra Iulianum c.* 14.

17 Probatur tertiò. Naturæ rationali ſupra bruta vſque ad Angelicam naturam erectæ indignum eſt in operationibus ſuis non quærere alium finem, quam brutum; ac rationis ductu relicto, vel prætermiſſo euadere ſimilis iumentis inſipientibus: Talis autem euadit, operando ob ſolam voluptatem. Etenim ſolius bruti eſt, delectationem ſenſualem per ſe primò appetere. Vnde ait *Auguſtinus de pecc. origin. c.* 4. *Tantæ excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, vt vitium hominis, natura ſit pecoris.* Et ideo ſectæ Epicureorum obijcitur, quod ſint de grege porcorum. Horatius enim Poeta fatetur, ſe propter profeſſionem Epicureæ doctrinæ appellatum

latum Epicuri de grege porcum. Porrò, quod Propoſitio tunc tantum non iuſtificat à peccato comeſtionem ob ſolam voluptatem, cum obeſt valetudini, id etiam de Epicuri ſchola eſt. Ad eius enim dogmatis turpitudinem, omnia ad voluptatem referentis exprimendam, cæteri Philoſophi, vt refert *Auguſtinus 5. de Ciu. c. 2.* tabulam quamdam verbis depingebant, vbi Voluptas in ſella regali tamquam delicata Regina, virtutum, ceu famularum choro ſtipatam ſingulis præcipiens, quæ ad ipſam conferant, etiam Temperantiæ iubebat, vt ſenſum capiat alimentorum, & ſi quæ delectant, ne per immoderantiam noxiam aliquid valetudinem turbet, & voluptas grauiter offendatur.

18 Quod ſi dicatur, Epicureos ex fine voluptatis inhibuiſſe læſionem valetudinis, Propoſitionem autem, non eo fine, ſed quia contra ordinem rationis, ſeù debitum naturale eſt, lædere vitam, quam cuſtodire, & conſeruare debemus. Contra reponetur, quod etiam contra ordinem rationis eſt ponere finem in voluptate ſenſus, cum ratio, atque adeo eius bonum, quod eſt honeſtum, incomparabiliter excedat ſenſum, bonumque ſenſibile. Ergo non debebat cum Epicureis licita affirmari comeſtio ob finem voluptatis. Sanè *D. Thomas*, qui bene dignitatem humanæ naturæ præ brutis agnouit, *1. 2. qu. 4. ar. 2. ad 2.* hoc ſtatuit diſcrimen inter homines, & bruta dicẽs: *Apprehenſio ſenſitiua non attingit ad communem rationem boni, ſed ad aliquod bonum particulare, quod eſt delectabile; & ideò ſecundum appetitum ſenſitiuum, qui eſt in animalibus operationes quærantur propter delectationem; & inde eſt, quod Diuinus Intellectus, qui eſt inſtitutor naturæ, delectationes appoſuit propter operationes.* Si autem in delectatione ſemel ſtatuatur finis, ſequitur, quod etiam propter eam ſit cibus temperanter ſumendus: quare in hac re conſequenter diſcurrebant Epicurei, inconſequenter Auctores Propoſitionis. Perpendant ergo, quantum ſit contra inſtituta Auctoris Naturæ operationes ad delectationem ordinare, cum potius è conuerſo, propter operationes ab ipſo inſtitutæ ſint delectationes, vt ſcilicet facilius actiones honeſtæ, vel indiuidui, vel ſpeciei conſeruationi neceſſariæ, delectationibus affectæ, ab homine peragerentur.

19 Probatur 4. ratione *Doctoris Angelici 2. 2. qu. 4. art. 1. in corpore*. Quod contrariatur virtuti eſt peccatum; virtuti enim morali non opponitur, niſi vitium; ſed comedere, & bibere ob ſolam voluptatem opponitur virtuti morali Temperantiæ: Ergo eſt peccatum. Probatur minor ex eodem *S. Doctore qu. 14. art. 6. in corp.* Temperantia conſiſtit in hoc, quod ponat regulam delectationibus, & in ea imponenda vtatur menſura neceſſitatis, itaut tantum delectationibus vtatur, quantum neceſſitas huius vitæ requirit. Sed comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, non menſuratur à neceſſitate; ſed eſt contra regulas neceſſitatis, & non eſt medium ad neceſſitatem ducens, ſed vſurpatur tamquam finis: Ergo op-

Digitized by Google

ponitur virtuti morali Temperantiæ. Et hæc fuit communis doctrina etiam Ethnicorum. *Seneca* enim *epiſt.* 88. ſic inquit: *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit, alias diſpenſat, & adſanum modum redigit, nec vnquam ad illas propter illas venit*: tam egregiè Ethnicus eſt locutus, vt *S. Auguſtinus* hoc ipſum à ſcripturis, tàm veteris, quàm noui Teſtamenti doceri afferat: dicit enim *lib. de moribus Eccleſiæ c.* 21. *tom.* 1. *Habet vir temperatus in rebus huius vitæ regulam vtroque teſtamento firmatam, vt eorum nil diligat, nil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius, atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, vſurpet, vtentis modeſtia, non amantis affectu*. Et *S. Thomas cit. art.* 6. ſic concludit: *Temperantia accipit neceſſitatem huius vitæ ſicut regulam delectabilium, quibus vtitur, vt ſcilicet, tantum eis vtatur, quantum neceſſitas huius vitæ requirit*. Occinit quoddam memorabile dictum nobilis cuiuſdam Siculi, crapulonem ita exprobrantis: *Ego comedo, vt viuam; tu viuis, vt comedas*.

20 Hinc meritò *Filguera* hic facit reum huius Propoſitionis damnatæ *Matthæum Moya p.* 1. *ſelect. tr.* 6. *d.* 2. *qu.* 3. *n.* 5. vbi ſtatuit hanc concluſionem: *Licitum eſſe delectationem moderatam guſtus, ſicut & olfactus, & auditus directè intendere, & propter illam captandam comedere, & bibere, docent non pauci, nec infimæ notæ Doctores, quorum ſententia probabilis mihi eſt*: Ly enim *directè intendere*, nullo modo admitti poteſt: nec patitur excuſationem, quam affert *Ioan. de Cardenas hic diſſert.* 7. *c.* 1. *ar.* 2. *nu.* 6. Satis tamen probabiliter loquitur *Reiffenſtuel ſupra num.* 51. hiſce verbis: *Benè notandum eſt, ob ſolam voluptatem; nam ſi quidem ſentiatur voluptas, verumtamen ob hanc ſolam quis non comedat, vel bibat, ſed ad conſeruandam valetudinem, aut reſtaurandas vires, peccatum nullum committitur; cum hic ſit finis à natura intentus moderatæ comeſtionis*. Et ſimiliter *Felix à Panormo tom.* 2. *d.* 4. *num.* 1105. iis verbis: *Non peccat autem, qui moderatè comedit ob voluptatem, eam ſaltem virtualiter ordinando ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem; quia tunc non habet voluptatem pro fine principali, & vnico, ſed pro fine ſubordinato, vel pro medio ad finem principalem ſuſtentationis conſequendum, iuxta illud, quod ſapit, nutrit; & ſic non peruertit naturæ ordinem*.

21 Et idem dicendum eſt de eo, qui ob ſolam delectationem res pulchras inſpicit, aromata odoratur, conceptus muſicos audit; nam iuxta *S. Thomam*: *Omnia delectabilia habent neceſſitatem congruentiæ*: quare omnia debent aſſumi ſecundum finem ſuum, ad quem ſunt ordinata, nempè ad eam neceſſitatem ſubleuandam. Audiuntur conceptus muſici ad triſtitiam ſubleuandam, quæ in humana conuerſatione raro deficit totaliter: olfiunt aromata, quia vtilia ad capitis confortationem. Inſpiciuntur res pulchræ, quia vtile eſt habere ſcientiam experimentalem rerum omnium, ad rectè gubernandam vitam, dum talis ſcientia nihil affert nocumenti. Aſſumuntur etiam hæc tria delectabilia pro honeſta recreatione, & leuamine naturæ, ab iis, qui labori incumbunt. Qui autem illa
dele-

Digitized by Google

delectabilia aſſumunt propter ſolam delectationem, deficiunt à ſupradicta regula rationis, & peccant contra præſcriptum temperantiæ. Et licet hæc Propoſitio : *Nullum eſt peccatum audire muſicam, propter ſolam delectationem*, non maneat damnata formaliter; cum non expreſſis terminis condemnetur, nec contineatur formaliter in propoſitione damnata, tanquam particularis, vel ſingularis in vniuerſali: damnatur tamen virtualiter, cum ex damnatione illius: *Licitum eſt comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, ſi non obſit valetudini*, inferatur euidenter improbatio iſtius: quo pacto propoſitio dicitur antiquata. Imò ſi attendatur ſecunda pars Propoſitionis proſcriptæ: *Licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*, poteſt ſatis probabiliter dici, quod hæc Propoſitio: *Nullum eſt peccatum audire muſicam propter ſolam delectationem*, maneat formaliter damnata tanquam particularis ſub vniuerſali.

22 Non tamen in omnibus his caſibus quis committit peccatum mortale, ſed ſolum veniale, niſi quis ponat vltimum finem in cibo, potu, odoratu aromatum, viſione rei pulchræ, &c. hoc eſt, paratus ſit, præceptum diuinum, aut humanum tranſgredi ad fruendum delectatione cibi, &c. Ita *Torrecilla, Corella, Cardenas*, & alii communiter hic. Quia vitium gulæ ex genere ſuo non eſt graue. Dum verò obeſt valetudini, committitur peccatum veniale, aut mortale, quod non eſt Gulæ, ſed reducitur ad homicidium. Qui verò ad praxim deduceret iſtam propoſitionem; credendo, quod adhuc eſt probabile, comedere, & bibere, &c. ob ſolam delectationem, committeret peccatum mortale, & actum proximum hæreſi; quia eſſet credere, quod Pontifex non benè egiſſet in condemnatione huius Propoſitionis. Si verò practicatur, credendo, quod eſt peccatum veniale comedere, & bibere, &c. & quod opinio contraria iam eſt improbabilis: & hoc non obſtante allectus à paſſione, comedit ob delectationem, vel ad ſatietatem, ſolum committit peccatum veniale. Ita *Lumbier, Torrecilla, Corella*, & alii.

23 Itaque non licet ſumere ſine peccato veniali ſalſiuſcula, aut alia ſapida, ad excitandum appetitum gulæ, vt delectetur in comeſtione, nec ex facto plurium, ſeù plurimorum poteſt inferri opus licere; nam pauciſſimorum eſt, & maxime perfectorum vitare veniale in hac materia, vt poſt *D. Auguſtinum l.10.Confeſſ.c.31.* notant *Philippus à SS. Trinitate*, & alii, quibus præiuit *Socrates*, qui, vt narrat *Plutarchus in Apotht.* peccatum putabat ſumere cibos, quibus non depelleretur fames, ſed accerſeretur. Non inficior tamen, hoc ipſum poſſe fieri abſque peccato, quando ex deiectione ſtomachi propter ęgritudinē, ſiue debilitatem, non appetitur cibus ſuſtentādæ vitæ neceſſarius; tunc enim ſumendo cibos ſapidos, & excitantes appetitum, appetitū inquam, non libidinem, non ponitur finis in delectatione, ſed in ſalute, ad quam neceſſaria eſt illa delectatio; proinde tunc non irritatur libido, ſed excitatur ſenſus. Vt enim ait

Au-

Digitized by Google

Auguſtinus 4. contra Iulianum c. 14. Alimentorum ſuſtentaculis indigemus; ſi ſuauia non ſunt, quæ ſumuntur, nec ſumi poſſunt, & nauſeando ſæpè expelluntur, & perniciosa ſunt cauenda faſtidia. Non ſolum ergo cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri, non propter exaturandam libidinem, ſed propter tuendam ſalutem. Hinc *ſer. 5. de verb. Dom. ſecundum Matthæum* indulget diuitibus, vt pretioſis vtantur cibis, ne mutata conſuetudine ægrotent.

24 *Filguera hic § Secundum verò*, reprobare videtur opinionem dicentem, eſſe aliquos actus indifferentes in indiuiduo; quaſi ſit antecedens, vnde inferatur propoſitio damnata. Sed melius *Lumbier*, *Cardenas*, *Hurtadus De la Fuente*, & alij defendunt, opinionem oppoſitam *D. Bonauenturæ*, & *Scoti*, docentem dari actus indifferentes in indiuiduo, non pati præiudicium ex damnatione huius Propoſitionis. Ego quidem probabiliorem exiſtimo opinionem Salmanticenſium, & aliorum docentem, per ſe loquendo, hominem teneri ad eliciendos omnes actus ſuos propter finem honeſtum, ita vt non eliciat actus indifferentes in indiuiduo: per accidens tamen ratione ignorantiæ, aut inaduertentiæ inuincibilis re ipſa dari multos actus indifferentes in indiuiduo. Imo maior pars hominum ità operatur per huiuſmodi actus; quia maior pars hominum ignorat inuincibiliter eam obligationem apponendi omnibus ſuis actibus finem honeſtum. Et hanc exiſtimo eſſe mentem *S. Thomæ*. Sed opinionem quæ affirmat, per ſe licitum eſſe elicere actus indifferentes in indiuiduo, non manere reprobatam ex damnatione huius octauæ Propoſitionis, mihi exploratum eſt; quia hæc opinio non eſt antecedens, vnde inferatur propoſitio damnata: Non enim valet hæc conſequentia: Aliqui actus ſunt indifferentes in indiuiduo, quos licitum eſt elicere: Ergo licitum eſt comedere ob ſolam voluptatem; nam à particulari ad ſingularem eſt peſſima conſequentia. Stat enim optimè, quod poſſint licitè fieri actus indifferentes in indiuiduo: & quod comedere propter ſolam voluptatem non ſit indifferens, ſed illicitum, quia peruertitur finis à natura intentus.

PROPOSITIO IX.

Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

1 HAnc docuere *Maior in 4. d. 31. qu. vn. concl 7. Almaynus in 4. d. 26. qu. 1. in fin. Albertus Marcus in 4. d. 31. Ekius hom. 70. de Sacram. Martinus de Magiſtris in 4. d. 26. Veracrux 3. p. Speculi ar. 2. concluſ. 2. in fin. Celaya in 4. d. 31. in fine, Pontius de Matr. l. 1. c. 21. num. 6. & 7. & l. 10. c. 8. nu. 8.*

num.8. *Gaſp.Hurtadus de Matr.d.10.diff.2.num.7. Averſa*, & alii cum *Sancio in ſelectis d.23.num 25.* qui *d.6. num.4.* addit eſſe actum virtutis, qui *cit.num.25.verſ.Non vrget.* diſſentit à *Pontio cit.l.10. c.8. num.8.* & *Hurtado* vbi ſupra dicentibus, peccatum veniale fore, coniugem vti cibis calidis, aut oleis, aut muſco ad excitandam nimis libidinem voluptatis cauſa; ſed ipſe vult, nullum eſſe peccatum, nec id eſſe intemperantiam, niſi ex frequentia nocumentum ſaluti interueniat.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Licet actus coniugalis ſit bonus debitis circumſtantijs, ac conditionibus vallatus; tamen ſi hæ deſi..t, & ſic finis non ſit bonus, eſt peccaminoſus, iuxta qualitatem finis, & eiuſdem ſpeciei cum ipſo. Tenetur tamen quis reddere debitum petenti ex prauo fine.*

3 *Finis bonus eſt bonum prolis, & Fidei. Non niſi ex communi conſenſu poſſunt coniuges abſtinere à copula, ne proles multiplicetur, quam decenter alendo non ſunt.*

4 *Quomodo actus coniugalis debet referri ad bonum prolis?*

5 *Non peccant venialiter coniuges, qui non coeuntes propter delectationem, ſed prolis gratia, acceptant delectationem illius actus comitem.*

§. II.

Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum non eſt expers venialis culpæ; & contrarium vt minimum, tanquam ſcandaloſum hoc decreto expellitur.

7 *Oſtenditur ex Sacra Scriptura.*

8 *Et inſuper ex SS. Patribus.*

9 *Hæc Propoſitio, vt iacet, vtpotè breue præcedentis compendium, eadem damnatione premi debuit.*

10 *Probatur etiam ex euidenti diſſonantia rationi.*

11 *Actus coniugalis ob ſolam libidinem ſatiandam exercitus, non eſt culpa mortalis. Et oſtenditur.*

12 *Aliud eſt ſi voluptas limites matrimonij excedat.*

13 *Reddere debitum petenti ex libidine, ſeù propter ſolam voluptatem, non eſſe peccatum, traditur ex ratione diſpari.*

14 *Debitum petere ad vitandum in altero coniuge incontinentiæ periculum eſſe licitum demonſtratur.*

15 *An liceat ſimiliter coniugi debitum petere eo fine, vt vitet in ſe ipſo incontinentiæ periculum?*

16 *An expers ſit culpæ coniugalis actus gratia tuendæ, aut reſtaurandæ ſalutis corporis?*

17 *Quid ſi habeatur copula propter ſignificationem expreſſiorem Chriſti cum Eccleſia aut propter commodum temporale?*

§. PRI-

Digitized by Google

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Quod licet actus coniugalis ſit ex genere ſuo bonus, imò meritorius in gratia exercitus, debitiſque circumſtantiis veſtitus, quæ circumſtantiæ, ſeu conditiones his verſibus indicantur.

Sit modus, & finis, ſine damno, ſolue cohere.
Sit locus, & Tempus, Tactus, ne ſpernito Votum.

Tamen vna ex his deficiente redditur illicitus: quas conditiones in *comment. ad 2. librum inſtit. canonic.* plenè examino: hic ſolum recenſeo, quomodo ex parte finis vitiatur actus coniugalis. Et quidem petens ex prauo fine peccatum committit, ſecundum malitiam finis, à quo mouetur. Vnde iuxta qualitatem ipſius finis mortalis, aut venialis, erit mortale, aut veniale peccatum, & eiuſdem ſpeciei mortalis cum ipſo fine, iuxta communem regulam, qua humani actus ſumunt moralitatem ex fine. Alter verò tenetur debitũ reddere petenti ex prauo fine; quia talis finis malus ſolũ vitiat actum ex parte petentis, non verò ex parte reddentis, qui non concurrit ad eum, vt eſt per malum finem vitiatus; ſed vt eſt actus bonus, & honeſtus. Ita *Sanchez, Caſpenſis, Pontius, Briſacenſis*, & alij. Ex regula tamen correctionis fraternæ debet illum admonere, vt intentionem mutet, & dirigat in rectum, & conuenientem finem. *Aduerſa de matr. q. 21. ſect. 4. §. Sextò, Sporer.* & alij.

3 Notandum eſt 2. duplicem finem apud omnes reddere actum coniugalem bonum, nempe bonum prolis, & fidei. Vnde licitus eſt actus, dum exercetur gratia prolis habendæ, aut ſeruandæ fidei alteri coniugi reddendo ei debitum. Ita tamquam certiſſimum ſtatuitur à Magiſtro *ſent. in 4. d. 31. & D. Thoma* ibi *q. 2. ar. 2. & in c. 7. epiſt. ad Corinth.* Et conſtat de bono prolis, quia cum Deus ad multiplicationem generis humani matrimonium inſtituerit, illo vtens ad hunc finem peccare nequit, aliàs Deus aliquid illicitum inſtituiſſet. De bono etiam fidei conſtat; quia tenentur coniuges ex iuſtitia ad debitum ſibi mutuò reddendum. Qui ergo, vt huic ſatisfaciat obligationi ad coniugem accedit, tantum abeſt, vt peccet, vt potius opus virtutis, & obligatorium faciat. Et licèt poſſint cõiuges cõmuni conſenſu a copula abſtinere, ne prolem multiplicent, quam alendo non ſunt; tamen deficiente hoc pacto, etiã ſi coniuges plures habent filios, quãuis ceſſet periculum incontinentiæ, ſi coniux petat debitum, alter non poteſt negare ex eo quod ad filios decenter alendos non habeant poſſibilitatem, nec ſperent. Ita contra *Sanchez l. 9. d. 25. nu. 3. Andream à Matre Dei, Ma-*

ſtrium

Digitized by Google

ſtrium, *Leandrum à Sacram.* & alios docent probabilius *Texeda to.2.l.4. tr.1.controu.12.num.129. Baſſæus V.debitum coniugale 1.num.7. Cotonius l.5. controu.2.c.1.num.13. Lucenſis c.7.nu.19. Briſacenſis num. 188. Gobat.caſu.16. num.24. Sporer*, & alij, quia proles eſt finis per ſe copulæ: Ergo eſſe non poteſt ratio excuſans à debito illius: qui enim matrimonium contrahit debet contrahere propter prolem: Niſi tamen per nouæ prolis generationem in extremam penuriam redigendi eſſent, quod inter Chriſtianos rarò eueniet, vt cum *Laymano* notant *Briſacenſis*, *Sporer*, & alij.

4 Notandum eſt 3. ex *D.Thom. i d.d 31.q.2.ar.2. ad 1.* minimè ſufficere, vt actus coniugalis culpæ venialis immunis ſit ex parte finis, ipſum referre ad bonum prolis, in prole ſiſtendo, ſed proles intendi debet ad cultum Dei amplificandum, Deumque glorificandum: vt non ſiſtatur in creatura, ſed in bono Sacramenti. Addit tamen S. Doctor, ſufficere, quod proles habitu referatur in Deum: quod optime explicuit *Sylu. V. debitum q.12. ver 2.* vbi dicens, vt actus coniugalis meritorius ſit, referendam eſſe prolem ad Dei obſequium, ſubdit, id eſſe verum, licèt de obſequio diuino nihil cogitetur; ſed ſolum de ſucceſſore; quia ex quo coniux eſt in gratia, nec alium finem intendit, virtute refert in Deum: ſequuntur *Barboſa in can. quidqu d, num.1.31.q.2. Card. Brancatus de matrim.d. 39.ar.3.num.48. Sanchez*, quem relatum ſequitur *Cardenas diſſert.7.c.2.ar. 1.n.45. Baſſæu, V.debitum coniugale.2.n.3. Leander à Sacram. to.2.tr.9 d.25. q.11.* Imò coniux vtens matrimonio, nec expreſsè intendens, nec excludens prolem, ſed illius immemor, intendenſque ſolùm copulari coniugi, tanquã coniugi, minimè peccat; quia licèt non intendat prolem formaliter, at virtute intendit: cum actus ille ſuapte natura, ad prolis generationem tendat, nec ex operantis intentione ad alium finem referatur. Sic *Palacios in 4.diſt.31.diſp.2. Barb.l.c.num.2. Megala V. coitus num.4. Card. Brancatus l.c.* alijque. Docet etiam *Piſanus hîc num.3.* non ſequi ex dictis, vſum coniugij cum grauida, vel decrepita ſemper eſſe peccatum veniale; quia abſolutè non eſt impoſſibile ſuperfætari, nec decrepitam concipere, licet ſit rarum. Vnde etiam in his caſibus poſſunt habere coniuges intentionem procreandi prolem; per accidens etiam eſt, quod non ſequatur. Præpoſitus in *Rubr. de Sponſalibus num.12.* ad finem, docet, eſſe crimen mortale in actu coniugali expreſſa intentione excludere finem prolis, V. g quando coniuges in vſu ipſo prolem minimè concipi optant. *Pontius* verò *l.10. de matr. cap.8.num.3. Auerſa cit.q.21.ſect.4.§. Quinto notari ſolet. Tambur.l.c. in Decal.c.3.§.5.num.7. Renzi to.1.l.2.tr.6.c.2. qu.6. Dicaſtillus d. 9.dub.2.num.13. Anton à Sp.San.c.9.nu.599. Card. Brancat.nu.39 Cotonius n. 28. Megala ſupra, & Leander à Sacram.l.c q.12.* putant, quod ſi coniuges in exercenda copula non apponant impedimentum conceptioni prolis, nullatenus peccant, ſi habeant aliquem bonum finem; vt ſi ob paupertatem non poſſent prolem iuxta ſtatum alere, vel quia timent de morte vxoris

Digitized by Google

in partu: &c. At culpæ venialis reos eos facit *Sanchez l.9.d.8. num.10.* & benè; quia iam deficeret rectus finis habendi copulam: non tamen eſt mortale, vt in contractu; quia Sacrilegium eſt grauis iniuriæ Sacramentis illatæ expreſſè excludere finem, ob quem inſtituta ſunt. *Petrus de Ledeſma de matr. qu.48. ar.2. in fine.*

5 Notandum eſt 4. non peccare venialiter coniuges, qui non coeuntes propter delectationem, ſed prolis gratia acceptant delectationem illi actui annexam. *Scotus in 4.d.32. Sotus in 4.d.31. qu.vn.ar.3. concl.2. Anton. à Sp. San. ſupra, Andreas à Matre Dei, de matr.c.15. pu.5. nu.37. Megala ſupra,* & alij communiter, contra *Altiſiodorenſem l.4 ſum.tr.9.q.2.* & alios, teſte *S. Bonau. in 4 d.31. ar.4. q.3.* qui dicit eorum ſententiam probabilem. Patet tum auctoritate *D. Auguſtini l.4. contra Iulianum c.14. & l.5.c.9.* tum etiam, quia voluptas, vt finis prohibetur ex dicendis, non verò quæ interuenit, & acceptatur, vt applicatio voluntatis ad actum, & vſum moderatum matrimonii, non vt finis, ſed vt medium. Nec eſt ſimile de eo, qui concionatur recto fine, & tamen peccat, ſi admittat gloriam vanam inde conſurgentem. Nam vanagloria in ſe eſt mala, & ideo omninò reſpuenda: delectatio verò non eſt in ſe mala; imò natura ipſa ſagaciter adiunxit illi actui propter bonum prolis, vt eius generationi auidius homines vacarent, ſicque ſpecies conſeruaretur, ſicut in ciborum vſu delectationem poſuit, ad indiuidui conſeruationem. Et ſic procedit illud Ariſtotelis axioma: *Talis eſt delectatio, quale eſt opus, de quo eſt.* His prænotatis ſit,

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta decretum, & quædam difficultates reſoluuntur.

6 DIco 1. Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum, non caret culpa, ac defectu veniali: & contraria opinio, vt minimum tanquam ſcandaloſa hoc decreto abigitur; quam falſam, & bonis moribus aduerſam prius vocauerat *Gonetus de actibus hum. d.5. ar.vn. nu.30.*

7 Probatur 1 ex Sacra Scriptura. Apoſtolus enim *1. Theſſal.4.* ſic loquitur: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum: Hæc eſt enim voluntas Dei Sanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Quæ verba ita explicari poſſunt cum *S. Auguſtino l.1. de præcept. & concup. c.8. & l.4. contra Iulianum c.10. & l.5.c.9.* vt nomine vaſis intelligatur vxor, quæ ex præcepto Domini poſſidenda ſit in *Sanctificatione*, propter Sacramentum

tum

tum Eccleſiæ conferens gratiam ex opere operato ; *& in honore*, nominis paterni, & materni, quod inde comparatur: quem honorem *Auguſtinus 6. confeſſ. c. 12.* appellat decus coniugale in officio matrimonij regendi, & ſuſcipiendorum liberorum; *non* autem *in paſſione deſiderij*, ideſt, in affectu libidinoſo: *Auguſtinus* enim explicat ly *in paſſione deſiderij*, *victi libidine*, & *Theophilactus* ly *deſiderij* legit *concupiſcentiæ*, nec aliud intelligi poteſt. Opus autem coniugij exercitum ob ſolam voluptatem, eſt opus libidinis, quæ fertur in voluptatem propter ipſam; quare falſo vocatur opus coniugij: nec habet Sanctificationem, & honorem: Ergo illud teſte Apoſtolo, eſt prohibitum à Domino, & adeò malum, vt dicatur pertinere ad gentes ignorantes Deum. Si autem nomine vaſis intelligatur proprium corpus cum *Chryſoſtom. Anſelmo, Ambroſio, Theodoreto, Theophilacto, Cornelio à Lapide, Lyrano*, & aliis communius, quia ſcilicet in ipſum, tanquam in vas infunditur anima, (vnde & *Auguſtinus* dicit, animam, dum infunditur, maculari in corpore, tamquam in vaſe vitiato) adhuc ſequitur noſtrum propoſitum; quia copula etiam inter coniuges facta ob ſolum finem voluptatis, eſt ex paſſione deſiderii, ideſt libidine, non in ſanctificatione, & honore. Hinc Tobias filius, antequam copularetur, dixit Saræ coniugi ſuæ, *Tobiæ 8. Exurge, deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras; filij quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum*, ideſt ex feruore libidinis. Ad quem locum fortè reſpexit Apoſtolus, & ſubdit: *Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione.* Sed copula exercita ob ſolam voluptatem eſt luxuriæ cauſa, non dilectione poſteritatis: Ergo mala reputatur à Tobia. Confirmatur; quia præfata Sara, cum ſibi imputaretur ad culpam immatura mors ſeptem virorum, quibus fuerat ſucceſſiuè deſponſata, vt ab eo improperio ſe excuſaret, ita Deum eſt alloquuta, *Tobiæ 3. v. 18. Virum cum timore ſuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.*

8 Probatur ſecundò. Quia in doctrina morum, doctrina Sanctorum Patrum, qui præcipuè in ea illuminati ſunt, pro certa regula tenenda eſt; niſi fortè quando inter ipſos Patres eſt controuerſia. Atqui hæc propoſitio aduerſatur Sanctis Patribus, nec inter illos eſt controuerſia: Ergo meritò damnata eſt: Conſequentia ſequitur: quia eſt ſufficiens motiuum ad damnationem propoſitionis, quod ſit contraria SS. Patribus. Minor patet. Etenim *S. Auguſtinus l. 4. contra Iulian c. 14.* inquit: *Hoc modo* (libidinis) *benè vtuntur nuptiæ, cum coniuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam: & l. 5. c. 9.* initio hæc verba habet: *Egimus ex Apoſtol. teſtimonio, vt ſciat vnuſquiſque ſuum, vas ideſt ſuum coniugem, poſſidere, non in morbo deſiderij, ſicut gentes, quæ ignorant Deum: quod exponens dixi, non coniugalem, hoc eſt licitum, honeſtumque concubitum fuiſſe prohibitum, ſed vt operis eius cauſa ſit voluntas propaginis, non carnis voluptas:*

& quod ſine libidine fieri non poteſt, ſic tamen fiat, vt non propter libidinem fiat: Quo poſtea refert ſubtiliter illud *Lucani l.4. Pharſaliæ*.

Nulloſque Catonis in actus
Surrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.

Quæ verba ita commentatur. *Qualis vir Cato fuerit, & vtrum in eo vera virtus, honeſtaſque laudata ſit, alia quæſtio eſt. Ad quemlibet tamen finem ſua referret officia, non vtique ſine volupate filios procreauit, & tamen nullos Catonis in actus ſurrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas. Quoniam, quod non faciebat ſine voluptate, non faciebat propter voluptatem: nec in morbo huius deſiderij ſuum vas poſſidebat. S.Gregorius relatus in can. vir cum propria* 33.q.4.cum agens de copula coniugali dixiſſet: *Voluptas ipſa nullatenus ſine culpa eſſe poteſt*. Poſtea id explicans ait: *Cum enim non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de commixtione ſua, quod defleant. D.Anſelmus in c.7.epiſt.1.ad Corinth.*ad ea verba. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*, inquit: *Tunc enim ſolum coniuges ſine culpa ſunt in admixtione, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſpicienda prole miſcentur. S.Chryſoſt. to.5.lib. de Virginitate c.34.S.Fulgentius epiſt.1.c.3.Clemens Alex. l.2. ſtromatum*, & nullo repugnante alij communiter apud *Raynaudum in Heteroclit. ternar.ſect.1.à nu.40.tom.16.*Quibus ſi addas *Mag.ſent.D.Thomam D.Bonau. B.Albertum, D.Antoninum, Durandum*, & alios Theologos, & Canoniſtas, temeritate non carere eam propoſitionem facile concipies.

9 Probatur 3.Quia hæc propoſitio, vt iacet, nihil eſt aliud, quam breue præcedentis compendium, idem exprimens ſtrictiori ſtylo. Et non ſolum in cibo, & potu, ſed etiam & fortius in Venere menſura Temperantiæ non eſt incolumitas, aut nocumentum ſalutis, ſed neceſſitas commenſurata fini eiuſdem matrimonij, vt declarat *S. Auguſtinus l.5.*contra *Iulianum c.9.*ante finem, ſic ipſum alloquens. *Tãtummodo exceſſum libidinis culpas, ipſam laudare non ceſſas. Nec attendis, ſentis, intelligis malam eſſe, cui, ne limites neceſſitatis excedat, cogitur temperantia repugnare. & c.2.ſic ſcribit: Dico bonum eſſe coniugium, vbi proles, niſi per concubitum non poteſt procreari: Si enim aliter poſſent; & tamen concumberent coniuges, apertiſſimè libidini cederent, & illo malo vterentur male*. Scilicet, quia tunc deeſſet neceſſitas, quæ illius actionis, vt liceat, debet comes eſſe inſeparabilis. Pergit vlterius. *Cum vero propter quod ſexus ambo ſunt inſtituti, niſi eorum commixtione non naſcitur homo, propter hoc mixti coniuges illo malo vtuntur bene*. Quid clarius poterit dici? *Qui etiam de bono coniugij c.6.* inquit: *Coniugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam: concupiſcentiæ verò ſatiandæ; tamen cum vxore venialem.*

10 Probatur 4.Quia qui vtitur copula coniugali propter ſolam voluptatem inuertit ordinem intrinſecum à natura inſtitutum pro conſeruatione ſpeciei humanæ: Ergo cum agat diſſonè rationi, peccat. Probatur

ante.

antecedens; nam voluptas conſtituta eſt à natura in ordine ad copulam coniugalem, & procreationem prolis, pro conſeruatione, ſpeciei: Ergo inuertit ordinem naturæ, qui non ordinat voluptatem ad copulam coniugalem ad voluptatem capiendam. Confirmatur nam omnia delectabilia, quæ in vſum hominis veniunt, ordinantur in aliquam huius vitæ neceſſitatem ſubleuandam, tanquam ad finem, vt loquitur *D. Thomas 2.2.q.141. ar.6.* Ergo voluptas, quæ interuenit in copula, ordinatur ad neceſſitatem conſecutionis ſpeciei tanquam ad finem: Ergo peruertit hunc ordinem qui ordinat copulam ad voluptatem.

11 Dico 2. Actus coniugalis ob ſolam libidinem ſatiandam exercitus, nō eſt culpa mortalis, ſed venialis ſi limites matrimonij nō tranſgreditur. Ita *Mag.ſent.in 4.d.31.vbi D. Thomas q.2.ar.3.in corp. & in c.7. epiſt.1.ad Corinth. D. Bonau.eadem d.31.ar.2.qu.3. Durandus idem q.4.nu.5. B. Albertus Magnus ar.21.q.4. D. Anton.3.p.tit.1.q.20.§.11. Scotus in 4.d.32.qu.vn. Abulenſis, Turrecr. Sotus, Megala, Cotonius,* & alij communiter. Contra *Maytonem, Oſtienſem*, & quoſdam alios.

Patet. Tum ex teſtimonijs *D. Auguſtini* ſupra relatis, cui adde *S. Anſelmum ſupra*. Tum ratione; quia ſicut bonum fidei, & prolis ſufficit ad excuſandum à veniali: ita ſolum bonum Sacramenti ſufficiens eſt ad excuſandum à lethali. Vnde *Mag. ſent.l.c.* ait: *Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam.* Hinc vbi vir calidis vtens ſe prouocaret, ſentiunt nec eſſe mortale *Paludan. in 4. d. 31.ar.3.num.13. Abulenſis in c.5. Matthæi qu.535. Leander à Sacram.to.2.tr. 9.d.25.qu.18. Megala V. Coitus num.8.* & alij communiter. Contra *Monaldum, & Nider*: cum libidò illa matrimonij limites non egrediatur, nec media aliàs ſint illicita, non eſt vndè culpa mortalis incurratur, ſed ſola venialis. Nullum verò eſt peccatum prædictis vti in caſu, quo quis illis indigeret, vt commodiùs ſatisfacere valeat debito coniugali. *Megala* vbi ſupra.

12 Quando verò voluptas limites matrimonij excedit; quia ſcilicet coniux ita voluptate captus ad ſuam accedit, vt paratus ſit ad accedendum quamuis ſuus non eſſet, eſt culpa mortalis. Ita *D. Thomas in 4.d.31.q.2.ar. 3. Scotus ſupra, Andreas à Matr. Dei l.c.num.57.* Et alij communiter. Et conſtat, quia coniux ità accedens, animum habet fornicandi, quamuis conditionalem. Hinc rectè *D. Hieronymus in c.5.ad Eph.* relatus *in can.liberorum 32.qu.4.* inquit: *Liberorum in matrimonio opera conceſſa ſunt: voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnatæ ſunt. Et lib.1.* contra *Iouinianum* relatus *in c.origo, eadem cauſa, & quæſt.*ibi: *Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior.* Eſt tamen ſanè hoc intelligendum, quando in eo acceſſu adeſt actualis illa praua voluntas. Secus ſi coniux nihil de hac cogitaret, quamuis in ea eſſet diſpoſitione habituali, vt accederet, licet alter coniux ſuus non eſſet; quia nullus habitibus, ſed acti-

bus

Digitized by Google

bus meretur, aut demeretur. Ita aduertunt *D. Antoninus cit. c. 20. §. 1. Palud. in 4. d. 31. qu. 3. ar. 2. num. 10. Sotus in 4. d. 31. qu. vn. art. 3. verſ. Nihilominus aduerſus, Turrecremata in can. Quid quid num. 3. verſ. 3. 32. qu. 2.* Limites matrimonij etiam excedit, ſi congrediens cum ſua vxore, aliam ſibi repręſentaret. *S. Thomas in cap. 7. epiſt. 1. ad Corinth. Andreas à matre Dei nu. 57. Megala v. coitus num.* 8. Si verò in ipſa repręſentatione delectatio non eſſet in obiecto carnaliter dilecto, ſed in ſola pulchritudine fœminæ, ac ſi eſſet in cogitatione alicuius pulcherrimæ picturæ, & de illa delectaretur, vt ad actum coniugalem magis excitetur, hanc non eſſe mortalem culpam, putarunt *Sanchez, Candidus, Diana*, & alij. Ego tamen cum *Renzi to. 1. l. 2. tr. 6. c. 2. quæſt. 5. in fine*, & alijs non excuſo à mortali, ſaltem propter periculum deſiderij efficacis alienæ mulieris: propter quod etiam *Ioan. Præpoſ. in 3 p. q. 6. dub. 23. num.* 173. ait, raro abeſſe mortalem culpam. Et ipſomet *Diana p. 11. tr. 8. reſ. 35. in fine, & Coton. ſupra c. 1. num.* 42. dicunt, hoc eſſe ſatis periculoſum; & in praxi fugiendum.

13 Dico 3. Reddere debitum petenti ex libidine, ſeù propter ſolam voluptatem, non eſt peccatum. Ita Theologi communiter, etiam poſt decretum ſcribentes.

Probatur, & ſimul traditur diſcrimen à petente. Quia quando turpitudo, & defectus non ſe tenet ex parte ipſius actus, ſed in intentione petentis, poteſt coniux ex iuſtà cauſa, velle actum, quamuis ſciat alium ad illum concurrere, ſeù illum velle ex graui fine: nam hoc eſt amplius quam permittere peccatum, quod non tantum non repugnat virtuti, ſed poteſt oriri ex ea. Sic ſi non poſſit quis ſuccurrere graui neceſſitati ſui, vel familiæ, niſi mutuando ab vſurario, tenetur id facere ex charitate erga ſe ipſum, & ex debito iuſtitiæ erga familiam, & tamen vſurarius peccat. Milites in bello ex iuſtitia propter ſtipendia, quæ accipiunt, tenentur fortiter ſternere hoſtes, etiam infideles, quamuis iſti poſt mortem cadent in gehennam. Si à debitore exigatur pecunia debita, tenetur hic reddere ex iuſtitia, etiam ſi noſcat, creditorem ex prauo affectu ad finem prauũ illam exigere. Ita coniux ex iuſtitia propter fœdus nuptiale, & ex charitate ad auertendum coniugem à grauiori culpa mæchiæ tenetur & vtique abſque peccato (nam ad peccatum nullus teneri poteſt, immò quilibet tenetur euitare peccatum) reddere debitum alteri coniugi, etiam petenti ex libidine. Hæc eſt doctrina *D. Auguſtini de Bono coniugali c. 10.* dicentis: *Debitum non exigere, ſed reddere coniugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet coniugalem, & c. 6. Debent ſibi coniuges non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſa; verum etiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodo ſeruitutem vt & quod non filiorum procreandorum cauſa, ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſa expetit, non ſibi alterutrum negent. & c. 7. Reddere debitum coniugale nullius eſt criminis: exigere autem vltra generandi neceſſita-*

tem

Digitized by Google

tem culpa venialis , cauere autem debet charitas coniugalis , ne dum ſibi quærit , vnde amplius honoretur (nimirum ex continentia) *coniugi faciat , vnde damnetur* , (ex mæchia) Item Chriſtus præcepit , non dimitti vxorem, ne inducatur in mæchiam.

14 Dico 4. Debitum petere ad vitandum in altero coniuge incontinentiæ periculum , omni caret culpa . Ita etiam Theologi vniuerſi.

Patet tum auctoritate *D. Auguſtini epiſt. 119. ad Ediciam* , & habetur *cav. ſecundum verba 33. q. 5.* Tum ratione , quia hic concubitus potius eſt debiti redditio, quam petitio, ac proinde, pertinet ad fidei bonum vt bene notat *D. Thomas in 4. d. 31. q. 2. ar. 2. ad. 2.* Vide ſupra dicta.

15 Difficultas prima , eſt hic . An liceat ſimiliter coniugi debitum petere eo fine , vt vitet in ſe ipſo incontinentiæ periculum ?

Non licere , ſed operari venialiter docent Lopez , *Gonet* , *Syluius* , *Cſtienſis* , & alij tum Theologi citantes Magiſtrum , *in 4. d. 31. & 32. c. 1. D. Thomam in 4. d. 31. q. 2. ar. 2. ad. 2.* & ibi *D. Bonau. ar. 2. q. 2. & Abulenſem q. 235.* tum Canoniſtę citantes *Gloſ. in can. quidquid V. adulter. 32. q. 2.* Moderantur hoc *Palud. Victoria* , *Capreolus* , *Barbi* , *Petrus de Ledeſma* , & alij, quando alijs modis poteſt carnis ſtimulos conuenienter ſedare ; ſecus verò quando adhibitis alijs medijs , nequit eos ſedare. Moderantur inſuper hoc idem *D. Anton.* & *Durantus* , quos ſequitur *Sanchez l. 9. d. 9. num. 4.* vt licitum ſit petere gratia vitandæ fornicationis , ſi non eſt ſpes prolis concipiendæ , ea verò extante , ſemper ſit venialis culpa primariò intendere incontinentiam vitare.

Ruet ſententia excludens omne peccatum , quando copula eſt verè in remedium concupiſcentiæ ſuę vt concupiſcentiam frænet petens , & non excluditur bonum prolis. Hanc docent *Hugo Card. in c. 7. ep. 1. ad Corinth. Scotus in 4. d. 26. litt. S. in d. 32. Altiſidiorenſis, Caiet. Vgol.* & alij, quos ſequitur *Card. Branc. cit. d. 39. ar. 3. num. 4 Lucenſis, Reiffenſtuel.* & alij, Imò etiam quando aliud medium ſit facile, docent *Maior, Palacios, Diana , Pontius , Coninch, Laym. Tambur. Maſtrius, Cotonius , Megala, Leander à Sacr. Dicaſtillus , Ant. à Spi. San. Gabr. à S. V. Andreas à Matre Dei , Sporer,* & alij; quia *D. Paulus cit. c. 7.* conſulit acceſſum ad vxorem ad vitandam incontinētiā ijs verbis: *Reuertimini in id ipsū , ne tentet vos Satanas propter incontinentiā veſtram*: conſiliū autem non eſt de malo. Nec obſtat, quod Apoſtolus ſubiūgit: *Hoc autem ſecundum indulgentiam dico, non ſecundum imperium.* Nam, vt benè *Lyranus, Vgo, & Caiet.* ibi, duplex eſt indigentia, & permiſſio, ſcilicet minoris boni, & minoris mali, & hęc eſt minoris boni: & ſic nō ſupponit culpam, ſi acceſſus habeatur , vt ſedentur ſtimuli concupiſcentiæ. Nec huic contradicit expoſitio *D. Auguſtini* de bono coniugij *c. 10. l. 5.* contra *Iulianum*, & alibi D. *Gregorij relati in c Nerui d. 13. D. Anſelmi, Bedæ*, & aliorum, nam hæc vera eſt reſpectu accedentium primariò ob voluptatem, & cum ea intendentium mederi concupiſcentiæ , in quibus culpa venialis eſt. Et ſimi-

ſimiliter reſpondet ad auctoritatem Magiſtri, *D.Thomæ*, & aliorum *Card. Brancatus*. Cæterū *D. Auguſtinus lib. de adulterinis coniugijs c. 12.* noſtrę ſententiæ fauet, dū inquit: *Infirmitati voluit Apoſtolus ſubuenire honeſtate nuptiarū, nō enim ait, ſi filios nō habent, ſed ſi ſi nō continēt, nubant.* Et *D. Chryſoſt. hom. 3.* ad illa verba: Vidi Dominum, admittens, nuptias inſtitutas eſſe in remedium libidinis, dum inquit mulierem datam eſſe adiutorium viro ad ſedandos concupiſcentiæ fluctus: Accedit, quod vſus matrimonij relatus ad eum finem, ob quem inſtitutum eſt, culpa vacat: ſed poſt naturæ lapſum inſtitutum eſt matrimonium ad incontinentiæ ſtimulos ſedandos. Nec dicas, poſſe coniuges ſibi conſulere per abſtinentias, aliaſque corporis afflictiones, & macerationes; quia poſita fragilitate humana, & corruptione inducta per peccatum, nimis durum fuiſſet coniugato alijs medijs ſibi conſulere. Nec etiam obſtant *D. Hieron.* relatus *in c. Origo 32. qu. 4. & S. Iſidorus relatus in can. non ſolum. 32. qu. 7.* Nam loquuntur de accedentibus ad grauidam ex libidine, imò & cum periculo abortus ex frequenti.

16 Secunda difficultas eſt. An licitus ſit coniugalis vſus gratia tuendę, reſtaurandæ ſalutis corporis?

Non carere culpa veniali docent *D. Thomas in 4. d. 31. q. 2. ar. 2. ad 4. D. Anton. l. 1. §. 11. Abulenſis*, & alij. Quorum ſententia procedit, ſi quis ſolum intendat ſanitatem, omittendo finem primarium prolis; hic enim peccat venialiter; & de hoc intelliguntur *D. Aug. de bono coniugij c. 6. 7. & 10. & D. Greg. relatus in cit. C. Nerui.* quia adeſſet peruerſio ordinis. Secus verò eſt, vbi in ſanitate non ſiſtitur tanquam in fine principaliter intento, ſed ſimul cum prole intendatur ſanitas, ſeu intendatur ſanitas cum relatione ſaltem virtuali in prolis bonum, cuius generationi morbo laborans ineptus eſt. Ita *Cardenas c. 2. ar. 1. num. 52.* aliique, & ſic accipio *Maiorem, Pontium, Tamb. Brancatum, Sporer*, & alios, abſolutè dicentes vacare culpa: ſpes autem aliqua prolis rarò deeſt etiam in prægnantibus, & ſterilibus, iuxta ſupra dicta.

Copula ob alios fines principaliter intentos non excuſatur à veniali. Vnde venialiter peccat, qui vtitur copula coniugali dumtaxat propter ſignificationem expreſſiorem Chriſti cum Eccleſia. Ita Theologi cum *D. Thoma d. 31. q. 2. ar. 2. in corp.* quia diſſentaneè rationi omittitur finis intrinſecus: Vacat verò culpa vſus matrimonij ad eam ſignificationem relatus, non excluſis alijs finibus boni prolis, aut fidei, vt patet ex dictis. Ita *Petrus de Ledeſma*, alijque. A fortiori culpa venialis eſt ob finem extraneum temporalem, nempè, vt hæres ab vxore inſtituatur, vel ob aliud commodum temporale: Ita *Sotus, Sanchez, Cardenas*, & alii contra *Palacium, & Auerſam*, quia deſeritur finis intrinſecus eius operationis, & aſſumitur ſolus extraneus: hoc autem rationi diſſonat. Secus verò ſi dicti fines intendantur ſecundariò, & vt materia applicatio-

cationis ad concubitum: tunc enim nulla eſt culpa, ſi finis principaliter intentus eſt bonum prolis, vel fidei. Vnde ſi quis petat cauſa procreandæ ſobolis, etiam ſi ſecundariò petat fine alicuius vtilitatis temporalis, non peccat; quia actus attenditur ſecundum id, quod principaliter intenditur. Ita *Sanchez l. c. n. 11. & 12.* aliique, quos ſequitur *Megala V. Coitus, num. 9.*

PROPOSITIO X.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

PROPOSITIO XI.

Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

1 AMbæ iſtæ Propoſitiones in idem coincidunt; nam id, quod vna docet de poſitiuo, quæ eſt ſecunda in ordine, alia dicit de negatiuo; & hæc infertur ex illa. Hæ, vt iacent, iudaizant; nam, vt inquit *Vgo Card. in epiſt. 1. Ioan. c. 4. in fin. Qui oſtendit ſe fratrem diligere, & non diligit corde, iudaizat, & Iudæo eſt ſimilis. Dicunt enim Iudæi, & malè, quod ſolum intelligitur de ſigno exteriori, quod dicitur de dilectione proximi.* Licet *Arriaga to. 5. d. 39. de Charitate ſect. 1.* docuerit vtramque hanc Propoſitionem proſcriptam: tamen malè citantur *Scotus, Suarez, Coninch, Cotonius, Caſtropalans, Ant. à Spir. Sancto, Tambur.* & alii, qui tantum aſſerunt, nos non teneri diligere proximum actu interno, & formali, ſeu directè tendere in ipſum proximum per ſe, benè tamen per accidens; quorum tamen doctrina à nobis non approbatur.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Definitur Charitas prout comprehendit etiam proximum.*
3 *Qualis amor in proximum ſit in eum Charitas?*
4 *Colliguntur amores à Diuina Charitate extranei.*
5 *Explicatur duplex charitatis actio, interna ſcilicet, & externa.*
6 *Eodem ſpecie actu, quo diligitur Deus, diligitur proximus, quandocumque diligitur propter Deum: non tamen ſemper vno, & eodem numero actu diligitur Deus, & proximus.*

Digitized by Google

7 *Quatuor diligenda ſunt ex Charitate, nempè Deus, nos ipſi, proximus, & proprium corpus.*

§. II.

8 *Dari præceptum naturale dilectionis Proximi, oſtenditur.*

9 *Dari etiam præceptum ſupernaturale, diuinumque Charitatis erga Proximum, demonſtratur.*

10 *Actus Charitatis erga Proximum neceſſarius neceſſitate præcepti affirmatiui non ſt præcisè beneficentia externa, & in effectu, ſed etiam beneuolentia interna, & in affectu. Et contrarium aſſertum ſubijcitur Pontificiæ notæ huius Propoſitionis XI.*

11 *Probatur 1. ex S. Scriptura* Matthæi 22. 1. Petri 1. Ioan. 17. Roman. 1. *& alibi.*

12 *Conuincitur 2. ex auctoritate Patrum.*

13 *Suadetur 3. rationibus ſatis efficacibus.*

14 *Præceptum hoc dilectionis non eſt præcisè de iure naturæ, ſed de iure Diuino poſitiuo, licet fundetur in illis principijs naturalibus:* Quod tibi non vis fieri, &c. *Et explicatur hic* fieri, & non fieri.

15 *Actus internus Charitatis præceptus iure naturali, & diuino eſt formalis erga proximum, ſeù directus in ipſum: & contrarium aſſertum ſubijcitur damnationi Propoſitionis X. & inſuper clarè oſtenditur, hoc Decreto nullum præiudicium accipere doctrinam Doctoris Angelici.*

16 *Probatur ratione eiuſdem S. Doctoris, ex quo conuincitur error* Caſtropalai.

17 *Suadetur item expreſſa auctoritate* D. Auguſtini.

18 *Et conuincenti ratione, cum ſua confirmatione.*

19 *Colligitur præceptum dilectionis proximi eſſe ſpeciale, & condiſtinctum à præcepto diligendi Deum, & ab alijs, quibus benè erga proximum afficimur, quæ ſunt ſecundæ Tabulæ.*

20 *Actum Charitatis proximi non poſſe eſſe ſine dilectione Dei, demonſtratur.*

21 *Colligitur, hoc præceptum Charitatis proximi impleri non poſſe ſine gratia ſanctificante.*

22 *Præceptum Charitatis proximi ſe extendere ad omnes rationales creaturas, ſeù ad iuſtos, & peccatores; fideles, & infideles viatores; amicos, & inimicos, probatur, & explicatur.*

23 *Retunditur error eorum, qui negarunt præceptum dilectionis proximi, vel ſimpliciter, aut ſaltem reſpectu imperfectorum.*

24 *Peccatores etiam inimici, ex charitate ſunt diligibiles, & diligendi ſecundum naturam, non ſecundum culpam.*

25 *Etiam extra occaſiones neceſſitatis quis tenetur diligere proximum per ſe per actum charitatis: & multipliciter oſtenditur.*

26 *Hoc præceptum prout negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper, ſeù pro ſemper, & in quocumque tempore.*

27 *Probatur ex prohibitione excluſionis inimici ab amore erga alios in communi.*

Digitized by Google

ni. Sed quid ſi experiaris te trepidare coram eo, qui te offendit, immò & expalleſcere, & cupere eum non videre?

28 *An ſemper quod velimus inimico malum ſit peccatum?*

29 *Obligaris iniuriati remittere ex corde offenſam, etiam ſi non petat; & inſuper hanc rem ſſionem in mico palam facere.*

30 *Hoc præceptum dilectionis proximi quatenus affirmatiuum, reſpectu proximi in communi obligat per ſe ad diligendum illum actu interno, & formali initio vſus rationis morali, & ſaltem ſemel in anno, & probabiliter intra annum.*

31 *Obligat verò per accidens ratione neceſſitatis pro loco, & tempore ſuperuenientis.*

32 *Reſpectu verò proximi in particulari, ſeù ſingulari non obligat per ſe, ſed ſolum in caſu neceſſitatis pro loco, ac tempore fortè incidentis.*

33 *Enumerantur caſus, in quibus adeſt hæc obligatio per accidens.*

34 *An liceat inimicum excludere à communibus beneficijs?*

35 *An inimicis teneamur ſigna ſpecialis amoris exhibere.*

36 *An extet obligatio ſalutandi inimicum?*

37 *An ſit obligatio reſalutandi?*

38 *An cedit obligatio inimicum alloquendi. Et quis incipere debeat?*

39 *An inimico veniam petenti, iniuriam remittere teneamur, quantum ad damnum illatum in honore, fama, aut bonis temporalibus, &c.*

40 *An lædentem offerentem ſatisfactionem poſſit adhuc læſus apud Iudices accuſare, accuſationemque proſequi, nec velle remiſſionem per publicum inſtrumentum, ſeù Notarij ſcripturam exhibere?*

41 *Inimicus, qui læſit, obligaturne ſemper à læſo veniam ſubmiſſo animo petere?*

§. III.

42 *Ordinem Charitatis eſſe in præcepto, ſcriptura, rationeſque validiſſimæ oſtendunt.*

43 *Bona ſpiritualia alia ſunt, quæ quis ſibi, & proximis velle debet; alia quæ nec ſibi, & proximis velle tenetur.*

44 *Obligaris velle potius tibi gratiam, & gloriam, quam reliquis omnibus, etiam vniuerſo mundo. Excipitur Chriſtus Dominus, & probabiliter etiam Beatiſſima Virgo. Licitum tamen, atque laudabile eſt, velle pro aliquo tempore pati dilationem beatitudinis, vt proximorum ſaluti prouideas.*

45 *Si bona ſpiritualia ſint extra obligationem, poteris abſque peccato alios tibi præferre.*

46 *Obligaris ſalutem ſpiritualem proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre, iuxta mox dicenda.*

47 *In extrema proximi neceſſitate debes non ſolum bona temporalia, ſed etiam vitam expendere, ſi tibi ſpes eſt fore profuturum, ſecus ſi non ſit certa ſpes in re.*

Digitized by Google

48 *An caſus allati à Valentia comprehendantur ſub hac doctrina?*

49 *Extra caſum extremæ neceſſitatis non teneris cum periculo morali propriæ vitæ, aut amiſſionis membrorum, aut graui iactura bonorum fortunæ ſuccurrere proximum in ſpiritualibus.*

50 *Proximo tamen communi (hoc eſt Reipublicæ) in graui neceſſitate conſtituto teneris etiam cum periculo propriæ vitæ ſuccurrere.*

51 *Cuicumque proximo grauem neceſſitatem ſpiritualem patienti teneris ſuccurrere cum leui tuo detrimento, ſecus de leui.*

52 *Quæ ſit obligatio Principis, Paſtoris, & Superioris?*

53 *Quæue obligatorum ex delicto.*

54 *Vtrum in temporalibus bonis debeamus nos ipſos magis diligere, quam proximum?*

55 *An poſſis, vel tenearis vnum proximum præ alio diligere? Vbi variæ fiunt comparationes.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. Charitatem, pro vt comprehendit etiam proximum, definiri: Charitas eſt virtus theologalis, & ſupernaturalis infuſa, qua amatur Deus amore ſupernaturali beneuolentiæ ſuper omnia: proximus autem propter ipſum Deum: Per ly *proximus autem* ſignificatur obiectum ſecundarium Charitatis: quod eſt omnis noſter proximus: idem namque habitus infuſus præſtantiſſimus Charitatis inclinans primò, & principaliter quidem ad dilectionem, & amorem Dei ſuper omnia, propter ſe ipſum, & propter ſui ipſius intrinſecam infinitam bonitatem, tanquam ad actum principalem: etiam conſequenter, & ſecundariò mouet, & inclinat ad dilectionem proximi. Immò & ſui ipſius propter Deum, ſeù propter eamdem bonitatem diuinam participatam in proximo, tanquam actum ſecundarium neceſſariò cum priori connexum; vt mox amplius explicabitur. Per ly *propter ipſum Deum*, ſignificatur obiectum, & motiuum formale, propter quod diligendus eſt proximus: nimirum propter Deum ſic volentem ex infinita bonitate ſua, & re ipſa propter ipſam Bonitatem Diuinam participatam, ac veluti elucentem in proximo, quatenus nimirum proximus eſt creatura Dei condita ad eius imaginem, gratiæ, amicitiæ diuinæ, æternæque beatitudinis capax, præſertim vt de facto præditus bonis ſupernaturalibus, gratia, ſanctitate, iuſtitia, & amicitia Dei, &c.

3 Notandum eſt 2. non omnem amorem erga proximum intelligi charitatem in proximum: Sed amore amicitiæ propter eiuſdem à Deo par-

participatam ſupernaturalem bonitatem proſequi omnem proximum: volendo ei vera, ſalutaria, ac ſupernaturalia bona (vtpotè principaliter ipſum Deum, ac beatitudinem æternam) aliaque bona ſpiritualia, ac media ſaluti; itq; etiam bona temporalia, quatenus ad illa referuntur, conducunt, neceſſaria, vel vtilia ſunt. Idque duplici affectu, aut affectu, & amore complacentiæ eidem prædicta bona iam habita volendo, & congaudendo, nihil inuidendo, nolendo, &c. aut affectu, & amore deſiderii eidem eiuſmodi bona nondum habita deſiderando, optando, ac, cum opus eſt, pro poſſe procurando. Et hoc ipſum volunt SS. Patres, & Doctores volentes proximum diligendum eſſe in Deo, & propter Deum: amicum in Deo, inimicum propter Deum: *In Deo* nimirum, quatenus iam Dei per gratiam, ac iuſtus eſt, amore, vel affectu complacentiæ. *Propter Deum* verò, vt ſi non dum eſt, Dei eſſe per gratiam, & iuſtitiam incipiat. Sic *D. Auguſtinus* variis in locis. Et indicat ipſe Saluator *Ioan. 13. Mandatum nouum do vobis, vt dil gatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Explicat *D. Auguſt. tr. 65. in Ioan. Hoc eſt: ad quod dilexi vos, vt filij lucis ſitis, & lucem habeatis.* Et mox iterum: *Sicut dilexi vos. Quid enim niſi Deum dilexit in nob s, non quem habebamus, ſed vt habeamus. Sicut medicus ægrotos, &c.* Et rurſus *lib. de Doctr. Ch iſt. c. 2.* explicans illud: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, dicit: *Hæc regula dilectionis diuinitùs conſtituta eſt, vt Deum propter ſe, ex toto corde, & proximum diligas ſicut te ipſum; ad quod, & propter quod te ipſum diligere deb. s. Qui ergo amat homines, vel quia iuſti ſunt, vel vt iuſti ſint amare debet: ſcilicet in Deo, vel propter Deum; ſic enim & ſe ipſum amare debet in Deo, & propter Deum; id eſt: vel quia iuſtus eſt, vel vt iuſtus ſit.* Sic *D. Auguſtinus*. Mirificè etiam mihi ſapit modus loquendi antiquorum Doctorum, nimirum Charitate Diuina proximum diligere idem eſſe, ac velle proximum à Deo diligi, ſibique condilectum habere: nimirum, aut affectu complacentiæ gaudendo, aut affectu deſiderii deſiderando habere condilectum à Deo; hoc enim verè eſt proximum velle verum, & omne ſalutare bonum in ipſo fonte ſuo, & ſcaturigine.

4 Hinc 1. Alienus à Charitate Diuina Theologica eſt omnis amor proximi naturalis tantum, ſcilicet ex motiuo naturali, vtpotè, quo diligimus hominem, ob eius naturalem honeſtatem, comitatem, vel quodcumque donum naturale, ei de eiuſmodi complacendo, vel deſiderando, abſque omni ordine ad Deum; adeoque nullo modo propter Deum: qui actus licet non ſit meritorius, eſt tamen honeſtus, & ad charitatem mere naturalem, & acquiſitam ſpectans: huiuſmodi enim erga Deum naturalem, & acquiſitam bonitatem probabiliter admittunt *Vaſquez, Coninch, Leſſius, Becanus, Granadus, Ripalda*, & alii Neoterici, & ex Thomiſtis *Vincentius Terre*, & ex Scotiſtis *Sporer*, & alii. Secundò. Magis adhuc à Diuina Charitate alienus eſt omnis erga proximum amor concupiſcentiæ tantum, quo nimirum is diligitur, quatenus nobis bonus, vtilis,

lis,

lis, vel delectabilis eſt; quia hic amor naturalis eſt, & Politicorum, non Theologorum, & ſi per ſe, & intra terminos honeſtatis minimè malus. Quod ſi verò diligamus proximum, quatenus eſt bonus, & vtilis nobis ſpiritualiter; puta Patrem ſpiritualem, Confeſſarium, Prælatum bonum in ordine ad Deum, & ſalutem noſtram, erit ſane actus Charitatis Theologicæ: at non quatenus eſt amor concupiſcentiæ erga proximum, ſed quatenus eſt amor amicitiæ erga nos ipſos, & ipſum Deum: nam amans proximum, vt bonum ſibi in ordine ad Deum, & ſalutem ſuam ſupernaturalem, plus quam proximum amat ſe ipſum, & ſe ipſo adhuc magis Deum. *Quia propter quod vnumquodque tale, &c.* Tertiò. Omnis amor formaliter, vel virtualiter non relatus in Deum, Charitati Theologicæ, extraneus, vel etiam aduerſarius eſt, & peccaminoſus. *Amor formaliter relatus in Deum* dicitur, qui de facto concipitur ex motiuo charitatis, ac bonitatis diuinæ, ſeù quo proximus de facto diligitur propter Deum, modo hactenus explicato. *Virtualiter* verò relatus dicitur, quatenus amor proximi, vel alterius creaturæ continetur intra terminos honeſtatis ſecundum rectam rationem, & legem Dei, adeoque hoc ipſo iam aliquo modo propter Deum, & aptus ſaltem referri formaliter in Deum. Amor ergo ſolum formaliter non relatus in Deum, qua talis, extraneus tantum eſt à Charitate Theologica: at verò amor nec virtualiter quidem relatus in Deum, ſeù terminos rectæ rationis, & honeſtatis, ita excedens, vt neque aptus ſit referri in Deum, charitati etiam contrarius eſt, & peccaminoſus, dictus amor creaturæ inordinatus.

Notandum eſt 3. Duplicem eſſe Charitatis actionem: vna eſt interna, altera externa. Interna interioris voluntatis affectu completur. Externa in opere, & effectu conſiſtit. Illa beneuolentia dicitur. hæc beneficentia. Ex quo fit, vt charitas poſſit interiori voluntatis actu conſummari, & perfici, cum videlicet volumus bonum alicui propter ipſum: quæ voluntas tunc eſt efficax, cum talis eſt, vt ſi opportunitas, vel occaſio benefaciendi adeſſet, ad opus, & effectum perduceretur. Porrò beneficentia tunc eſt actus charitatis externus, cum facimus alicui benè propter ipſum ſine alia cauſa; ſicut beneuolentia eſt charitas, cum volumus bonum alicui propter ipſum, non ex alia cauſa. Nam ſi velimus bonum Titio, quia noſter pater eſt, frater, aut filius, pietas eſt: ſi velimus ei bonum ſolum propter ipſum; citra vllum emolumentum noſtrum, charitas eſt. Sic etiam, ſi facimus Titio bene, quia ipſe prius de nobis meritus eſt, actus eſt grati animi. Si facimus benè alicui, quia id bonum illi debemus ex pacto, contractu, vel quaſi contractu, Iuſtitiæ officium, & opus eſt; at ſi facimus gratis propter ipſum eſt actus Charitatis. Præterea actus liberalitatis ab actu charitatis in eo diſtinguitur, quod is, qui liberalis eſt, ideò de altero benè meretur, hoc eſt, ideo donat alteri, quia vult liberalis eſſe: quemadmodum etiam qui magnificus eſt, ſumptus, & impenſas facit,

facit, non ob aliud, niſi vt magnificus ſit in ſumptibus, & impenſis. At verò is, qui ex Charitate diligit, facit proximo bene, non vt liberalis, vel magnificus ſit. Sed quia amat hominem propter ipſummet.

6 Notandum eſt 4. ex *D.Thoma 2.2. q.25. ar.1.* Eodem ſpecie actu, quo diligitur Deus, diligi proximum, quandocumque diligitur propter Deum, hoc eſt propter bonum diuinum, quod eſt in eo, videlicet, diligitur, vt eſt diuinorum bonorum particeps, ſeù vt eſt diuinus quidem amicus, ſiue vt eſt amicus in Deo, vel propter Deum, ſiue vt eſt amicus Dei; hoc eſt, quem Deus vult diligi propter ipſum, & amor in eum gratus, & acceptus eſt Deo. Quemadmodum, inquit S.Doctor, vna, & eadem eſt ſpecie viſio, qua videtur lumen, & qua videtur color propter lumen. Secus verò eſt, ſi proximus diligatur ob proprium bonum, quod in eo eſt; vt ſi ametur, quia conſanguineus, vel quia ciuis eſt. Sicut, ait idem *S.Thomas in reſp.ad* 1. Si quempiam timeas, quia tyrannus eſt, vel crudelis, vel exitioſus tibi eſt, non times illum eodem timore, quo times Deum; ſi timeas, quia miniſter Dei eſt, & ipſius vices gerit in terra, vel quia ipſum Deum refert, eodem timore times illum, quo metuis Deum. Hinc eſt, vt docet idem *Angelicus ibidem ad* 2. vt non colamus, & veneremur eodem ſpecie actu proximum, quo Deum; quia cultus, & honor defertur homini, ob eius ſuper alios excellentiam: & non eſt eadem excellentia Dei, & hominis. Aſt non ſemper vno, & eodem numero actu diligimus Deum, & proximum, cum hominem propter Deum amamus. Sed aliquando duobus actibus amamus, aliquando vno tantum actu. Sunt duo actus diſtincti, cum amamus proximum amore priori erga Deum: tunc enim amor in proximum oritur, & exiſtit, tanquam ex cauſa, ex amore in Deum; at verò eſt vnus tantùm actus amor in proximum propter Deum, cum amamus proximum, vt diuinorum bonorum participem, tunc enim amor in proximum non naſcitur ex alio actu expliciti amoris in Deum, ſed verſatur circa proximum propter Deum ipſum, tanquam propter rationem, & cauſam primariam amandi proximum.

7 Notandum eſt 5. Quatuor numerari diligenda ex charitate, nempè Deum, proximum, nos ipſos, & proprium corpus; ex *D.Auguſtino lib. de doctr.Chriſt.c.23.* dicente: *Quatuor diligenda ſunt, vnum, quod ſupra nos eſt, ſcilicet, Deus: alterum, quod nos ſumus: tertium, quod iuxta, nos eſt, ſcilicet proximus: quartum, quod infrà nos, ſcilicet corpus.* Ratio ex *D.Thoma qu.27.ar.12.* eſt; quia licèt charitas ſub generali ratione amoris extendat ſe ad omnes creaturas: vt tamen eſt amicitia fundata ſuper communicatione æternæ beatitudinis, ſeù Dei, ea ſolum reſpicit, & attingit, quæ in hoc bono communicant, aut communicare poſſunt: quæ ſunt prædicta quatuor: Deus quidem, vt beatitudinis cauſa, & principium: nos vt eiuſdem directè participes: corpus, vt participans illam per redundantiam

tiam ex gloria animæ : proximi denique tanquam ſocii nobiſcum prædictæ beatitudinis. Porrò proximus eſt hic omnis rationalis creatura, quæ eſt capax beatitudinis. *S. Thomas q.25. ar.10.* Proximi ergo dicuntur tam homines, quam Angeli, tam inimici, quam amici : tam iuſti, quam peccatores : tam fideles, quàm infideles, quatenus conuerti poſſunt : ſolumque excluduntur dæmones, & damnati, qui ſunt incapaces bonorum ſpiritualium, & æternæ beatitudinis : ideo ſimpliciter diligi nequeunt amore perfecto charitatis. *S. Thomas ſupra ar.12.* Antichriſtus autem, & alij reprobi dum ſunt in hac vita, non habent impotentiam abſolutam conſequendi beatitudinem : debent igitur ex charitate diligi. Et eſto non poſſimus appetere Antichriſto beatitudinem affectu efficaci, & voluntate conſequente, ſed inefficaci tantùm, & voluntate antecedenti, valemus tamen illi abſolutè appetere, quod gratiam conſequatur, & diù in illa perſiſtat, & nè ſit æquè malus, ac poteſt : quæ voluntas ſufficit ad amicitiam propriam charitatis, ſuppoſita potentia abſoluta conſequendi beatitudinem, quam habet omnis reprobus, dum eſt in via. Videatur *D. Thomas 1.p.q.113.ar.4.ad.3.* & *Arauius.* Ad id, quod ſolet obijci, dicendum, nomen Antichriſti magis eſſe malitię, quam naturæ. Vnde ad Antichriſtum non debemus habere amicitiam charitatis, benè tamen ad perſonam, quæ dicitur Antichriſtus, prout eſt capax aſſequendi æternam beatitudinem. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum, vnàque multæ difficultates enodantur.

8 DIco 1. Datur præceptum naturale dilectionis proximi. Ita *Azorius p.1.l.12.c.5.quaſt.1.* alijque omnes.

Probatur; quia ratio naturalis præſcribit, proximum eſſe diligendum propter ſe, quatenus homo eſt : quo præcepto ei optare, & velle debemus bona, quæ hominibus conſentanea ſunt, videlicet ſalutem, vitamque corporis, ſanitatem mentis, vitę probitatem, honorem, & famam, & huius generis alia; amore vtique beneuolentiæ, ſeù quatenus proximi bona ſunt. Et de hoc præcepto naturali etiam ſermo eſt *Matthæi 22. & Leuitici 19.* cum quiſque iubetur proximum ſuum diligere, ſicut ſemetipſum : nam etiam præcepto naturali diligere debemus proximum ſicut nos ipſos.

9 Dico 2. Datur etiam præceptum Diuinum, & ſupernaturale charitatis, quo ex charitate, & ſupernaturali amore tenemur proximum diligere, ſeù quo tenemur diligere propter ſe ipſum, non cauſa noſtri, ſed

ſed quatenus eſt gratiæ, & vitæ ſempiternæ capax: quo præcepto ei optare cogimur bona gratiæ, & ea, quæ ad vitam æternam conſequendam ſpectant. Ita *D. Thomas 2. 2. q. 44. ar. 2.* & ibi *Bannez*, & communiter alij, quos ſequitur *Auguſtinus Lucenſis in caut. confeſſ. l. 2. c. 8. nu. 5.*

Probatur. Quia de hoc præcepto loquitur Chriſtus Dominus, *Ioan. 13.* cum ait: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* At Chriſtus dilexit nos amore ſupernaturali: Ergo eodem nos ad inuicem diligere debemus. Et dilectus Domini Diſcipulus *epiſt. 1. cap. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Vnde propter bonum ipſius, & non noſtri cauſa, eſt proximus diligendus: ſicut Deum ex charitate propter ſe ipſum diligere debemus. Et de hac potiſſimum ſermo eſt *Matthæi 22* & *Leuitici 19.* cum quiſque iubetur, proximum ſuum diligere, ſicut ſeipſum. Porrò particula illa, *ſicut ſe ipſum,* non dicit æqualitatem, ſed ſimilitudinem, vt benè explicat *S. Thomas cit. q. 44. ar. 7* ideſt non eſt proximus diligendus tantùm, quantum nos: nam vnuſquiſque magis debet ſe diligere, quam alium. Sed eo modo, quo nos: Hæc autem ſimilitudo poſita eſt in tribus. Primò ex parte finis, vt quemadmodum quis ex charitate ſe ipſum diligit propter Deum, & ſecundum bona ſpernaturalia, ità quoque diligat proximum, & in hoc ſancta eſt dilectio proximi: ſecundo ex parte obiecti, vt non expetat proximo aliquid, quod ſit malum, ſed bonum, ſicut ſibi ipſi tantùm bona expetit, & in hoc iuſta eſt dilectio proximi. Tertiò ex parte modi diligendi, vt diligat proximum, non in ipſius perniciem, ſed tantùm in vtilitatem, & commodum; & in hoc dilectio eſt vera; hoc enim requirit lex veræ amicitiæ, ſicque quis diligit verè ſe ipſum: vnde etiam illa amicitia non eſt vera, quę cedit ſolum in vtilitatem, & delectationem diligentis. Ita *Boyuinus de charitate q. 5.* & alij cum *D. Thoma.*

10 Dico 3. Actus charitatis erga proximum, ad ſalutem neceſſarius neceſſitate præcepti affirmatiui, non eſt præcisè beneficentia externa, & amor in effectu; ſed etiam beneuolentia interna, & amor in affectu. Ita Theologi communiter cum *D. Thoma quodlib. 4. ar. 24. ad 1. & cit. q. 44. ar. 6. & 7.* alijſque pluribus in locis memoratis à *Syluio eodem ar. 7. quæſt. 2.* Et contraria aſſertio ſubijcitur damnationi Propoſitionis XI.

11 Probatur 1. ex Scriptura. Nam *Matthæi 22.* vni ex Scribis, & Phariſæis interroganti: Quod nam eſſet magnum, & primum omnium mandatum? Reſpondit Ieſus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Hoc eſt magnum, & primum mandatum; ſecundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Vbi cum ex vna parte præceptum charitatis erga Deum obliget ad beneuolentiam internam, amoremque in affectu: & ex alia parte tam abſolutè, aſſimiletur huic, ac comparetur præceptum charitatis erga proximum, conſequens eſt, illud quoque ad beneuolentiam internam, amoremque in affectu obligare. Quod deduci-

tur pariter ex ly *ſicut te ipſum*, quibus verbis *D.Thomas præcit.ar.7.in corp.* ait, importari, quod quis velit proximo ſuo bonum ſicut vult bonum ſibi ipſi: velle autem bonum eſt beneuolentia interna; quæ ſufficit, quod pateat Deo, à quo præcipitur; ſicut patet de vltimis præceptis Decalogi: & ſit vtilis proximo: nam frequentia eius actus interni præparatur animus, vt benè ſe habeat erga proximum in occaſionibus occurrentibus. Magnam etiam habet vim teſtimonium aliud eiuſdem Chriſti *Ioan.15.* dicentis: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Certè autem ille nos dilexit interno affectu, non ſola externa beneficentia. Iuſſit itaque, vt nos inuicem diligamus, ſicut ipſe nos dilexit, atque dilectionem ſuam voluit eſſe exemplar, ad cuius imitationem nos mutuo amare debemus veluti fratres in Chriſto, cohæredes eiuſdem Regni, & membra myſtica corporis, cuius ipſe eſt caput ſummum. Foret autem manifeſta hæreſis negare Chriſto veram dilectionem noſtram internam, & abſurdiſſimum dicere, ſuam internam dilectionem excluſiſſe, & præcepiſſe dumtaxat imitationem externæ, quæ ab interna ſuum præcipue pondus, & æſtimationem ſumit. Ab interna namque habemus vnum cor, & vnam animam: ab interna ſumus inter nos, & cum Deo vnus Spiritus, & ab interna deſumitur vnitas, & concordia voluntatum, quam ſola externa non tribuit: Verbis Chriſti Domini conſonant verba Apoſtolorum Petri, & Pauli. Nam 1.*Petri* 1. habetur. *In fraternitatis amore ſimplici ex corde inuicem diligite attentius:* vbi ly *ex corde, & attentius* ad internum affectum, non ad externum effectum refertur. *Roman.*1.inter magnos peccatores recenſentur, qui *ſine affectione*, id eſt ſine charitatis affectu ſunt erga alios: ſignum eſt igitur, talem affectum ſub præcepto cadere, & eius omiſſionem eſſe peccaminoſam.

12 Probatur 2. auctoritate SS.Patrum. *Auguſtini* tum locis proximè referendis, tum *l.1.de doct.Chriſt.c.28.Gregorij 17.in Euangelia, Thomæ locis præcitatis*, & aliorum declaratione ad intentum noſtrum accommodata corroboratis. Nec *D.Bernardus ſerm.50. in Cantica* aduerſarijs fauet: ſed, (vt rectè explicat *Syluius præcit. quæſ.2.*) diſtinguens duplicem charitatem in affectu, aliam, ad quem ſequantur opera externa; aliam, quæ tota quodammodò conſummatur interius &, (vt ipſe Sanctus loquitur) ſale ſapientiæ condita magnam menti importat dulcedinem, de hac ait non mandari, ſed in præmium dari, eſſe ſcilicet charitatem conſummatam Patriæ.

13 Probatur 3. ratione ſupra inſinuata. Finis præcipiendi, vltra dilectionem Dei, fraternam, atque reciprocam dilectionem, quam Chriſtus ipſe erga nos habuit, is eſt, vt vnitas iſta animorum, & ſpirituum mediante amore impleatur, & omnes in Deo ſint vnũ ſicut vnũ ſunt Chriſtus, & Pater, prout ex *Ioan.17.verſ.20.* ſatis apertè colligitur, & ex eius prima

ma epiſtola, vbi mutua iſta dilectio varijs modis actuum internorum proprijs ſæpe ſæpius commendatur. Vnde *S. Auguſtinus tr 65. in Ioan. Ad hoc*, inquit, *nos dilexit, vt nos diligamus inuicem, hoc nobis conferens diligendo nos, vt mutua dilectione conſtringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis mẽbris corpus tanti capitis ſimus.* Adde, quod illa verba ſupra relata: *ſicut dilexi vos*, ideo ſunt addita, iuxta *S. Auguſtinum eo tr. 65. & tr. 66. in Ioan.* vt dilectio, quæ hic præcipitur diſcerneretur ab omni alia dilectione ſiue turpi, ſiue honeſta, qua ſe homines, ſicut homines diligunt. Nequit autem ea diſcretio conſtare, ſi vis præcepti ad dilectionem internam formaliter non conſtringit; quia officia externa erga proximum benè, & malè fieri poſſunt, & quamuis honeſtè fiant, non ſunt propria charitatis, ſed communia alijs virtutibus. Præcipit itaque Chriſtus non qualemcumque dilectionem mutuam, ſed ſpecialem, & ſuæ internæ dilectioni ſimilem, qua voluit, vt ſimus omnes filij Dei, ac fratres ſui. Et propterea rectè notat *Auguſtinus*, præcepiſſe dilectionem ab omni humana dilectione diſcretam, nempè Sanctam, Spiritualem, donatam ex gratia ipſius, innouantem, ac dealbantem animas ordinatam ad finem vitæ æternæ, atque in ea coniunctione fundatam, qua omnes eo deſtinamur, vt ſimus filij Dei, ac fratres Chriſti, noui teſtamenti hæredes, & homines noui in ipſo. His namque notis ſparſim, ſed perſpicuè traditis, & ex Sacro Textu acceptis illam diſcernit Magnus ille Doctor, non ſolum ab ea damnabili, qua adulteros, & adulteras noxia turpitudo coniungit; ſed etiã ab illa honeſta, qua ſe ſe diligunt inuicem mariti, & vxores, parentes, & filij, & quæcumque alia inter ſe homines neceſſitudo humana deuinxerit. Certum autem eſt prædictas affectiones ſoli dilectioni internę per ſe primo conuenire poſſe, vti & illam qua ſubiungit hanc ipſam dilectionem eſſe *mortem noſtram ſæculo, & vitam Deo*: nemo namque mundo moritur, atque Deo viuit per ſolos actus externos.

14 Præceptum ergo hoc dilectionis non eſt præcisè de iure naturæ, ſed de iure diuino poſitiuo, licet fundetur in illis naturalibus principijs: *Quod tibi non vis fieri &c.* Et licèt fieri, & non fieri dicantur de externis operibus: tamen ipſamet externa beneficentia pręſertim in ſpiritualibus & ſupernaturalibus, infert internam dilectionem, vt ſit actus ex charitate diſcreta, modo iam explicato.

15 Dico 4. Actus internus charitatis præceptus iure naturali, & diuino eſt actus formalis erga proximum, ſeù directus in ipſum proximum diſtinctuſque ab actu formali erga Deum: vnde non ſufficit virtualis incluſus in actu formali amoris Dei. Et contraria aſſertio hoc decreto proſternitur. Nec eo vllum præiudicium accepit doctrina *S. Thomæ*: quinimò conſonat, ipſi, tum *2. 2. qu. 44. ar. 2. præcipue ad* 1. tum *ar. 3. in corp.* Et *qu. 25. ar. 1.* ſupponit diſtinctionem actus charitatis Dei, ab actu charitatis proximi; & ſolum determinat procedere ab eodem habitu charitatis. Et

ibidem *ar.* 8 minimè inquit, non eſſe neceſſariam actum charitatis expreſſè tendentem in proximum, ſed hoc actu charitatis expreſsè tendente in proximum, at in communi, & in vniuerſali, aſſerit, non teneri ex charitate diligere quemlibet hominem in particulari, ſeù ſingulari, actu expreſsè terminato ad ſingulos homines, vel ad hunc determinatè; niſi in præparatione animi, & quando neceſſitas occurrit.

16 Probatur aſſertio 1. ratione deſumpta ex *D. Thom.* Si ad dilectionem proximi præceptam non requireretur actus formalis expreſsè tendens in ipſum, ſed ſufficeret actus virtualis implicite inuolutus in actu charitatis erga Deum, non eſſent neceſſaria duo præcepta charitatis alterum de dilectione Dei, alterum verò de dilectione proximi. Sed hoc eſt contra Sacram Scripturam in locis ſupra relatis: Ergo ad dilectionem proximi præceptam requiritur actus formalis charitatis directè, & explicitè tendens in ipſum. Probatur conſequentia: quoniam per illud vnicum præceptum charitatis erga Deum habetur actus virtualis dilectionis proximi inuolutus in obſeruantia ipſius; & conſequenter ſatis ſuperque eſſet ſolum; aliudue addere, dum nihil aliud præcipit, niſi actum illum virtualem inuolutum, ſuperuacaneum eſſet, & redundans: idem enim bis præciperetur. Corroboratur; quia Sacer Textus eodem ſenſu, atque contextu proponit mandata dilectionis Dei, & proximi, tanquam duo, quorum alterum eſt primum, ac maximum; alterum verò ſecundarium, atque ei ſimile, non idem, neque æquale. Forent autem quoad internum actum lege præceptum formaliter ſub nomine dilectionis, non duo mandata, ſed vnicum ſi ſola dilectio Dei formalis præciperetur, non verò dilectio proximi; neque iam gemina charitas (vt *Auguſtinus* aiebat) proponeretur vt finis totius legis, atque Prophetarum, ſed vna vnoque præcepto non habenti ſimile, neque ſecundum circa dilectionem proximi, quod obſeruandum ſuperſit poſt obſeruationem primi. Neque dicas addi præceptum dilectionis proximi, vt innoteſcat, non eſſe odio habendum. Nam hoc ipſum, ſeu, Proximum non eſſe odio habendum virtualiter continetur in dilectione Dei, & propoſito voluntatem eius exequendi. Deinde præceptum charitatis erga proximum non ſolum eſt negatiuum, ſed etiam eſt affirmatiuum, vnde ſcriptura *Leuitici* 19. non contenta eo, quod dixit, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*, quod eſt negatiuum præceptum, expreſsè adiecit poſitiuum, dicens: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Ex quo patet, vt quid diſtinctum præcipi dilectionem; & abſtinere ab odio proximi. Dicit quidem Euangeliſta *Ioannes epiſt. 1. c. 4. hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* At dicere cum *Caſtropalao*, ideo mandatum Euangeliſtam nominare, & non mandata, quia vnicum eſt, futilis eſt ſpeculatio, & contraria intento Apoſtoli; qui intendit enunciare, quod propter hoc diligendus eſt proximus, quia Deus hoc præcepit, vt benè *Ego Card.* ibi, qui paulò ante addit, hoc eſſe ſecun-

ſecundum mandatum diuinum, poſt primum de dilectione Dei ex *Matthaei 22.*

17 Probatur 2. expreſſa auctoritate *S. Auguſtini l. 1. de Doctr. Chriſt. c. 30. prope finem,* ibi: *Praeceptum quo diligimus Deum, à proximi dilectione diſtinctum eſt, & l. 8 de Trin. c. 7.* vbi ex profeſſo contendit, duo eſſe praecepta, dilectionis duplicis, *quamuis pro vtroque vnum ex ipſis,* non facta mentione alterius, in ſcriptura ſaepius apponatur, non quia vnum ſint, ſed quia inuicem connexa, & ſimillima quoad actum directè, atque immediatè praeceptum à virtute theologicae charitatis, vt ipſe exponit ibidem: *& quia benè intelligentibus vtrumque inuenitur in ſingulis,* vt ſcribit *d. tr. 65. in Ioan.* Nam ait, *qui diligit Deum, non eum poteſt contemnere praecipientem, vt diligat proximum: & qui Sanctè, ac ſpiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, niſi Deum? Ipſa eſt dilectio ab omni mundana dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addit Dominus; vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.*

18 Probatur 3. Diligenti Deum adhuc praecipitur vera dilectio charitatis erga proximum; ſed non praecipitur dilectio virtualis, quae in formali amore Dei iam habita, & incluſa ſupponitur: Ergo praecipitur dilectio formalis. Maior, quae ſola eſt difficilis, ex ipſa mandatorum diſtinctione colligitur, & *Auguſtino* habetur, tum verbis nuper propoſitis, tum *d. c. 7.* vbi ſic ſcribit: *Qui diligit Deum, conſequens eſt, vt faciat quod praecipit Deus, & intantum diligit, in quantum facit. Conſequens ergo eſt, vt proximum diligat, quia hoc praecepit Deus.*

Confirmatur. Quia neque Dei amor neceſſarius, & ſufficiens ad ſalutem in rigore dici poteſt virtualis dilectio proximi; niſi formalis intelligatur praecepta; commentitia eſt igitur haec aduerſarij diſtinctio, & doctrina. Probatur antecedens; nam Dei amor ex conceptu ſuo non debet eſſe amor virtualis exequendi omnia conſilia, ſed ſolum praecepta grauia, & hoc eſt ſatis, vt Deus ſuper omnia ametur, & praecepto iſti ſatisfiat, vt oſtenſum eſt in *Lapide Lydio theol. comment ad Propoſ. 1.* Si ergo eſt ſub praecepto vera proximi dilectio interior, atque formalis, ſed dumtaxat ſub conſilio, neque virtualiter illam includet Dei dilectio, ad quam tenemur: atque eapropter *S. Auguſtinus* proximè appellatus recurrebat ad ſpeciale, nouumque praeceptum diligendi proximum, vt ex dilectione Dei induci demonſtraret dilectionem eius.

19 Ex his habes, hoc praeceptum dilectionis proximi eſſe ſpeciale, & condiſtinctum à praecepto diligendi Deum, & etiam ab alijs, quibus benè erga proximum afficimur, & ſecundae Tabulae dici conſueuerunt. Ita Theologi communiter. Contra quoſdam exiſtimantes eſſe recapitulationem quandam, vel aggregationem omnium ſpectantium ad proximos. Tum quia idem prorſus dici debet de praecepto diligendi Deum, quod in Sacris litteris eodem contextu ſenſuque proponitur, nec iam licet affirmare eſſe compendium aliorum, & non ſpeciale, & à tota ipſorum col-

latio-

lutione diuerſum, vt oſtenſum eſt dicto *comment. ad Prop.* 1. Tum etiam, quia dilectio proximi eſt actus, & valde honeſtus, & apprimè neceſſarius ad vitam rectè inſtituendam erga Deum, & erga alios. Erga Deum, quia, vt argumentatur Apoſtolus *Ioannes epiſt. 1. c. 4. verſ. 20. Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Erga alios, quia ad rectè agendum cum ipſis amor animam vehementer ſollicitat, excitat, & alijs virtutibus, puta miſericordiæ, aut iuſtitiæ imperat officia debita. Et hoc maximè procedit circa præceptum ſupernaturale diligendi proximum, vt conſortem beatitudinis, ac vitæ ſupernaturalis, & præſtandi ea loco, & tempore ſubſidia neceſſaria ad illam. Conſtat enim eſſe diſtinctum ab alijs Decalogi. At licet hoc præceptum dilectionis proximi, ſicut & dilectionis Dei ſint ſpecialia, non tamen ſunt in Decalogo, ſed potius omnia præcepta Decalogi ad illa duo referuntur, ſicut concluſiones ad principia communia; ſunt enim iſta prima, & communia præcepta legis naturæ, & diuinæ, *S. Thomas 1. 2. q. 100. ar. 3. ad 1. Boyuinus de charit. q. 4. concluſ.* 1. & alij communiter.

20 Dico 5. Actus charitatis proximi non poteſt eſſe ſine dilectione Dei. Ita Theologi cum *D. Thoma*, qui ad locum Pauli ad *Rom. 13. lect. 1.* ſic ait: *In dilectione proximi includitur dilectio Dei, ſicut cauſa includitur in effectu, Nau. c. 11. num. 9. Filliuc. tr. 22. c. 9. q. 8. nu. 289.* alijque. Contra *Leandrum à Sacr. m. d. 2. q. 17. Trullench. 1. Decal. c. 4. dub. 4 nu. 19.* & alios.

Probatur; nam præceptum affirmatiuum charitatis nos obligat diligere proximum propter Deum: Ergo iſte actus nequit non eſſe ſimul charitatis Dei. Vide ſupra, vbi notaui, actum charitatis, ſeu dilectionis proximi aliquando eſſe diſtinctum numero ab actu dilectionis Dei, ab illo tamen procedentem, aliquando eundem numero. Vnde *Apoſt. cit. cap. 13. ad Rom.* inquit: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ex cuius verbis *D. Auguſtinus to. 9. tr. 9. in 1. Ioan. 4.* ſic infert: *Neceſſe eſt ergo, vt Deum diligat, qui diligit fratrem*: Petrus etiam Apoſtolus *epiſt. 1. c. 4.* dixit: *Mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Vbi requirit charitatem mutuam proximi, quę habet connexum actum charitatis Dei: nam hæc ſola operit multitudinem peccatorum. Præterea idem tradit Ioannes diſcipulus dilectus, *qui,* (vt refert *S. Hieronymus in epiſt. ad Galatas l. 5. c. 6.*) *nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem diſcipuli, & fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, dixerunt, Magiſter, quare ſemper hoc loqueris? Qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam: Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Non ſufficeret autem ſi actus ſupernaturalis charitatis erga proximum eſſet ſine actu charitatis Dei.

21 Hinc præceptum charitatis proximi impleri non poteſt ſine gratia Sanctificante. Ita Theologi cum *D. Thoma 1. 2. qu. 100, ar. 10.* contra *Trul-*

Digitized by Google

Trullench ſupra nu. 15. & alios; nam dilectio ſupernaturalis proximi debet eſſe vnus actus, vel ſaltem coniuncta cum dilectione ſupernaturali Dei, quæ non eſt ſine gratia ſanctificante.

22 Dico 6. Præceptum dilectionis proximi ſe extendit ad omnes creaturas rationales, quæ veniunt, vt ſupra nomine proximi; & ſic tàm iuſtos, quàm peccatores, tàm fideles, quàm infideles viatores, tàm amicos, quàm inimicos. Ita communiter Theologi cum *D. Thoma* 2.2. *q.*25. *ar.*8. & nouiſſimè *Sporer p.*3. *tr.*3. *c.*6 *ſect.*1. *§.*3. *nu.*13. & *Lucenſis ſupra num.*4.

Probatur, & ſimul explicatur, præmittendo, magnam fuiſſe apud Iudæos diſſenſionem, qui venirent intelligendi nomine *proximi*, quem charitatis præcepto in ſupracitato *Leuitici* 19. amare tenebantur, nam quia vox Hebræa *Reang*; tàm proximum, quàm amicum, ſocium, coniunctum ſignificat, in varias circa dicti præcepti intelligentiam opiniones abierunt. Quidam enim aſſerebant, benefactores tantum, & eos, qui nobis aliquo ſpecialis amicitiæ vinculo ſunt coniuncti, eo nomine denotari, ac proinde horum dumtaxat dilectionem præcipi, ſecus autem inimicorum, quinimò illorum odium ex indirecto iuberi, vt conſtat ex illo *Matthæi* 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum?* Quidam verò affirmabant, ſolum eſſe proximum illum, qui eiuſdem gentis, & religionis erat; atque ideo infideles, & alienigenas non eſſe vt proximos diligendos, ſed, potiùs quaſi inimicos aduerſandos. Alij autem opinabantur, ſolos iuſtos proximi nomine cenſeri. Verum hanc litem, in qua Iudæi à veritate aberrabant, optimè diremit Chriſtus Dominus *Lucæ*, 10. ex cuius doctrinæ, & SS. Patrum expoſitione liquido conſtat, proximum charitatis præcepto diligendum eſſe omnem creaturam rationalem, cui poſſibilis eſt abſolutè, & ſimpliciter aſſequutio ſupernaturalis beatitudinis, quales ſunt homines, & Angeli, Beati, & Viatores. Qui enim æternas pœnas luunt, ſunt extra rationem proximi, quia iam non poſſunt communicare nobiſcum in æterna beatitudine; nam ratio formalis conſtitutiua creaturæ intellectualis in eſſe proximi, quem per ſe reſpicit charitas, eſt prædicta poſſibilitas, ſeù capacitas ad conſecutionem ſupernaturalis beatitudinis. Tum quia illa eſt ratio formalis conſtitutiua alicuius effectus, qua poſita ponitur, & ablata auferitur: ſed poſita in creatura intellectuali prædicta poſſibilitate ad conſequendam beatitudinem, eſt proximus per charitatem diligendus, & ea ablata deſinit eſſe proximus, vt conſtat ex ijs, qui æternis pœnis ſunt addicti; Ergo &c. Tum etiam, quia eo ipſo, quod aliqua creatura ſit in ſtatu conſequendi æternam beatitudinem: coniungitur nobis per communicationem beneficiorum ſpectantium ad vitam æternam, quatenus vel illa nobis conferre poteſt, vel à nobis recipere: Sed ratio proximi attenditur penes hanc communicationem, vt docent *D. Auguſt. l.*1. *de*

Digitized by Google

Doctr. Chriſt. cap. 30. & D. Thomas 2. 2. quæſt. 25. ar. 10. & q. vn. de char. ar. 7. ad vlt. Ergo prædicta capacitas, ſeu poſſibilitas ad conſequutionem prædictæ beatitudinis eſt ratio conſtitutiua creaturæ rationalis in eſſe proximi noſtri diligendi præcepto charitatis. Confirmatur ex *Matth 18. Si peccauerit in te frater tuus*, vbi qui in alium peccat, ac per conſequens peccator, inimicus eius eſt, adhuc retinet nomen fratris, adeoque *proximi*.

23 Abeant igitur, qui in lege noua, teſte *Magiſtr. ſent. in 3. d. 30.* auſi ſunt negare præceptum dilectionis inimicorum, vel ſimpliciter, aut ſaltem reſpectu imperfectorum, docendo dilectionem inimicorum eſſe ſub conſilio, non ſub præcepto: aut ſaltem eſſe ſub præcepto viris perfectis tantum, ſub conſilio reliquis: quin & turpius errauerunt quidam alii, quorum meminit *Arriaga d. 39. num. 11.* arbitrati, dilectionem inimicorum eſſe rem humanis viribus impoſſibilem, & incongruam conſilii materiam. Veritas verò hiſce erroribus oppoſita aſtruitur à *Magiſtro cit. d. 30. Scoto ead. diſt. qu. vn. D. Thoma ſupra*, cæteriſque catholicis omnibus, adeò vt de fide cenſeatur ab *Amico tr. de Fide, Spe, & Char. d. 28. num. 49.* & *Leandro à Sacram. tom. 6. tr. 4. d. 4. qu. 1.* & quod verba tum antiqui, tum noui Teſtamenti pro inimicorum dilectione militantia intelligantur continere præceptum à Scholaſticis, & Patribus vnanimiter, idemque habeatur ex doctrina Conciliorum Carthaginenſis, & Agathenſis apud *Suarium d. 5. ſect. 5. num. 3.* Idem euincunt illa vniuerſalia principia: *Quod tibi non vis fieri, &c.* vnuſquiſque enim vult ab omnibus, etiam ab inimicis amari, & in neceſſitatibus præſertim adiuuari, non lædi. Propterea talis obligatio non eſt propria nouæ legis, ſed communis antiquæ, & de dilectione proximi in vniuerſum præceptum eſt de iure non ſupernaturali, ac poſitiuo dumtaxat, ſed etiam naturali. Vnde & ſolo naturæ lumine, ac dictamine eam obligationem nouerunt, ac commendarunt Philoſophi Gentiles inſigniores apud *Amicum*.

24 Sunt igitur peccatores etiam inimici ex charitate diligibiles, & diligendi, ſubintellige ſecundum naturam, non ſecundum culpam. Et ratio fundamentalis iam eſt aſſignata; quia remanent ſecundum naturam, capaces ſupernaturalium bonorum æternæque beatitudinis; & ex alia parte optimè haberi poteſt odium peccati, quod eſt odium abominationis ſine odio peccatoris, quod eſſet odium inimicitiæ. Vnde eſt illud *D. Proſperi ſent. 2. Aliud eſt amare, quod facti ſunt, aliud odiſſe, quod faciunt.* Et *D. Auguſt. l. 4. de Ciuit. c. 6. Oderit vitium, amet hominem.* Nec nos poſſumus in hoc imitari Deum; cui peccatores ſunt odibiles non ſolum odio abominationis, ſed etiam inimicitiæ. Odium namque inimicitiæ vltra diſplicentiam perſonæ, importat voluntatem, qua quis tali perſonæ malum, vt ipſi malum vult, præſertim ad vlciſcendam iniuriam ab ea-

dem

Digitized by Google

dem perſona ſibi illatam. Porrò Deus vtpotè ſupremus Iudex, ac Dominus, habet legitimum ius ſumendi vindictam ob iniurias ſibi illatas, & volendi, ac inferendi eis, qui iniurias irrogant, malum, vt ipſis malum; nos verò non poſſumus iure proprio, & priuata auctoritate vlciſci irrogatas nobis iniurias, tituloque vltionis malum inferre; aut velle ei, qui iniuriam irrogat: ſed potius diligere, propter præceptum, quem habemus benefaciendi omnibus, etiam iis, quos inimicos patimur, vt patet *Lucæ* 6. & *Matthæi* 5. Neque, hinc læditur charitatis noſtræ cum diuina conformitas, quia hæc ſeruari debet ſolùm, vbi ſunt cætera paria; licet non negauerim peccatores reddi ex culpa odibiles à nobis odio abominationis, & diſplicentiæ, de quo *Arriaga cit. d. 39. ſect. 2. nu. 15. & d. 37. ſect. 3. n. 28.*

25 Dico 7. Quis tenetur diligere proximum per ſe per actum charitatis, etiam extra occaſiones neceſſitatis. Ita Theologi communiter, quos ſequuntur *Catheranus tr. 6. c. 5. §. 3. nu. 37. Hurtadus De la Fuente hìc diſſert. 7. c. 2. à nu.* 20. Contra *Scotum, Suarium, Coninch, Coton. Caſtropal.* & alios, quos *Cardenas ſupra c. 2.* exiſtimat probabiliter loqui.

Probatur. Tum ex paritate præcepti charitatis internæ erga Deum, ad quam obligamur per ſe, & ex ſe præcisè independenter ab eo, quod ſit neceſſaria, aut ad obſeruandum aliquod aliud præceptum, aut ad vincendam aliquam tentationem, aut ad conſequendam iuſtificationem, aut ad quid ſimile. Tum, quia, ſi obligatio charitatis internæ erga proximum vrgeret ſolum, quando eam poſtulat aut alterius ſubuentio, aut odii depoſitio, non omnes obligaret; ſiluicolis enim, & ſolitariis, V. g. facile euenire poteſt, vt nec incidant in odium, quod debeant deponere, nec in aliquem, cui debeant ſubuenire; iſti enim igitur numquam obligarentur ad actum dilectionis internæ ex charitate erga proximum. Quod eſt falſiſſimum. Tum quia ex vi iſtius mandati non ſolum tenemur diligere paucos illos, qui beneuolentiam noſtram, aut beneficentiam ſpecialem experiri debent; ſed ſaltem in communi omnes alios, qui in Deo ſunt nobis coniuncti, vt vnius corporis membra ordinata ad eundem finem, & tanquam inuicem conſerui, & fratres ad familiam Dei ſpectantes, & & eiuſdem beatitudinis conſortes, quamuis ſint nobis ignoti, & loco diſtantes; vt de Æthiopibus, & Indis *S. Thomas* affirmabat, & iterum confirmat *2. 2. qu. 24. art. 8. in corp.* præeunte *D. Auguſt. l. 1. de Doctr. Chriſt. toto cap. 28. & 29.* Et ſicut pro omnibus iſtis quandoue orare debemus, ſicut pro nobis ipſis, *Iacobi 5. verſ. 16. Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et hoc præceptum ad internam purèque mentalem orationem obligat, quamuis nulla adſit neceſſitas pro illis orandi vocaliter: ita ſimiliter de præcepto dilectionis mutuę loqui, atque ſentire oportet: Ergo datur huius præcepti obligatio per ſe, & non tantum per accidens. Tum denique, quia dilectio proximi in charitatis coniunctione fundata, ſeù in vnio-

Ff ne

ne cum Deo, aut Chriſto, eſt nobiliſſimus actus ſecundus poſt Dei amorem, ab eadem virtute elicitus, & ad eum proximè accedens: & inſuper valdè neceſſarius ad puritatem cordis, ad præcauenda peccata interiora aduerſus proximos, ad ſubueniendum ſingulis, cum id tulerit neceſſitas, ad totamque vitam noſtram erga Deum, & alios, quinimò & circa nos ipſos legitime componendos. Quare ob ſummam excellentiam intra rationem virtutis, tamquam plenitudo, ac finis legis theologica charitate præcipitur, ſicut ipſa Dei dilectio: Ergo ſecluſa qualibet neceſſitate extrinſeca, propter ſe exerceri debet, multò potiori ratione, quam oratio, vel quam amor erga vxores, aut parentes, aut quam alius quiuis, quo ſe diligunt homines, vt homines ſunt, etiam amicitia honeſta. Conſtito igitur, quod obligat per ſe.

26 Dico 8. Hoc præceptum, quatenus eſt negatiuum, obligat ſemper, & ad ſemper, ſeù pro ſemper, & in quacumque temporis differentia. Ita *Nau. in Man.c.14.num 8. & 9. Trullench ſupra num.7. Sporer num.15.* & alii communiter.

27 Probatur. Quia numquam poſſumus excludere proximum etiam inimicum noſtrum, ab amore, quo Deum, & proximum in genere diligimus, niſi ſit iam damnatus. *S.Thomas 2.2.qu.25.art.6.8. & 9.* Vnde tenemur ſemper odium proximi deponere, eſſeque animo paratos ad eum diligendum, ſi neceſsè ſit: quod eſt diligere proximum in particulari negatiuè. Non tamen ex eo, quod experiaris te trepidare coram eo, qui te offendit, imò & expalleſcere, & cupere eum non videre, vel vt longè diſcedat, ſtatim te putare debes peccare, ſi ad malum deſiderandum non procedas: illi enim ſunt motus naturales neceſſariò ſequentes ex præſentia obiecti apprehenſi, vt ſibi moleſti, non verò actus voluntarii de malo alterius. Ita *Sancius in ſelectis d.2.nu.11.in fine, Tambur.l.5.Decal.c.1. §.3.n.1. Felix à Panormo to.2.Exam.Eccleſ.d.4.n.200.* & alii.

28 Porrò non ſemper, quod velimus inimico malum, eſt peccatum; ſed diſtinguendi ſunt quinque actus. Primus eſt, quo malum eo fine, eaque intentione velimus, vt ipſi malum abſolutè ſit, nihil aliud addendo: & hic actus eſt à charitate omninò interdictus, eſtque ita intrinſece malus, vt nulla ratione honeſtari poſſit: eſtque mortalis, niſi paruitas materiæ leniat. Secundus eſt ex intentione, vt inimicus emẽdetur; qua ratione Pater filio vult verbera infligere, vt is corrigatur. Et hic actus eſt virtutis, eo modo, quo *Leſſius l.2.c.47. dub.4.n.21.* explicat. Tertius eſt, ex intentione, vt malefactor, quique me læſit, à malefaciendo mihi, & proximis auertatur. Et hic quoque eſt virtutis, eo modo quo explicat citatus Auctor. Quartus eſt, quia bonũ, & ſecundũ Iuſtitiã eſt, vt qui malè agit tantumdẽ habeat pœnæ, quantum meretur eius culpa; & hic actus, quo malefactori deſideratur, vt pœnam, & incommodum ſubeat; pro iuſtitiæ æqualitate cuſtodienda etiam eſt virtutis, modo ab eodem *Leſſio* explicato. Et hinc impreca-
tio-

tiones in Sacra Scriptura contentæ, non fauent primo modo, ſed aliis relatis; nam & ea mala non tam imprecantur, quam prædicuntur; vt explicat *Auguſtinus*, & alii; & admitto quod imprecatiuè dicantur; non illa mala peccatoribus imprecamur, quatenus illis mala ſunt, ſed quatenus per illa diuina iuſtitia oſtenditur, & alij eorum punitione corriguntur, ipſique à peccando ceſſant, *D.Thomas 2.2.qu.25.ar.6.& q.83.ar.8.* Quintus actus eſt, vt fiat aliqua reparatio iniuriæ, & ſatisfactio; dum enim ille punitur propter iniuriam illatam reſtituitur ex parte honor parti læſæ, eique aliqua ſatisfactio exhibetur, & hic etiam eſt licitus: quia non ſiſtitur in malo, ſed in recto ordine iuſtitiæ; ſi tamen fiat debito modo, nempè medio Iudice, non autem immediatè per ipſum læſum: læſus enim licèt poſſit ex *Sancio Le.nu.11.Tambur.nu.8.Caſtropalao*, & aliis à Iudice, imò & à Deo petere prædictam vindictam iuſtam, quantum, ſcilicet, meretur culpa lędentis: non poteſt tamen ex ſe ipſo infligere, iuxta illud ad *Rom.12.Mihi vindictam, & ego retribuam.* Fatetur tamen *Tambur. l.c. num.7.*& benè, in hoc quinto ineſſe magnum periculum, ne dum illum exerces, tranſilias ad primum.

29 Obligaris tamen iniurianti remittere ex corde offenſam, etiam ſi non petat; quod eſt dicere, te obligatum eſſe abſtinere à volitione vindictæ, qua malum iniuriantis eſt; vt conſtat ex nuper dictis, & videtur de fide ex illo *Matthæi* 18. vbi Chriſtus minatur: tradendos eſſe tortoribus, qui ex corde iniurias acceptas non remiſerint, & tradunt: *Nau.Lorca, Suarez, Valent, Conin:b, Tamburinus*, aliique. Et præterea eodem prę cepto teneris, vt hanc remiſſionem non in corde ſolum, & animo confoueas occultè, ſed vt proximis, & ipſi præſertim inimico palàm facias: ex virtute enim Charitatis obligaris nulli eſſe ſcandalum, ſeù non eſſe occaſionem proximo, qua ipſe peccat: at ſi inimico hunc remittendi animum non oſtendas, perdurabit ipſe in inimicitia, cuius tu potiſſima cauſa iam eſſes. Ita *Tambur.ſupra num.1. Sanchez*, & alii cum *Caſtropalao p.1.tr.5.d.1.pu.6.num.3.* dicente: *Addendumque eſt, te non ſolum obligatum eſſe ex corde remittere offenſam, ſed te ita cum inimico portare, vt neque ipſi, neque alijs præbeas fundamentum ſuſpicandi rancorem, & inimicitiam habere, quia ex obligatione charitatis teneris nemini ſcandalum eſſe, ex quo fit, ſi ipſe veniam petat, & doleat de iniuria facta, te obligatum eſſe ſignificare illi te ex animo depoſuiſſe odium; quia, ſi id non ſignificas, præbes ſufficiens fundamentum, vt omnes intelligant, te verè illius eſſe inimicum, illique malum velle, & conſequenter illi ſcandalum eſt, & occaſio, vt inimicitia perſeueret.* Ita ille ex *D.Thoma*, & aliis.

30 Dico 9. Hoc præceptum dilectionis proximi, quatenus affirmatiuum, reſpectu proximi in communi, obligat per ſe ad diligendum illum actu interno, & formali, cum primum proponitur, lex diuina, iuxta quam homo tenetur diligere Deum, & proximum propter Deum,

Digitized by Google

Cardenas in criſi Theolog. diſſer. 8. *c.* 4. *num.* 39. Item frequenter in vita. Et *Bannez* 2. 2. *qu.* 44. *ar.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 4. propendet ad ſemel in anno. Quod etiam docent *Petrus de Ledeſma*, & alii, quos ſequitur *Hurtadus De la Fuẽte ſupra c.* 2. *num.* 23. & eſt ſatis probabile; ſicut etiam ſatis probabile iudicauimus circa præceptum charitatis Dei; nam iſtud eſt illi ſimile. Multi aſſignant maius temporis ſpatium. *Gabr.* enim *d. S. V. dub.* 3. *nu* 69. cohærenter ad ſuam ſententiam de dilectione Dei præcepta ait, quod hoc præceptum obligat tertio, vel quarto, quoque anno. *Cardenas* ſatis probabiliter putat obligare per ſe ſæpius intra annum, vt dicat de præcepto dilectionis Dei, & probat ex *cit. epiſt.* 1. *Petri c.* 4. *Mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.* Vbi *S. Thomas* ly *continuam* interpretatur, *ideſt non interruptam*, Intellige moraliter. Vnde etiam rectè ad omiſſiones dilectionis proximi extendit *Bannez* ſanum illud & ſalutare conſilium, quod ex *Valen. Syluio*, & *Chacberano* retulimus ſupra agentes de dilectione Dei.

31 Dico 10. Hoc præceptum dilectionis proximi, quatenus affirmatiuum, obligat per accidens ratione neceſſitatis pro loco, & tempore ſuperuenientis. Ita *Hurt. De la Fuente*, *ſupra n.* 22. alijſque communiter.

Probatur. Quia exercitium huius actus eſſe poterit interdum moraliter neceſſarium ad graues tentationes vincendas ipſi præcepto affirmatiuo contrarias: V. g. tentationem vehementer, & importune inclinantem ad propoſitum nunquam diligendi proximos actu formali, & interno, vel excipiendi inimicos, vel non exhibendi ipſis ſigna vera dilectionis; ſed apparentia dumtaxat, & compoſita ad fallendum, vel non ſubueniendi ipſis, niſi ſpecialiori alia amicitiæ ratione coniungantur; quamuis id facere poſſit abſque ſuo detrimento. Nec dubium, quin hæc dilectio tanquam robuſtior, ac fortior alijs dilectionibus humanis, vtpotè fundata in Deo, & ſummam eius bonitatem immediatè reſpiciens, vt formalem rationem diligendi, vi atque imperio ſuo præualere poſſit contra plures difficultates, & pericula, quibus alioqui ſuccumberent, poſtquam vident non ſufficere alia media.

32 Dico 11. Reſpectu proximi in ſpeciali, ſeu ſingulari obligatio ſpecialis dilectionis tam internę, quã externæ non obligat per ſe, ſed ſolum in caſu neceſſitatis pro loco, ac tempore fortè incidentis. Ita *S. Thomas qu.* 1. *de char. ar.* 8. *in corp.* & cum alijs communiter *Leand. à Sacram. to.* 1. *in Decal. tr.* 4. *d.* 4. *q.* 7.

Patet auctoritate *Auguſtini l.* 1. *de Doctr. Chriſt. c.* 28. Et videtur communis perſuaſio Fidelium. *Acacius de Velaſco to.* 1. *reſol. mor. V. Amare proximum reſ.* 55. *num.* 4. ait communem eſſe ſententiam *D. Thomæ*, aliorumque Doctorum, quod non teneamur diligere proximum actibus internis ſpecialibus, niſi eo caſu, quo eſſet neceſſarium ad vitandum odium: Sed profectò *S. Thomas* iam ralatus hunc dumtaxat caſum non excepit: Sed obligatio.

gationem affectus, & effectus ſpecialis ad omnes alios extendit, vbi ille, qui nulla alia neceſſitudine, niſi charitatis, ad nos attinet conſtitutus eſt pro loco, & tempore in neceſſitate, per quam ei ſine nobis ſuccurri non poteſt. Doctores, etiam mox referendi rectè conſiderant, ſpecialem hunc affectum eſſe poſſe neceſſarium, non tantum ad extirpandum odium, ſed etiam ad quædam opera miſericordiæ exequenda.

33 Itaque adeſt hæc obligatio 1.quando graues odij tentationes circà proximum in particulari exurgunt, quæ aliter ſuperari nequeunt. Ita *Lorca, Trullench, Lucenſis*, & alij communiter. Secundo quando inimicus veniam petit; tunc enim debet deponere odium, & cum eo reconciliari. *Filliuc.to.2.tr.28.c.1.q.5.n.11.* & alij communiter. Porrò dum inimicus lædens veniam poſtulat, læſum aſtringi aliqua ſigna exhibere, quibus ſignificet, illum in amicitiam recipere, innuimus ſupra ex *Caſtropalao*, cui addimus *Sà, Bonac. Suarium, Coninch. Tambur.* & alios; quia omiſſio talis ſigni in illa occaſione, eſſet ſignum rancoris & odij. Excipiunt ab hoc obligatione ſuperiorem offenſum, affirmantes, hunc poſſe aliquantulum retardare remiſſionem, & animum offenſum oſtendere, vt ſubditus grauitatem ſuæ culpæ apprehendat, illamque iterum fugiat; quia tunc illa oſtenſio non eſt ſignum inimicitiæ, ſed prorſus amicitiæ, cum in bonum ſubditi fiat: Item illa oſtenſio eſt quædam culpæ punitio, quæ ſuperioribus permiſſa eſt. Conſentit *Felix à Panormo ſupra num.198*, dicens, quod perſona publica, nempè Prælatus, Superior, Princeps regulariter poteſt, imò debet ſubdito deficienti, ſigna ne dum ſpecialia, verum etiam communia denegare, atque etiam aſperum, & auſterum vultum oſtendere; quia hoc non eſſet ſignum odij, ſed medicina, vt ſubditus ſe emendet, qui ſepè in peiora prolaberetur, ſi poſt defectum, ſuperiorem ſcientem adhuc hilarem, atque beneuolum experiretur. Idem afferit *Reiffenſtuel Theol. mor. tr.4. diſt.6.qu.2. num.17.* in Parente; Pater enim offenſus a filio, poteſt in locum pœnæ eidem negare reconciliationem; imò à domo ad tempus excludere, donec reſipiſcat, aut conuenientem pœnam luiſſe cenſeatur, exemplo Regis Dauid, qui diu à facie ſua excluſit Abſalon filium ſuũ: 2. *Reg.*14. Cauendũ tamen eſſe, benè *Coninch, & Tambur.* aduertũt, ne ex odio fiat, & ex illo oriri intelligatur, neue ſubditus nimis exaſperetur. Præterea dictum, nempe nos teneri cum inimico veniat petente reconciliari, ſeù pacem componere, intelligendum eſt in primis, quando debito modo veniam petit, & ſe legitimæ ſatisfactioni offert; nam ſi vel fictè, vel frigidè, vel ſuperbè petierit, ei veniam dare minimè compellimur. Ita *Azorius to.2. l.12.c.3. quæſt.7. Trullench l.1.in Decal.c.5.dub.5.nu.13.* Deinde intelligendum eſt, ſi ſufficiens tempus ab iniuria elapſum eſt; nam ſtatim ac offenſa illata eſt, non tenemur: eſt enim res violenta, & ſuper humanam fragilitatem; recentia namque vulnera non ſtatim ſanantur, & difficile eſt ſtatim noxam lædenti remittere,

rere, cum adhuc ſedata animi perturbatio non ſit, & recens ſit iniuria, ac vulnus acceptum. Ita *Azorius l.c. Filliuc. ſupra quæſt 9. n. m. 25. Villalobos 2. p. tr. 3. diffic. 6. nu. 12. Tambur. num. 22. Trullench l.c.* qui addit, quod conſulenda tamen ſit veniæ datio, ac procuranda, tanquam res magis perfecta, ad imitationem Chriſti, & Sanctorum. Intelligitur denique, ne quando maiora, & plura mala probabiliter timeantur. *Trullench* vbi ſupra. Tertiò quando proximus in neceſſitate ſpirituali conſtitutus talis amoris noſtri actu indiget; vt ſi ſit neceſſitas adminiſtrandi Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ei, qui extrema neceſſitate laborat; vel ſi neceſſitas correctionis, vel alia ſimilis cauſa ad id impellat, & obliget. *Nauar. Trullench, Coninch*, & alij communiter. Quando vero indigentia proximi eſt corporalis, ſatis eſt ſubſidium præſtare illi amore naturali, vel virtute miſericordiæ moti: vnde non debemus tunc bona gratiæ, & gloriæ optando, proximo ſuccurrere. *Nau. c. 14. num. 9.* Quod limitat cum *Azorio Trullench.* quando amor naturalis tantum obligat: ſecus tamen ſi obliget charitas diuina. Probabile etiam putat *Hurt. De la fuente cit. diſert. 7. c. 3. num. 29.* eumdem affectum charitatis ſpecialem, & internum quandoque deſiderari ad ſatisfaciendum debito gratitudinis orto ex magnis beneficijs, & magna nobis charitate collatis; nam plurimi id ipſum aſſerunt de affectu charitatis erga Deum.

34 Sed circa inimicum. Quæres 1. An liceat inimicum excludere à communibus beneficijs?

Reſp. neganter. Vnde ſi omnibus ciuibus, vel vicinis eleemoſynam impartiaris omnibus huius familiæ legata, quantumuis voluntariè diſtribuas, &c. non potes inimicum, qui fortè inter hos inuenitur, excludere. Ita *Suarez, Coninch, Valen. Tambur. Sporer*, & alij cum *D. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 9.* Ratio eſt: quia perſpicuum eſſet indicium odij aliquem ex illis non admittere. Hoc tamen ceſſat, & ſic non peccas, ſi inimicum, non quatenus inimicum, ſed ex alia cauſa honeſta excludis, illamque cauſam alijs manifeſtas. Hinc ſi beneficium impertiendum, omnibus non ſuppetit, poteteris omittere calumniatores, & alijs conferre. Item ſi ſcires interceſſionem tuam pro omnibus factam, non omnibus profuturam, poteris pro amicis impendere, inimicis excluſis; quia tunc non excludis inimicos, quia inimici, ſed quia pallium breue eſt, & multos operire non poteſt: quo in caſu prudentia dictat, vt potius amicis, quam inimicis faueas. Sic *Valen. & Conich*, cum *D. Thoma ſupra, Bannez, & Lorca.* Imò quando quis nullo præcepto cogitur dare eleemoſynam pauperibus huius, vel illius loci, ſi vna cum quibuſdam alijs, qui non ſunt eius inimici, relinquat ſuum inimicum, non peccat contra præceptum charitatis, quia illum non excludis à ſignis communibus dilectionis, ſed à ſpecialibus. Ita *Anton. à Spir. Sancto ſupra ſect. 3. nu. 22. Leand. r à Sacram. d. 4. q. 5.* Quod ſi res tantum verſetur interius, *Amicus de Char. d. 28. num. 50. Turrianus*, & alij volunt, licere

Digitized by Google

cere excluſionem inimicorum, ſi fiat in orationibus, quæ ſine obligatione offeruntur, & interno dumtaxat affectu. Nihilominus cum talis excluſio nullum ex ſe bonum afferat, ratione cuius ſit honeſtè appetibilis, non videtur poſſe aliundè prouenire, quam ex odio, & appetitu vindictæ. Erit igitur illicita, & contra obligationem charitatis. Et in hoc ſenſu dixit Chriſtus *Matthæi* 5. nos debere orare pro perſecutoribus & illis benefacere: hoc eſt, quando pro alijs oramus, ijſque benefacimus. Ita *Caſtropal. cit. p. 6. num. 4. Catheranus tr. 6. l. 2. c. 5. §. 3. num. 41. Tambur. Felix, d. Panormo*, alijque communiter. Vnde *Tambur. in opuſc. de Sacrific. miſſæ l. 2. c. 2. §. 13. Card. & Franc b. de Lugo*, alijque communiter docent: fore peccati mortalis reum Sacerdotem, ſi à participatione ſui ſacrificij quoad fructum generalem inimicum velit excludere.

35 Quæres 2. An inimicis teneamur ſigna ſpecialis amoris exhibere?

Reſp. negatiuè. Ita cum *Toleto*, & alijs, *Leander à Sacram. quæſt.* 15. Quia inimicitia non eſt titulus, ob quem inimicus ſit dignus aliquo bono ſpeciali, vt ſunt accommodationes rerum domeſticarum, locutiones ſpeciales, crebra aſſiſtentia in menſa, viſitationes communes amicorum. Hinc à fortiori non tenemur inimicum admittere ad peculiarem familiaritatem, proſequi amore extraordinario, liberale donum elargiri. Quod ſi hæc ſigna inimicis præſtentur, erit de charitatis perfectione, non de neceſſitate: de conſilio, non de præcepto: & erit illa inimicorum dilectio, quam *Auguſt. in Enchir. c. 73.* docet eſſe tantùm perfectorum filiorum Dei, non multitudinis imperfectorum. Ita *Catheran. ſupra, Ant. à Sp. San. nu.* 24. & alij communiter.

36 Quæres 3. An adſit obligatio ſalutandi inimicum?

Reſp. Te non eſſe regulariter obligatum ſalutare inimicum. Ita *Suar. Coninch, Bonac. Diana*, & alij communiter. Ratio eſt, quia inimicis non debemus, niſi ſigna communia; ſalutatio autem non eſt ſic, cum multos homines prætereamus inſalutatos: vnde ſalutationis omiſſio non eſt per ſe ſignum odii, nec ex ſe excitans inimicum ad odio habendum non ſalutantem. Dixi *regulariter*, nam ſi antea ſolitus eſſes illum ſalutare, & nunc à ſalutatione abſtineas: vel ſi ex circumſtantijs colligatur, te nunc ſalutationem omittere ex odio, propter iniuriam acceptam: vel ſi inimicus ſit tuus ſuperior: vel ſi occurrentibus pluribus inter quos eſt inimicus, cæteros ſalutes, excepto inimico; vel ſi vltra omiſſionem ſalutationis oculis præter ſolitum toruis inimicum aſpicias, inſolitoque faſtu pileum capiti comprimas; peccabis ſanè, quia ſic fomitem odij ſine dubio præbebis Ita *Tambur. ſupra nu.* 12. *Lucenſis nu.* 11. *Sporer*, & alij. Et in his caſibus omiſſio eſt mortale per ſe loquendo. Ita cum alijs *Leander à Sacr. q.* 7. & *Sporer*, contra *Lorcam* negantem eſſe mortale omiſſionem ſalutationis, ſi occurrentibus pluribus, inter quos eſt inimicus, omnes, excepto inimico, ſalutes. Et *Baſſæus V. Charitas num,* 14. ac *Reiffenſtuel cit q. 2. nu.* 18. cum

aliis

Digitized by Google

ue, vt inter patrem, & filium, & ita cum *Valero citato Tamburinus*.

37 Quæres 4. An ſit obligatio reſalutandi?

Reſp. affirmatiue. Vnde ſi inimicum modo dicto grauiter tibi infenſum, te ſalutantem non reſalutes, peccas mortaliter. Ita *Tambur. num. 14. Leander à Sacr. q. 11. Ant. à Sp. San. ſect. 6. num. 34. Lucenſis num. 11. Suarez, Conimb, Bonac. Petrus Hurtadus, Sporer*, & alij contra *Lorcam, Vidal & Dianam* putantes eſſe veniale. Ratio eſt, quia poſita iniuria, omiſſio reſalutationis non ſolum imputatur inurbanitati, ſed maximè odio. Excipe, niſi adeo inferior eſſet ſalutans, vel eæ adeſſent circumſtantiæ, vt eiuſdem odij indicium non ferret. Idem (puto) eſſe, ſi ita animo diſtracto te ſimules, vt verè appareat, ad ſalutationem non aduertiſſe. *Tambur.* vbi ſupra *Ant. à Sp. San. nu. 35. Leand. à Sacr. q. 13.* idem dicens de Prælato reſpectu ſubditi, Patre reſpectu filij: Hinc deeſt mortale, ſi iniuria ſit grauis, & recens, & ſalutatus ſit timoratæ, conſcientiæ, vt omiſſio reſalutationis attribuatur fragilitati conditionis humanæ, quæ non patitur tam ſubito reſalutare offenſorem. *Felix à Panormo l. c. nu. 195.* Sic etiam ſi matrona nobilis non reſalutet more patriæ occiſorem ſui filij, putà inclinato corpore, vel ſaltem capite, in hac enim cũ vindictam de iniuria non ſumat, omiſſio reſalutationis non eſt ſignum odij, ſed ſenſus iuſti doloris, vel muliebris faſtus, vel quid ſimile. *Tambur. l. c. num. 12. Felix à Panormo cit. num. 19.* qui addit, ſolere mulieres vitare occiſoris aſpectum, non ratione odij, ſed ne dolorem renouet, cum memoria occiſi filij.

38 Quæres 5. An adſit obligatio inimicum alloquendi?

Reſp negatiuè cum communi; quia inimicum non alloqui ſignum per ſe non eſt odij; cum non ſit omni proximo debita alloquendi familiaritas. Tamen ſi ante conceptam inimicitiam, cum eo ſermones miſcebas obligaris, ex *Tambur. nu 25.* & alijs à colloquendo te non ſubtrahere: eo modo, ijſque limitationibus allatis de ſalutatione. Et quando allocutio alias debita non eſt, ſi tamen præuideas, ex tua allocutione fore, vt inimicus odium deponat, obligaris alloqui; ſi ſine notabili animi difficultate potes; quia bonum Spirituale proximi, quale tunc eſt depoſitio odij, procurare ex charitate tenemur, cum aliquo incommodo. Ita *Conimb d. 25. dub. 6. nu. 92. Tambur. nu. 26. Felix à Panormo nu. 191. Reiffenſtuel num. 23.* & alij. Et idem dicendum eſt, quando læſus præuidit ex ſua ſalutatione fore, vt inimicus odium deponat, nam tunc tenetur ex charitate eum ſalutare, ſi ſine multa animi difficultate, & graui incommodo poteſt. Ita *Ant. à Spir. San. nu. 28. Reiffenſtuel, Sporer*, & alij.

Hinc habes, quando confeſſarius poſſit abſoluere nolentem ſalutare, aut alloqui inimicum, ſecluſo odio, & ſcandalo. Poteſt enim in caſibus, in quibus nec ſalutare, nec alloqui illi debet; ſecùs è contra. Ita cum *Caſtropalao, Leander à Sacram q. 13.* Et poteſt abſoluere Patrem, qui non vult admittere ad colloquium filium, qui indigno, vel valde inæquali

matrimonio ſe copulauit, ſi id non ſit ex odio, aut iracundia, ſed ob caſtigationem ad tempus, aut ſimile. Sic cum *Laymano*, & alijs *Leander à Sacr. q.* 14. *& Sporer*. Et ſi monialium duæ rixantes, per aliquam hebdomadam poſt rixam à colloquendo abſtinuiſſent, non condemnat de mortali *Tambur. num.* 28. ſubindeque non eſſe denegandam eis abſolutionem, & communionem; quia præſumi tunc potuiſſet expectari interim, vt ira deferueſceret, vt quę captaretur loquendi prudentior occaſio, vel quid ſimile, vnde non ſtatim ceſſatio locutionis indicari potuiſſet odij ſignum. Idemque aſſerit, ſi per aliquod non valde longum tempus rariſſimę ſe obtuliſſent ſermocinandi occaſiones.

Quando autem colloquutio debita eſt, quis incipere debeat, rectè tradit idem Auctor *num.* 27. his verbis: *Sanè debebit lædens, ſanè inferior: ſanè qui prior iniuriam intulit, & rixæ fuit quaſi primus excitator: ſanè qui notabilius offendit, etiamſi fuerit in offendendo poſterior. Sed quid, ſi vel æquales moraliter fuerint iniuriæ: vel omnibus prudenter conſideratis non ſit minor ratio, quod potius incipiat vnus, quam alter? Reſpondeo. Tunc vtrique incumbet, capta occaſione locutionem aggredi. Quod ſi accidat occaſio, in qua vni potius, quam alteri ſecundum mores regionis, ſeù propter aliquam circumſtantiam, vni conueniat loqui, non alteri; ille ſermonem incipere debet, non hic, quia tunc ita recta ratio dictat. Certè regulariter inter æquales ei incumbit prius ſalutare, qui coram altero pertranſit, quique de nouo accedit: non verò illi, qui ſtat. Simile igitur quid euenire poteſt in colloquendo. Pari modo ſi ego indigeam tuo conſilio in re quaquam, mihi incumbit loqui prius auxilium poſtulando, quàm tibi: & ſic in ſimilibus.*

39 Quæres 6. An inimico veniam petenti iniuriam remittere teneamur, quantum ad damnum illatum in honore, fama, aut bonis temporalibus, &c.

Reſp. negatiuè; ſed licitè poſſumus illius ſatisfactionem coram Iudice petere, ordine iuris ſeruato: quia hæc omnia tenetur inimicus, qui læſit præſtare nobis: Ergo nos non tenemur illi ipſa remittere: ſecus odium, & culpam, nè detur in nobis actus odii, quem deponere tenemur erga illum. Ità poſt *Valen. Suarez, Coninch, Villalobos, & Trullench, Leander à Sacram. qu.* 20. *&* 21. *Vidal. tit. de Char. inquiſ.* 1. *num.* 75. *Anton. à Spir. S. ſect.* 7. *num.* 40. qui *num.* 41. hoc limitat, ſi offenſori ſit impoſſibile ſatisfactionem offerre. Præterea *Caſtropalaus pu.* 6. *num.* 8. addit, cauendum eſſe nimium rigorem in hac ſatisfactione petenda: ſemper enim Chriſtianus pietatem redolere debet. Non tamen ſemper eſt melius, quod ſi offenſus poteſt condonare ſatisfactionem, condonet. Vnde vidua pauper filios habens, quos ſuſtentare non valet, non tenetur viri ſui interfectori illam remittere, niſi iuſtum alimentum ſubminiſtret, cum poſſit. *Leander à Sacr. q.* 22. aliique.

40 Quæres 7. An lædentem offerentem ſatisfactionem poſſit adhuc

læſus

Digitized by Google

læſus apud Iudices accuſare, accuſationemque proſequi, nec velle remiſſionem per publicum inſtrumentum, ſeu Notarij ſcripturam exhibere?

Reſp. Si hæc fiant intentione dicta in primo actu, certum eſt, eſſe mortalia: ſi aliis modis, non eſſe, etiam ſi quamcumque aliam ſatisfactionem lædens offerat. Ita *Leſſius, Suarez, Coninch, Lorca, Caſtropalaus, Trullench, Tambur. Felix à Panormo, Leander à Sacram. Vid. l. Anton. à Sp.S.* & alii communiter, cum *D.Thoma* 2.2. *qu.25. art.9.* Ratio eſt, quia læſus in his, quod iuſtum eſt, expoſcit: & eſt vtile Reipublicæ: alioquin eſſet plena hominibus pernicioſis. Abſit tamen ſcandalum, quod aberit, ſi læſus ſuam intentionem palàm faciat. *Tambur.num.21. Felix à Panormo num.199.* Et quidem conſulendum ſit, vt iuxta Chriſti Domini conſilium huic ſatisfactioni læſus renunciet, propter eiuſdem amorem, quando bonum commune præciſè talem ſatisfactionem non exigit: at ſi eam læſus vult, licite petit. Quod ſi ipſi reo id ſit prouocatiuum odii, ſcandalum erit paſſiuum: læſus enim dum rem iuſtam petit, & dum à publico Iudice eam petit nihil mali, & nihil ſpem mali habens committit: adeoque in ſcandalum peccaminoſum non incurrit. Ita Doctores mox relati. *Beia, & Azorius* dictis contradicunt ex *textu in can. ſi quis conſtitutus 90.d.* vbi *Fabianus Papa* dicit: *Si quis ob iniuriam acceptam grauiter contriſtatus eſt, & ſatisfactionem oblatam noluerit admittere, grauiſſimis pœnis ad id eſt compellendus.* At benè *Valen.* & *Caſtropal.* notant, hunc textum ſolum probare, grauiter compellendum eſſe eum, qui ſatisfactionem iniuriantis non vult admittere, vt odium deponat. Hinc Confeſſarius poteſt abſoluere pœnitentem nolentem deſiſtere ab actione iniuriarum, & lite in iudicio: ſi præuio diligenti examine comperiat, non ex odio, aut vindicta, ſed iuſtitiæ zelo hoc procedere. *Trullench num.14.* & alii cum *Reginaldo l.17.c.22.num.117.* qui benè aduertit, motum odii in parte ſenſitiua, ſine conſenſu voluntatis, non impedire abſolutionem; nec item inclinationem voluntatis ad odium ex recordatione inimici, ſi conſenſus deſit: de quo expedit animaduertere pœnitentem, nè ex conſcientia erronea peccet. Quod ſi homicida eſt iniquus perturbator boni communis non ſolum non tenetur læſus non deſiſtere ab actione criminali; verum ipſam proſequi debet, donec lædens ſuſpendatur, depoſito tamen odio illius, & ſolum ob iuſtitiæ zelum, &c. Ita cum *Toleto*, & aliis *Leander à Sacram.qu.22.* Et ſunt aliquæ perſonæ, quæ etiam ſi velint non poſſunt hanc ſatisfactionem per Iudicem remittere, vt vxor, filiusfamilias nondum emancipatus, ſeruus, & Religioſus, iuxta *Gloſſam in c. Parochianos de ſenten.excom.* quoniam actio contra iniuriam ad Superiores pertinet, ſcilicet, ad Maritum, Patrem, Dominum, & Prælatum. Sic cum *Nauar. Leand à Sacram cit.qu.22. Trullench,* aliique. Verum ſi tua ſatisfactio, exemplum punitionis delinquentis, & hi ſimiles boni fines ſint adeò leues, & cum ea facilitate animi negligi poſſint, vt longe ſupe-

Digitized by Google

rentur à damno, quod inops V.g. familia rei puniendi paſſura eſſet; tunc videtur obligare Charitas ad publicè remittendum. *Leander à Sacr.qu.26.* Videatur tamen *Tambur.n.10.*

41 Quæres 8. Inimicus, qui, læſit, obligaturne ſemper à læſo veniam ſubmiſſo animo petere?

Reſpondeo: frequentiſſimè hanc obligationem non eſſe, ſemel tamen, & iterum dari. Et in primis non datur talis obligatio, quoties aliam æquiualentem lædens exhibet, V.g. per pecuniam, per præuentionem in honore, per amicitiæ ſigna, vel officia, per amicorum interceſſiones, &c. Secundò. Quoties iniuriæ inter inimicos factæ inuicem ſe compenſant. Tertiò. Quoties læſus eam veniæ petitionem, vel non curat, vel ad iracundiam magis eum irritare iudicabimur: Vel quando apud aliquos, V g. nobiles viros vſui illa non eſt. Quarto. Quoties offenſor multò ſuperior eſt, vt non conueniat à ſubdito veniam poſtulare, niſi fortè tanta ſit iniuria Superioris, vt ad huiuſmodi petitionem ipſum prudenti iudicio vrgeat. *Tambur.ſup.num.24. Anton.à Spir.S.nu.43.* Quintò. Quoties præſumis petita venia, & ſatisfactione pro ſua parte exhibita, alium non correſponſurum; tunc enim titulo recompenſationis retinere quaſi in depoſitum ſatisfactionem poteris, quouſque videas alium paratum exhibere debitum, *Caſtropal.pu.8.num.10.* Sextò. Quoties offenſus eſt abſens, nec facilè per ſe, nec per alium conueniri poſſit. *Trullench l.1. Decal.c.5.dub.1. num.11.* Septimò. Quoties non eſt elapſum competens tempus. *Ant. à Sp.S.nu.44.* qui *num.45.* cum *Tamburino* addit, ſolum tunc eſſe neceſſariam hanc veniæ petitionem à læſo, quando grauis fuit læſio, & aliud remedium ad reconciliationem exhiberi vel non poteſt, vel omnibus à viro prudenti penſatis, non debet. Sic filius reſpectu patris, ſubditus reſpectu Prælati, vxor reſpectu viri, ſeruus reſpectu Domini, in grauioribus iniuriis ſæpè veniam petere debebunt, à quo alii facilius ex prædictis, vel ſimilibus capitibus excuſabantur.

§. TERTIVS.

Circa ordinem Charitatis complura reſoluuntur.

42 ORdinem Charitatis eſſe in præcepto, de fide definiunt Theologi, & conſtat ex illo *Cant.2. Ordinauit in me Charitatem: Matth. 10. Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me,* & ex aliis. Vnumquemque in iis, quæ ſunt de neceſſitate charitatis teneri appretiatiuè diligere Deum magis, quam cætera omnia, eſt etiam de fide, vt notat *Gabr. à S.V.2.2.d.18.dub.1.c.23.* Et liquet ex eo, quod *Deuter.6.* ad amorem Dei

requi-

requiratur, quod ſit *ex toto corde, ex tota anima, &c.* *Matthæi* 22. mandatum dilectionis Dei dicatur *primum*, & *maximum*. *Lucæ* 14. Chriſti Diſcipulos iubeantur odio habere (minore ſcilicet dilectionis affectu proſequi, ſeu in dilectione poſtponere) patrem, matrem, vxorem, filios, fratres, ſorores, adhuc autem & animam ſuam, quod eſt dicere proximum quemcumque coniunctiorem, quin & ſe ipſum. Idemque traditur *Marci* 8. *Lucæ* 9. *Matth.* 16. Rationes validæ naturæ lumine deſumuntur ex eo, quod Deus ſolus amandus eſt, vt finis, reliqua omnia, vt media; Deus ſolus vt bonum vniuerſale, fons, & principium omnium bonorum, in quibus amicitia fundatur: reliqua omnia, vt bona particularia, & habentia Bonitatis participationem. Propterea cum *D. Thoma in 3. d. 29. q. 1. ar. 3. 1. p. qu. 60. ar. vlt. &* 1. 2. *qu.* 109. *ar.* 3. *Scoto in* 3. *d.* 27. *qu. vn. §. Iſti igitur, & Durando* aſtruunt *Gabr. à S. V.* cæterique communiter tradunt in quolibet obligationem naturalem ad diligendum ſimpliciter, & appretiatiuè Deum, magis quam ſe ipſum. Et licet *B. Albertus, Altiſſiodor. & Gabr.* contradixerint, tamen eorum rationes, vt obſeruat *Arriaga to.* 7. *diſt.* 6. *num.* 23. ſuadent ad ſummum inclinationem naturalem eſſe maiorem, vehementiorem, intenſiorem ad diligendum ſe, quàm ad diligendum Deum, at non talem inclinationem eſſe ad diligendum ſe magis appretiatiuè, quam Deum.

43 Antequam ad vlteriora accedamus de Proximo, animaduertendum eſt, quod bona ſpiritualia ſunt in duplici differentia: alia, quæ quis ſibi, & proximis velle debet; aliæ, quæ nec ſibi, nec proximis velle tenetur. Explicatur. Ex charitate teneris velle gratiam, & gloriam, tam tibi, quam cuilibet proximo, & omnibus illius impedimentis carere. Summam autem gratiam, & gloriam, & quæ ad hanc perfectionem conducunt, qualia ſunt Euangelica conſilia, nec tibi, neque alteri regulariter obligatus es velle.

44 Te obligari, velle potius tibi gratiam, & gloriam; quam reliquis omnibus, etiam vniuerſo mundo, tamquam certum tradunt Theologi cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 26. *ar.* 4. Patetque tùm ex modo, quo *Leuitici* 19. & *Matthæi* 22. præcipitur dilectio proximi habenda ad inſtar dilectionis ſui: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: Dilectio igitur ſui eſt regula, & exemplar dilectionis. Proximi. Vnde etiam *Auguſt. l.* 1. *de Ciuit. Dei c.* 20. ait: *Regulam diligendi proximum à ſemetipſo dilector accepit:* Atqui regula ſemper prior eſt, & potior regulato: Ergo &c. Tum ex axiomate deſumpto ex *Ariſtot.* 9. & hic dicente: *Amicabilia, quæ ſunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quæ ſunt ad ſe ipſum*. Nec nimium probat, videlicet, vnumquemque debere diligere ſe ipſum magis, quàm Deum. Nam procedit de tali altero, in quo bonitas reperiatur per participationem, & tamquam in parte: at in Deo bonitas eſt imparticipata, & tamquam in toto, ac fonte. Tum denique, quia Charitas magis inclinat ad procurandam

ſui

Digitized by Google

ſui conſeruationem, & augmentum, quam aliorum, in quibus ipſa non reſidet; nam ad proprium augmentum inclinat per ſe, ad aliorum augmentum per accidens: Ergo velle prius debes tibi gratiam, quam alijs: Ergo non potes gratia carere, vt alij eam conſequantur. Si opponas *Apoſt.* dicentem 1. *Cor.* 13. *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt.* Reſpondeo, procedere, quatenus ly *ſua* importat bonum proprium comparatum ad bonum vniuerſale, & commune; ſecus quatenus importat bonum proprium ſui ipſius ad bonum proprium, & particulare alterius. Neque obſtat, *Moyſen Deuter.* 32. elegiſſe potiùs beatitudine carere, quàm populum condemnatum relinquere. Dixit enim Deo: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Et Paulum voluiſſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus. Nam vel Moyſes, & Paulus loquuti ſunt de morte temporali, non de æterna, ſic *Leander à Sacram.* q. 5. *Arriaga*, & alij. Vel, omiſſis alijs explicationibus, dicas cum *Auguſtino* q. 147. ſuper Exodum, neque Paulum, neq; Moyſen voluiſſe abſolutè beatitudine carere, ſed per quamdam exaggerationem, & filialem confidentiam fuiſſe loquutos, ſcientes non eſſe beatitudine priuandos, dixiſſeque Deo, ſic ſalutem proximorum deſideramus, vt ſi per impoſſibile, vnum e duobus eſt faciendum, concedatur alijs æterna ſalus, etiam ſi nos à viſione tua excludas, quod ſcimus facturum non eſſe. Facienda tamen eſt exceptio Chriſti Domini, quem, & ſi contentũ ſub Proximi nomine, vnuſquiſque tenetur appretiatiuè diligere magis, quàm ſe ipſum; etiam conſiderãdo illum, vt hominem: nam etiam vt homo præter quod ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi humanitatẽ infinitè dignificante, habet rationem vniuerſalis boni, quatenus eſt nobis principium morale gratiæ, gloriæ, omniumque ſpiritualium bonorum; & quia hanc principii prærogatiuam participat ratione maternitatis Beatiſſima Virgo, inſinuatam Chriſti exceptionem extendunt quoque ad ipſius matrem, *Coninch de Char. d.* 25. *nu.* 43. *&* 61. *Amicus d.* 29. *num.* 55. *Ioannes à S. Thoma* 2. 2. *in comment. q.* 23. *Leander à Sacram. q.* 2. *&* 5. Verum etiam eſt, licitum tibi eſſe, & laudabile, velle pro aliquo tempore pati dilationem beatitudinis, vt proximorum ſaluti prouideas. Sicut fecit Paulus ad *Philipp.* 1. *Coarctor è duobus: deſiderium habens, diſſolui, & eſſe cum Chriſto; permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* Et de S. Martino teſtatur in eius vita *Bernardus* morientem dixiſſe: *Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*; & ſic de alijs. Quia carentia beatitudinis pro aliquo tempore determinato compenſatur ſufficienter vtilitate aliorum, & meritorum proprio incremento. Numquam tamen tibi licet, nec pro vna hora gratia, & Charitate carere, etiam ſi abſque peccato futurum eſſet; quia non eſt medium ad ſalutem aliorum proportionatum & præterea eſt contra inclinationem charitatis, quæ per huiuſmodi deſiderium in ſui deſtructionem tenderet. Sic docet, & latè probat *Valen.* *d.* 3. *q.* 4. *pu.* 3. *concl.* 2. *Leander à Sacram. q.* 4. *&* 6.

Digitized by Google

45 Si verò, bona ſpiritualia ſint extra obligationem, poteris abſque peccato alios tibi præferre. Sic *Valen.cit.pu.3. concl.1. Petrus Hurtadus*, & alij. Ratio eſt, quia ſi nulla eſt obligatio procurandi illa bona, nec ſibi nec aliis, ſed pro libito ea tibi, & aliis procurare potes; quod illa alijs procures, & non tibi, non obinde argui potes, ſed potius laudari, quia opus laudabile facis. Verum quidem eſt, charitatem inclinare, vt potius tibi, quam alijs hæc quæ ad perfectionem attinent, procuras. Sed quia ad hæc non obligaris, ideo potes abſque peccato procurare alijs, & non tibi. At ſi bene aduertitur, & tibi procuras perfectionem; non enim potes aliorum perfectionem promouere, quin tuam etiam promoueas, vt rectè notat *Caſtrop.d.1.pu.7.num.5.*

46 Te autem obligatum eſſe ſalutem ſpiritualem cuiuslibet proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre, ita vt, ſi opus ſit, hæc omnia expendere pro illius conſecutione, id debeas facere, eſt regula certiſſima, & ab omnibus Catholicis recepta. Et probatur tum ex illo *Ioan.14. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. At Chriſtus dilexit nos expendendo propriam vitam pro noſtra ſpirituali ſalute: Ergo ſic debemus proximos diligere. Et ex illo *Ioan.c.3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Quem locum expendens *Auguſt. lib.de mendacio c.6.* dixit: *Temporalem vitam ſuam pro æterna proximi non dubitabit Chriſtianus mittere*. Tum ratione; quia bona ſpiritualia, & maximè æterna excellentiora, & Deo gratiora ſunt quolibet temporali bono etiam proprio: Ergo ex charitate huic bono illa præferri debent.

Vt autem ſcias, quibus euentibus id neceſſario faciendum ſit, recole, triplicem eſſe neceſſitatem proximi de tuo auxilio, leuem, grauem; & extremam. Leuis eſt, quam proximus leui conatu, & facili negotio abſque tuo auxilio repellere poteſt. Grauis eſt, quæ ſine tuo auxilio non niſi graui conatu, & difficulter ab illa ſe poteſt proximus liberare. Extrema eſt ſolum periculum æternæ damnationis, à quo proximus abſque tuo auxilio vel ſe omninò eripere non poteſt, vel cum tanta difficultate, vt prudentis iudicio reputetur moraliter inſuperabile, ac proinde omninò impoſſibile.

47 Conueniunt Doctores cum *D.Thoma 2.2.q.26.ar.5.* in extrema proximi neceſſitate, te debere non ſolum bona temporalia, ſed etiam vitam expendere, ſi tibi ſpes eſt fore profuturum. Ratio eſt, quia præceptum expendendi vitam propriam prò ſalute proximi, in aliquo caſu obligat: alias ſuperuacaneum eſſet: Ergo ad minus obligare debet in caſu extremæ neceſſitatis. Ceſſat tamen obligatio, ſi non ſit certa ſpes in re ſubueniendi ſaluti periclitantis; quia bonum certum, non bonum dubium ſalutis alienæ præualet cuilibet bono temporali: ceſſat item, ſi conſeruatio perſonæ expoſitiuæ ſe mortis periculo ſit neceſſaria pro aliorum plurium

Digitized by Google

rium ſalute: vnuſquiſque enim tenetur ſubuenire ſaluti multorum potius ; quam ſaluti vnius. *Cacheranus tr.6.l.3.c.5.nu.63.* Hinc ſi Petro dormienti, & phreneſi laboranti, & in peccato mortali exiſtenti mortem ſcires euenturam ſiue à ſe, ſiue ab alio, teneris cum periculo vitæ impedire, ſi potes, & moraliter certus es à peccato poſtea eſſe liberandum, alias non: quia hæc eſt extrema neceſſitas. Ita *Coninch ſupra nu.87. Suarez. d.9. de char. ſect.2. num.3.* Pariter ſi infans filius Chriſtiani fidelis ſit morti proximus, indigeatque baptiſmo, quem abſque periculo vitæ conferre non potes, neque alius ſit, qui conferat, teneris cum periculo vitæ conferre; quia illa eſt extrema neceſſitas, à qua non poteſt infans ſe liberare. Ita Doctores communiter. Si verò filius ſit Ethnici, non eſt conſtans inter Doctores an parentibus inuitis poſſit baptizari. In illo ergo caſu, in quo baptizari, poteſt, teneris cum periculo vitæ baptiſmum illi conferre. Sic *Suarez* ſupra. Poſſe autèm baptizari quoties abſque in illata parentibus, & graui illorum perturbatione fieri poteſt cum communiori ſententia tradit *Coninch ſupra dub.7. num.*88. Scio tamem *Em. Sà V. charitas n.4.* in vtraque editione reputare ſe non eſſe obligatum puero huic baptiſmum conferre cum periculo vitæ; alioqui enim teneretur mater grauida permittere ſe ſecari, vt filius in vtero exiſtens baptizaretur, alioquin ſine baptiſmo moriturus: quod non eſt concedendum. Et hanc ſententiam probabilem dicit *Baſſæus V. Charitas num.18.* in fine. De eo verò, qui diù vixit in conſuetudine peccandi, & morti proximus petit confeſſarium, à quo abſoluatur, te debere parocho, neque alio ſuccurrente, abſolutionem concedere cum periculo propriæ vitæ, cenſent *Bannez 2.2.qu.18.ar.5. Suarez ſupra nu.3. Valen. ſupra verſ. Quartus caſus*; quia huic difficillimum eſt habere contritionem: ergo reputada eſt illa extrema neceſſitas. Hoc tamen *Coninch d.13. de char. dub.7. num.90. & Nauar. c.24. num.9.* ſolum intelligunt in homine ruſtico, aut prorſus ignaro ad iuſtificationem extra Sacramentum requiri contritionem, quia huic moraliter impoſſibile eſt contritionem habere, cum eius menti obligatio habendi contritionem non occurrat. Aliàs ſi cuilibet petenti abſolutionem deberes cum periculo vitæ impendere, ne ob defectum contritionis in æternum pereat, ſine dubio obligatus eſſes tempore peſtis, & inuaſionis hoſtilis, deficientibus parochis, cum periculo propriæ vitæ ſic oppreſſis Sacramenta miniſtrare, neque poſſe fugere, quod Doctores communius negant. Illum autem, qui te inuadit, cuius ictum declinare non potes, niſi occidas, te poſſe occidere, tradunt *Coninch ſupra num. 95. in fine, Gabr. à S.V. 2.2.d.18. dub.2.§.2. num.51.* & alij; quia illa extrema neceſſitas non eſt, cum ab illa ſe liberare poſſit, ſed potius eſt extrema malitia. Et etiam ſi inuadens ebrius ſit, aut phreneticus, non teneri ſe permitti occidi, docet *Caſtropolaus cit. d.1. pu.9. num.7.* quia nec reputare debes alium eſſe in peccato, neque ſi eſt, poſtea eſſe conterendum, ne-

que

que te ita eſſe dipoſitum, vt mortem ſubitaneam, & non præmeditatam ſubire poſſis ſine periculo damnationis.

48 Alios tres caſus offert *Valen.* ſupra, in quibus ipſe agnoſcit extremam neceſſitatem. Primus eſt de illis ruſticis, qui à concionatore hæretico ſeducuntur, neque eſt, qui valeat eos ab ignorantia liberare. Secundus de celebrantibus aliquem contractum vſurarium ex ignorantia vincibili, in qua creduntur perſeueraturi, niſi tu ſuccurras. Tertius de filia, quam pater ob paupertatem læſioni virginitatis tradit contra eius voluntatem. Aſt à neceſſitate extrema, ſubindeque ab obligatione ſuccurrendi cum periculo vitæ hos caſus excludunt *Coninch num. 94. & Caſtropalaus ſupra num. 8.* nam vel illi ſeducti ignorantia vincibili laborant, vel non. Si non: non committunt peccatum; ſi laborant vincibili ignorantia, abſolute, etiamſi cum difficultate, ab illa ſe liberare poſſunt, ergo non eſt extrema neceſſitas. Filia verò etſi aliquo modo coacta ob parentis reuerentiam peccato conſentiat; at libere conſentit, & poteſt ſuſtinendo iram patris à peccato abſtinere. Ergo extrema neceſſitate non laborat. Adde præſumi non poſſe ſupradictos ſemper in peccato eſſe perſeueraturos, neque aliquando eſſe à Deo illuminandos.

49 Extra caſum extremæ neceſſitatis non teneris cum periculo morali propriæ vitæ, aut amiſſionis membrorum, aut graui iactura bonorum fortunæ ſuccurrere proximo in ſpiritualibus. Ità Theologi communiter cum *D. Thoma 2. 2. qu. 26. ar. 5. ad 3.* Ratio eſt, quia non decet ſuauitati legis Euangelicæ, ob neceſſitatem proximi, à qua ipſe ſe poteſt liberare, te eſſe arctandum ad propriæ vitæ, bonorumque fortunæ amiſſionem: ius enim conſeruandi propriam vitam, & ea, quæ vitæ ſunt neceſſaria, eſt maximè naturale. Non ergo amittendum eſt ob neceſſitates paſſim occurrentes, quales ſunt proximorum neceſſitates non extremæ. Hinc non obligaris cum periculo vitæ, vel iactura graui honoris, & diuitiarum peccatum proximi impedire. *Malderus 2. 2. qu. 26. ar. 5. aſſert. 2.* & alii communiter; quia cum ipſe peccat, non laborat extrema, ſed ad ſummum graui neceſſitate; & propterea, quia poteſt poſtea ſe ab illo peccato, per pœnitentiam liberare. Nec teneris ad Indos proficiſci; quia neque ipſi laborant extrema neceſſitate, cum ſint alii, qui ſuccurrant ex obligatione, neque eſt moraliter certum te poſſe ſuccurrere: Ergo non teneris ob eorum ſalutem procurandam, periculum nauigationis ſubire, & exilium ita graue pati. Sic *Bonac. d. 3. qu. 4. de Charitate pu. 4. num. 2. in fine*.

50 Proximo tamen communi (hoc eſt Reipublicæ) in graui neceſſitate conſtituto teneris etiam cum periculo propriæ vitæ ſuccurrere. Ita *Coninch cit. dub. 7. num. 99. & 100. Bonac. ſupra num. 5. Baſſæus V. Charitas num. 21.* & *Suarez cit. d. 9. ſect. 2. num. 4.* vt probabile defendit. Ratio eſt, quia vix fieri poteſt, Rempublicam pati grauem in ſpiritualibus neceſſi-

Hh tatem,

Digitized by Google

tatem, quia plures particulares patiantur extremam. Deinde illa neceſſitas communis eſt grauiſſimum damnum, cui meritò ſuccurri debet amiſſione vitæ alicuius particularis, quæ minus damnum eſt. Adde cum vitia in communitate graſſantur, & plures peruertuntur, honor diuinus periclitatur. Teneris ergo pro illius defenſione periculum vitæ ſubire. Hinc ſi ſcias Concionatorem prauam doctrinam in populo ſeminare, pluresque eſſe peruertendos, & ſpem habeas impediendi, ſi te opponas, obligatus es. Ita *Suarez, Coninck, & Baſſaus ſupra, Malderus, Syluius*, & alii, quia tunc pro Fide periculum ſubis. Similiter, ſi in perſecutione, aut hoſtili incurſione plebs aliqua careret, qui illi Sacramenta adminiſtraret, & ex alia parte grauibus periculis peccandi, amittendique fidem eſſet expoſita, videris teneri cum periculo vitæ, *Caſtropalaus cit. pu. 9. num.* 10. Si verò leuem tantum neceſſitatem Reſpublica patiatur, obligandus non es ob illius remedium grauem iacturam, etiam bonorum fortunæ pati. Non enim iuſtum eſt tibi grauem obligationem imponi ob neceſſitatem, cui facilè ab ipſo patiente ſuccurri poteſt. Sic *Bonac.* ſupra, & alii.

51 Cuicumque proximo grauem neceſſitatem ſpiritualem patienti teneris ſuccurrere cum leui tuo detrimento; ſecus patienti leuem neceſſitatem. Sic *Coninck cit. dub. 7. num. 99. & 100. Suarez d. ſect. 2. nu. 3. concl. 4. Sà ſupra num. 5. Valen. cit. d. 3. qu. 4. pu. 3. poſt concluſ. verſ. tertiò dico, Gabr. à S. V ſupra n.* 47. Ratio eſt, quia grauis neceſſitas ſpiritualis bonum eſt Superioris ordinis, quod præferri debet cuilibet iacturæ temporali leui: ſi enim cum tuus inimicus grauem neceſſitatem temporalem patitur, teneris, ſi abſque tuo detrimento potes, ſuccurrere, vt patet ex illo *Exodi* 23: *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo*, & *Prou.* 25. *Si eſurierit inimicus tuus: ciba illum*. Ergo à fortiori teneberis cum in rebus ſpiritualibus grauiter indiget.

52 Princeps, Paſtor, & Superior tenentur cum periculo vitæ propriæ graui neceſſitati ſpirituali cuiuslibet ſubditi occurrere, ſi moraliter ſperant remedium profuturum. Ita cum *D. Thoma* 2. 2. *qu.* 26. *ar.* 5. Theologi communiter, & videtur etiam eſſe ſententia *Auguſtini epiſt.* 101. *ad Honoratum*. Ratio eſt, quia ij ratione officij, & ob ſtipendium à ſubditis acceptum obligantur cum proprio detrimento illi ſpirituali neceſſitati ſuccurrere. Item ij arctius obligantur, quam reliqui priuati: ſed priuatus obligatur proximorum ſpirituali neceſſitati extremæ ſuccurrere: Ergo ij obligantur occurrere graui. Hoc tamen *Caſtropal. l. c. nu.* 12. & *Pratellus tom.* 3. *c.* 3. *§.* 3. *num.* 463. notant intelligendum eſſe, niſi ex occurſu reliqui graue damnum patiantur: vt contingeret, ſi Paſtoris vita eſſet neceſſaria Reipublicæ, & ob bonum vnius illam exponeres; imprudenter ſanè, & contra charitatem faceret ſalute vnius, damnationem multorum comparare. Hinc tempore peſtis non poteſt Paſtor fugere, niſi relicto

Digitized by Google

alio, qui vices ſui gerat ſufficienter; quia grauiter indigent ſubditi adminiſtratione Sacramentorum, reliquiſque ſpiritualibus ſubſidijs ad ſalutem. Ità Theologi communiter, idem dicentes, ſi hæretici peruertunt plebem. Officium enim boni Paſtoris, vt dixit Chriſtus *Ioan.* 10. eſt animam ſuam dare pro ouibus ſuis. Pariter inſtante neceſſitate, & inuitis ſubditis non poteſt Paſtor officio, & beneficio renunciare; ſicut nec miles renunciare poteſt militiæ, inſtante neceſſitate pugnæ. Alias nullus Paſtor aſtringeretur ouibus aſſiſtere; cum poſſet facile hoc remedio ad fugiendum vti. Sic *Conimb num.* 96. & *Valen. cit. pu.* 3. qui in fine excipit, niſi ſit alius idoneus qui ad ſuſcipiendum officium ſpontè ſe offerat, neque ſubditi poſſunt eſſe rationabiliter inuiti; ſiquidem eorum neceſſitati ſufficienter prouidetur. Cauere etiam Parochus debet, nedum peſtis tempore vnius non grauiter indigentis ſpirituali vtilitati conferre intendit, plures alii ex ipſius occubitu grauiorem iacturam ſpiritualem patiantur. Quare, ſi ſolus ſit, non facilè miniſtrare debet cum vitæ ſuæ periculo Sacramenta, quæ non ad modum neceſſaria ſunt, vel ſecundum ſe, vt extrema vnctio, vel reſpectu perſonarum, quarum bonum ſtatum Confeſſarius probabiliter cognitum habet; quia nuper earum confeſſiones exceperat. Denique quotieſcumque ab aliqua perſona, quam veriſimilibus coniecturis Sacerdos credit non habere conſcientiam peccati mortalis, vel per contritionem rectè ad moriendum diſpoſitam eſſe, probabiliſſimè timetur periculum contagionis, & in tali caſu maius bonum publicæ neceſſitatis præferendum priuatæ alicuius vtilitati. *Ioannes Maior in 4. d. 23. qu. 1. Suarez 3. p. to. 4. de extr. vnctione in fine, Chapreauille cap. 3. qu. 2. nu 16. Laym. l. 2. tr. 3. c. 3. Franc. de Lugo, & alij.*

53 Quod dictum eſt de obligatis ratione officii, ſimiliter dicendum de obligatis ex delicto: vt & ipſi damnum ſpirituale alicui illatum, ſi graue ſit, cum mortis ſuæ periculo reſarcire teneantur. *Ita Layman ſupra*, & alii. Exemplificatur in obſtetrice, quæ infantem inualidè baptizauit. Quo loco occurrit caſus de obſtetrice, quæ confitetur Sacerdoti ſe 40. circiter infantes baptizaſſe in nomine Zabuli, quibus poſtea à Parocho ſine alio baptiſmate, cæremoniæ tantum adhibitæ fuerunt. Perſonæ autem illæ non validè baptizatæ partim mortuæ ſunt, partim adhuc viuunt, ſed fermè per varia oppida, vel etiam regiones diſperſæ, vt, conſideratis omnibus, nullus modus excogitari poſſit, quo illis defectus baptiſmi ſignificetur, niſi mulier magiſtratui ſe prodet, & extremum ſupplicium ſubire debeat. In quo, contra *Laymanum*, exiſtimo, quod Confeſſarius eam non abſoluat, antequam firmiter proponat, ſeipſam magiſtratui prodere; quia ſalus corporis ex lege charitatis poſtponenda eſt ſaluti animæ, præſertim non vnius, ſed plurium perſonarum. Imò hæc obligatio ex iuſtitia eſſe videtur; quandoquidem ipſamet mulier homines illos innocentes in ſalutis ſuæ diſcrimen per ſummam iniuriam

coniecit. Nec hæc relinquenda eſt cum ignorantia inuincibili huius obligationis: nam dato quod laboret hac ignorantia, tamen hæc omnino auferenda eſt in caſu iſto, & ſimilibus, vt ſuo loco dicam; nec obſtat, quod Confeſſarius putet ſe non perſuaſurum, ſed magis obfuturum. Nam fortaſse poſtea reſipiſcet, & obligationem adimplebit.

58. Sed hic quæritur 1. Vtrum in temporalibus bonis debeamus nos ipſos magis diligere, quàm proximum.

In hoc certum eſt 1. Te debere in æquali ſui, & Reipublicæ neceſſitate non ſolum bona fortunæ, ſed etiam vitam expendere pro Reipublicæ conſeruatione. Sic *D. Thomas* communiter receptus 2. 2. q. 29. ar. 3. quia bonum commune præferendum eſt ſpeciali, & pars exponenda eſt ob conſeruationem totius. Si verò Reſpublica ſolum grauiter, & non extreme indigeat, probabiliter non obligaris vitam expendere; quia tunc extrema tua neceſſitas præponderat graui Reipublicæ. Et ius conſeruandi vitam eſt homini maximè connaturale: Ergo non eſt obligandus omittere ob quamlibet Reipublicæ neceſſitatem, ſed ſolum ob extremam. Sic *Suarez cit. d. 9. de Char. ſect. 3. nu. 1.* Aſſertum de Republica, concedendum quoque eſt de Principe, ſeu alia perſona Reipublicæ neceſſaria, ſi verè neceſſaria eſt; quia id ipſum eſt Reipublicæ prouidere. Sic *Suar ſupra, Valen. cit. q. 4. pu. 2. concluſ. 4. in fine, Catheranus tr. 6. l. 2. c. 5. nu. 67.* Certum eſt 2. in æquali neceſſitate ſui, & cuiuslibet priuati poſſe tibi, & non alteri prouidere, imò hoc charitati eſt conformius, quæ inclinat potiùs ad ſui, quàm ad aliorum amorem, iuxta illud *Mathæi 19 Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Sic *D. Thomas ſupra ar. 4. Com. lib. 1. 6. num 76. Suarez d. 9. ſect. 3.* & alij Si verò neceſſitates diſpares ſunt, vt ſi proximus, ſit in extrema, tu verò in graui; ipſe in periculo manifeſto vitæ, tu in periculo ſolum probabili, poteris illum ſuccurrere; quia iuxtà ordinem charitatis eſt, vt bonum maius proximi proprio præferatur: vita autem proximi, quæ alia via conſeruari non poteſt, maius bonum eſt, quàm excluſio probabilis periculi vitæ propriæ. Sic *Valen. ſupra concluſ. 3. verſ. 2. ſequitur*; & hinc eſt, te poſſe cum periculo vitæ inſeruire peſte infectis. At puto te non teneri: quia præceptum de conſeruanda vita alterius non poteſt cum graui detrimento proprio obligare: eſſet enim nimis aſperum, & durũ præceptum: At qui ſe ſe exponit periculo probabili amittendi vitã propriã ob conſeruationem alienæ, graue detrimentũ patitur: Ergo ad hoc non eſt obligãdus. Ita *Sà V. Charitas n. 2. Nau. c. 24. n. 9. Tolet. l. 4. c. 10. n. 4. Lopez 1. p. c. 67.* An autem ſi proximus in periculo vitæ verſetur, tu verò in periculo amittendi fortunæ bona, tenearis illi ſuccurrere conſtabit ex dicendis in *comm. Propoſ. ſeqq.* Certum eſt 3. in bonis, quę ex obligatione conſeruare nõ tenemur, poſſe proximum nobis præferre. Quapropter licet nobis proximo egeni donare etiam ea, quæ noſtro ſtatui neceſſaria ſunt: loquor de

homi-

homine libero, non de patrefamilias, cui alia via hæc prohiberi poſſent. Sic *Coninch d.25.dub.6.n.79. Baſſæus V. Charitas nu. 19. Syluius 2.2.q.26. ar. 4. quæſt.3. concluſ.1.* Difficultas igitur eſt, an pecces contra charitatem, ſi conſtitutus in æquali neceſſitate bonorum, quæ ex obligatione conſeruare debes, vt vitæ & corporis, cedas tui conſeruationi, vt vita, & corpus proximi conſeruetur? Et te peccare aſſerunt *Palud. Gabr. Petrus Nauarra, & Laym.* ex *D. Auguſt. lib. de mendacio c.6.* dicente: *Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum ſicut ſe ipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit. Leſſius, & Coninch* è contra negant te peccare. Alij probabilius cenſent, primam ſententiam procedere, quoties nulla ſpecialis ratio adeſt exponendi vitam propriam, niſi conſeruatio alienæ, vt contingit cum illam exponis pro extraneo, nec tibi amico, nec benefactore, neque ſpecialiter Reipublicæ neceſſario: Secundam verò ſententiam habere locum, cum aliqua ſpecialis ratio intercedit, ſcilicet oſtendere amico debitum amici officium, gratificari illi beneficia, prouidere alicui vtilitati communi, quia tunc non amas proximum plus quàm te, ſed opus virtutis amas præ vita, vt inquit *D. Thomas 2.2.q.26.ar.4.* Sic *Suarez d.9. de Char. ſect.3. num.7. Valen. ſupra concluſ.3. Syluius concluſ.3. Victoria, Sotus, Toletus, Bannez, Malderus,* & alii, quos refert, & ſequitur *Baſſæus vbi ſupra.* Aliud eſt, ſi aliquis culpabiliter, vel inculpabiliter, te inuadat, cuius ictum declinare non potes, niſi illum occidas, licet enim tibi abſtinere ab occiſione, & permittere, vt te occidat; non enim permittis te occidi ob alterius vitę conſeruationem præciſe; ſed nè alium occidas: eſt namque occiſio cuiuslibet hominis ita grauis, dura, & terribilis, vt actus ſit pietatis ab illa abſtinere, etiam ſi tibi liceat. A fortiori ſupra dictum procedit ſi vita tua neceſſaria eſt aliis, vt filijs, & vxori, & conſanguineis tum ad bonum ſpirituale, tum ad temporale. Ita poſt alios *Baſſæus vbi ſupra* idem dicens, ſi eſt perſona publica, vel qui poteſt iuuare animas, &c. vel ſit in ſtatu peccati mortalis: aut probabiliter dubitet; in his enim caſibus non poteſt abſque mortali ſe exponere periculo mortis: quamuis in alijs non eſſe mortale putet *Suarez ſupra.*

59 Quæritur 2. An poſſis, vel tenearis vnum proximum præ alio diligere?

Certiſſimum eſt, te poſſe, & aliquando teneri vnum proximum prę alio diligere; quia vnus præ alio tibi, & Deo coniunctior eſt. Sic cum *D. Thom. 2.2.q.26.ar.6.* communiter Theologi, qui hoc intelligunt tam de dilectione in effectu, id eſt in exteriori beneficentia, quàm in affectu: manifeſtum enim eſt, exiſtente patre, aut matre, & alio homine ignoto in extrema neceſſitate corporis, vel animæ, neque poſſim vtrique ſuccurrere, ſed neceſſariò vnus omittendus ſit, debere omittere extraneum, & coniuncto ſuccurrere; vt dixit *Auguſt. l.1. de Doctr. Chriſt. c.28.* ibi cùm

omni-

omnibus prodeſſe non poſſis, hoc potiſſimum conſulendum eſt, vt qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur : beneficentia autem à beneuolentia deſcendit. Quod ſi extranei ſint ſanctiores, eſſe præferendos conſanguineis diligentis minus Sanctis, vel fortè peccatoribus cenſet *Gabriel in 4. d.29 ar. 2. concl.7.* & ibi *Magiſter*. At coniunctiores diligenti, & ſi peccatores ſint, Sanctis omnibus extraneis eſſe præferendos, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus in caſu neceſſitatis, in quo ſemper loquimur, veriùs, & communius cenſent *Suarez d.9. ſect.4.num.19. Coninch d.25. dub.9. n.140. Cacher.tr.6.l.2.c.5.§.4.num.50. & ſeqq. Amicus Gabr.a S.V.* & alij cum *D. Thoma 2.2.q.26.ar.7.* Ratio eſt: quia coniuctio carnis, & ſanguinis intimior eſt, firmior, ſeù ſtabilior alia quolibet etiam ſpirituali: Ergo eſt potior alia qualibet, & reddens ſimpliciter coniunctiorem in ordine ad amorem appretiatiuum, qui habet pro norma ſimilitudinem, aut quaſi vnitatem proximi cum diligente, & maximè petit firmitatem, ſeù ſtabilitatem: cum appretiatio in amando aliquem reluceat penes firmitatem, qua diligens in tali amore hæret paratus ceſſare ab amore aliorum potiùs, quam illius. Antecedens probatur: Coniunctio carnis, & ſanguinis fundatur in generatione facta ab intrinſeco per communicationem phyſicam eiuſdem ſubſtantiæ: coniunctiones aliæ fundantur in aliquo accidentali, & morali, qua ſæpè etiam ab extrinſeco prouenit. Rurſus illa fundatur in natura, quæ numquam mutatur, adeoque firma eſt, & ſtabilis; illæ aliæ fundantur in actione aliqua libera, aut poſſunt ex noſtra libertate diſſolui: Ergo ex primo capite coniunctio carnis, & ſanguinis eſt intimior; ex ſecundo firmior ſeù ſtabilior, alia qualibet etiam Spirituali.

Si loquamur de conſanguineis intra primum gradum, omninò, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, Prælatus debet eos præferre illis, quorum cura ſibi commiſſa eſt; quia non cenſetur illorum iura ſuſcipere derogando obligationi naturali debitę ijs ſubueniendi. Extra primum gradum non eſt ita certum, cum non ſit ita ſtricta coniunctio, & ita poterit obligatione ſubueniendi ſubditis vinci. Sic *Suarez cit.d 9. ſect.4.nu.12. Coninch d.25.dub.9.num.168.& 159. iuncto nu.51.* Si verò loquamur de ſubditis religioſis, valdè probabile reputat, *Coninch num.152.& 171.* poſſe, & debere Prælatum illius priùs prouidere, quam quibuſcumque conſanguineis (excepto parente) tam in temporali neceſſitate, quàm in ſpirituali, quia ipſi ſe totos religioni tradiderunt, & loco parentis religionem ſuſceperunt, & ſub ea cura eos religio recepit.

Similiter amicitia ita arcta eſſe poteſt, & beneficentia ita eximia, vt coniunctionem conſanguinei intra ſecundum gradum euincat, vt docent *Bannez 2.2.qu.26.ar.8.in fine.dub.1.& Coninch cit.d.25.dub.9.nu.156.* Aliud eſt de conſanguineis intra primum gradum. Et quidem de patre, filio, & vxore ferè omnes Doctores ſentiunt eſſe neceſſariò præferendos cuilibet

ami

amico, & benefactori, ob horum ſtrictiſſimam coniunctionem. Sic docent cum *D. Thoma 2.2. q.26. ar.6. & 9.* omnes eius expoſitores *Coninch d.25. dub.9. à num.153.* & alii; neque enim, vt ait *Ariſtoteles 8. eth. c. vlt.* Diis, parentibuſque poſſunt reddi æqualia. Quod ſi fratrem compares cum amico, & benefactore, affirmat *Lorca 2.2. p.26. ar.9. nu.4.* raro fore peccatum mortale amico, & benefactori poſtponere, iuxta illud: *Prouer. 18. Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quam frater.* Dicendum tamen eſt cum *Caſtropalao to.1. tr.6. d.1. pu.10. nu 11.* ſemper eſſe peccatum mortale in extrema neceſſitate præferre amicum, & benefactorem fratri, niſi cum frater iura fraternitatis violaſſet, vel amicus eſſet inſigniſſimus benefactor; quia coniunctio fraternitatis eſt nimis ſtricta, quam derogari non decet ob quæcumque ſigna amicitiæ, & beneuolentiæ. Adde ad exaggerandam al cuius amicitiam vtimur comparatione fraternæ dilectionis, & affirmamus illos amare, ac ſi fratres eſſent. Ergo fratres amicis per ſe ſunt neceſſario ſub graui obligatione præferēdi. Neque obſtat locus *Prouerb.* ibi enim tantum ſignificatur, ſocietate amici nos magis delectari, quam cuiuslibet conſanguinei; vel ſignificat amicum interdum eſſe nobis fideliorum fratre. Ex quo tamen non ſequitur, eſſe in neceſſitate præferendum.

Si pater, vxor, filius, & frater comparentur cum creditore, iſti illos in extrema neceſſitate exiſtentes præferendos eſſe, rectè docent *Torres d.82. dub.9. ad finem, Leſſius l.2. c.16. num.14. Coninch nu.168. & ſeq.* quia ceſſat obligatio ſoluendi debitum, cum hos habes extremè indigentes, Imò ſi graui neceſſitate laborent, non videtur improbabile, hos creditori ſimili neceſſitate laboranti poſſe præferri; quia ſui neceſſitas grauis excuſat à reſtitutione debiti antea contracti, vt defendit *Leſſius l.2. c.16. dub.1. num.20* Ergo etiam neceſſitas horum, qui ita tibi coniuncti ſunt; reputare enim potes propriam eorum neceſſitatem.

Comparando coniunctos in eodem ordine, qui debeant præferri, cum omnibus occurri nequeat? Variant Doctores. Aliqui nanque cum *Henriquez* aiunt, matrem patri eſſe præferendam; tum quia magis amat filium: tum quia in eius educatione plus laborat: ſed oppoſitum rectè docent *D. Thomas* mox citandus *Suarez. d.9. ſect.4. Gabr. à S. V. 2.2. d.18. dub.3. §.1. Paſchal. de vir. patr. poteſt. p.2. c.3.* & alij communiter: neque enim hæ rationes præponderant ei, quam pater per ſe habet, ſc. eſſe filij principium: ob cuius cauſam tenetur arctius, quam mater filio prouidere, & illius curam gerere. Excipit *Briſacenſis to.4. tr.4. d.3. qu.1. ar.5. num.51.* ſi mater ſit valde benefica, &c. pater verò vitioſus, crudelis, &c. quia vltra vinculum coniunctionis naturalis addit beneuolentiæ vinculum: quod etiam docuerant *Reginald.* & alij cū *D. Thom. 2.2. q.26. ar.10.* Alij aſſerunt, vxorem parentibus eſſe præferendam, iuxta illud *Gen.2. Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ,* Et *Matthæi 19.*

Iam

Digitized by Google

Iam non ſunt duo, ſed vna caro. Sed quilibet ſe ipſum præferre debet parenti: Ergo etiam vxorem præferre debet. Sed dicendum eſt oppoſitum cum *Suarto, & Gabr. à S. V. lo is relatis, Briſacenſi cit. ar. 5, num. 49*. & alijs communiter. Nec prædicta conuincunt; quia ſolum probant, quoad electionem ſtatus vxorem eſſe præferendam, & quoad ea, quæ ad gubernationem domus pertinent, & ſic extra extremam neceſſitatem; non tamen quoad extremam neceſſitatem. Alij deinde præponunt filios tum parentibus, tum vxori: parentibus præponunt, quia amor filiorum eſt antiquior, & cura illis prouidendi arctior eſt in patre, quam in filio reſpectu parentis, iuxta illud 2. *ad Cor. 12. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs*. Vxori autem præponunt ob eamdem rationem, & quia vxor aſſumitur propter filios gignendos. Sic *Valen. 2. 2. d. 3. q. 4. pu. 5 verſ. 4. ſequitur*, & alij, & ex *Iuriſtis Pratus obſer. 89*. At cum *Gratſor. c. 591. Suarez, Gabr. à S. V. & Briſacenſi citatis*, & alijs Theologis cum *D. Thom: 2. 2. qu. 31. ar. 3. ad. 4*. & Iuriſtis exiſtimo, parentes ſemper eſſe præferendos filijs in caſu neceſſitatis. Tum quia beneficium à patre acceptum eſt omnium maximum; ſiquidem ex illo habes eſſe: Ergo ſicut Deus omnibus præferendus eſt, quia tibi contulit eſſe; ita ſuo modo tuus pater omnibus preferri debet. Tum quia occiſio patris, aut illius maledictio grauius peccatum eſt, quam occiſio & maledictio filij, vt conſtat *Exodi 12*. & 20. ergo auxilium pro conſeruanda illorum vita magis eſt debitum. Fateor tamen, appetitum ſæpe inclinare magis ad amorem filiorum; quam parentum; eaque de cauſa facilius patrem amare filium, quam è contra: non tamen non inde infertur, patrem, non eſſe præferendum; cum charitas, & inclinatio rationalis naturæ ad patrem potius, quam ad filium propendeat. Neque obſtat locus *Pauli ad Cor. 12*. quia ſolum probat, extra neceſſitatem filios, præcipuè emancipatos, eſſe parentibus præferendos; quia filijs ſub cura, & prouidentia parentum exiſtentibus tenetur pater, tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus prouidere, & inuigilare pro maiore eorum profectu. De vxore non eſt certum, an debeat filijs præferri. Credo probabilius cum *Suarez, Conimb, & Gabr. à S. V. ſupra relatis, Briſacenſi n. 49*. & alijs eſſe præferendam; tum quia eſt principium filiorum: Tum quia eſt tibi intimo vinculo coniuncta. Quod dictum eſt de his conſanguineis, dicendum eſt de reliquis, illos ſcilicet, eſſe præferendos, cæteris paribus, qui ſibi magis coniuncti ſunt: & proportione ſeruata dicendum eſt de ſibi coniunctis ſpirituali titulo, patrem, inquam ſpiritualem præferendum, eſſe filio ſpirituali: & hunc fratribus ſpiritualibus, *Bonac. d. 3. q. 4. pu. 5. num 4*. At ſi filius ſpiritualis non tantum ſit filius in lata ſignificatione, qualis eſt tua induſtria ad fidem conuerſus, ſed etiam ſtricta, videlicet, quia ſub cura tua eſt, quia illius es paſtor, cenſeo cum *Caſtrop. to. 1. tr. 5. d. 1. pu. 10. nu. 15*. eius bonum patri ſpirituali præferendum eſſe, quia pater ſpiritualis non eſt tibi commen-

men-

mendatus, ſed potius tu ipſi: ſubditus autem tibi omninò commendatus eſt; Ergo teneris ſubditum præferre cuilibet alij, qui tibi naturaliter non eſt coni nctus.

Si comparatio fiat benefactoris cum beneficiato, benefactor ex hoc titulo ſemper præferri debet; quia beneficium acceptum obligat recipientem, vt gratum ſe benefactori oſtendat. At beneficium datum non obligat ad vllam gratitudinem. Cum hoc tamen ſtat beneficiatum ſemper ardentiùs diligi à benefactore, vt rectè probat *D. Thomas 2.2. q.26. ar.12, Valen. d.3.q.4.pu.5.in fine Suar.d.9.ſect.4.num.9.*

Si denique comparatur peccator cum iuſto, fidelis cum infideli; cæteris paribus, fidelis, & iuſtus, peccatori, & infideli eſt præferendus, & magis iuſtus minus iuſto; quia in illo genere coniunctionis arctius ſibi coniunguntur. Et videtur conſtare ex illo ad *Gal.6. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei.* Sic ex communi ſententia tradit *Conincb d.25 dub.9. num.*142. Cæterum puto, te poſſe (& ſi non tenearis) peccatorem in extrema neceſſitate temporali laborantem præferre homini iuſto, quia in peccatore eſt periculum æternæ damnationis, quod non adeſt in iuſto. Deindè quia in peccatore videtur ſimul cum corporali neceſſitate adeſſe ſpiritualem. Sic *Bonac.d.pu.5.n.3.* in fine.

PROPOSITIO XII.

Vix in ſæcularibus inuenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatu. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

1 Filguera, *Montaltius, Gonetus*, & alij hanc Propoſitionem attribuunt *Vaſquez*, qui huius primam partem docuit *opuſc. de eleem. c.4. n.14.* ſecundam verò ibidem *c.1. dub.3. nu.27.* Id ipſum *Diana* probauit *p.2. tr.16. verſ. Quarto, & p.4. tr.8. reſ.215.* ante finem & *p.5. tr.8. reſ.20.* ac ferè pariter diſcurrit *Nauar. in man. c.24. num.6. & c.23. nu.24.* Præiuit autem *Caietanus in ſumma V. Eleemoſynam*, & eum appellantes *Rodriquez. to.1, ſum. c.287. nu.2. & Vega p.2. c.27. caſu 12.* tradunt.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Eleemoſyna cur dicta Charitas. A qua virtute eliciatur? Quomodo meritoria? Qua iuſtificet?*

Digitized by Google

vel quaſi extremam neceſſitatem pauperum, etiam ſi intendant conſtruere templa, aut omnia relinquere pauperibus poſt mortem?

18 *Vtrum Iudices poſſint compellere Diuites ad elargiendam eleemoſynam in caſibus grauis neceſſitatis?*

19 *In quibus caſibus ſufficit diuiti egenti tantum accommodare, mutuare, vel vendere cum onere reſtitutionis.*

20 *Quid de medico, & aduocato?*

21 *Plures adſunt diuites, quibus bona ſua ſuperfluunt, & qui ex illis eleemoſynam largiri debent, cum teneantur ex ſuperfluo ſtatus nulla habita ratione aſcenſus ad altiorem ſtatum.*

22 *Et aſſertio contraria reſpiciens ſpem aſcendendi ad ſtatum altiorem ſcandaloſa eſt, & bonis moribus in praxi nocens.*

23 *Quod præſertim apparet, ſi pauper conſtitutus ſit in graui neceſſitate patienti infamiam, exilium, nuditatem, vel quid ſimile.*

24 *An habens bona ſimpliciter ſuperflua naturæ, & ſtatui ſub mortali teneatur facere eleemoſynam pauperibus, communem tantum neceſſitatem patientibus?*

25 *Quanta ſit hæc obligatio, & in quibus caſibus, ac reſpectu quorum?*

§. III.

26 *Quanta ſtrictiori obligatione Epiſcopi, cæterique Beneficiati teneantur ad eleemoſynam?*

27 *De quibus bonis eleemoſyna facienda ſit?*

28 *In quibus caſibus eleemoſynas vxores facere poſſint?*

29 *In quibus etiam filij familias?*

30 *Quos poſſunt erogare ſerui, Tutores, & Curatores, cæterique adminiſtratores?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. Quod eleemoſyna licèt vulgari ſermone vocetur charitas, & olim in Eccleſia appellabatur Agapi, quæ vox Græca charitatem, & dilectionem ſignificat Latinè; vt patet ex *Tertulliano l b. ad Martyres c. 2.* Non tamen eſt actus elicitus charitatis theologicæ, ſed dumtaxat charitatis moralis, quæ eſt miſericordia: maximèque expedit, vt imperetur à charitate virtute theologica, fiatque propter Deum, ſeù quatenus proximus miſer, eſt aliquid Dei, diuinam bonitatem participans. Tum, vt reddamur certiores, quod non ſit ex motiuo, & compaſſione naturali, ex *Briſiacenſi to. 4. tr. 4. d. 3. qu. 2. ar. 8. nu. 76.* Tum propter meritum, vt apud Deum ſecundum tutiorem ſententiam meritoria ſit?

 Quod

Quod valdè notandum, & plebi explicandum eſſe notat *Sporer tr.3.in 4.præc.Decal.c.6.ſect.2.num.3.* Hinc ipſe *Briſacenſis*, *Gab.à S.V.2.2.d.21.dub.1.num.3.* & alij ex *D.Thoma 2.2.q.31.ar.1.* definiunt eleemoſynam, quod ſit opus, *quo datur aliquid indigenti ex compaſſione propter Deum.* Elicita ex ſola virtute morali non eſt ſufficiens ad iuſtificandum impium; vt contra Hęreticos eſt de Fide, ex Doctrina *Apoſtoli 1.ad Cor.13. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Licèt ei tribuatur aliqua ſpecialis vis ad obtinēda auxilia congrua ad obtinendam remiſſionem peccatorum, quæ non tribuatur ieiunijs, & alijs operibus pijs. Et ideo dicitur remiſſiua peccatorum, quia ſæpe de facto id obtinet, non immediatè, aut ſemper, & omninò infallibiliter, ſed frequentius obtinetur per illam, quàm per alia opera, vt cum *Arriaga to.5.d.42.num.21.* docet *Leander à Sacr.to.5.d.1.q.16.* Data verò ex imperio charitatis, ſeù ob amorem Dei ſumme dilecti, eſt ſufficiens ad iuſtificandum impium, vt tamquam certum docent cum communi: *Leand.à Sacr.q.17.& Gabr.à S.V.l.c.nu.22.* Conſtatque ex illo *Tobiæ 4.4. Eleemoſyna enim ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras.* Et iuxta iſta, intelligitur id, quod protulit *S.Auguſt.tr.45.ad Fratres in Eremo. Non memini me legiſſe aliquem malè mortuum fuiſſe. qui viuens opera pietatis benè exercuerit.*

3 Notandum eſt 2. Quod beneficentia, ſeù miſericordia, iuxta duplicem proximi miſeriam, corporalis eſt, & ſpiritualis. Vtraque autem plures actus habet, iuxta plures proximi neceſſitates: & communiter numerantur ſeptem opera miſericordiæ corporalis, & alia ſeptem ſpiritualis his verſiculis.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Porrò ly *Conſule*, duo includit; ſignificat enim non tantùm conſilium dare indigenti, ſed etiam conſilium dare ignoranti. *Illſung tr.3. d.vn.ar.6. num.97.* Et *D.Auguſt.in Enchir.c.72.* recenſet quidem quædam eleemoſynæ, ſed miſericordiæ opera in memoratis capitibus non poſita: at ad illa reuocabilia, vti ſunt, fugienti latebras concedere, debilem ſubuehere, cæcum ducere, ægro mederi, erranti iter oſtendere, &c. Dictarum eleemoſynarum, abſolutè loquendo, ſpiritualis eſt potior; attamen quando proximo corporalis eſt magis neceſſaria, illa magis eſt danda. Vnde tunc E.g. erit melius paſcere eſurientem, quàm docere, iuxta illud *Philip. Indigenti melius eſt ditari, quam Philoſophari. Gabr.à S.V.l.c.nu.15.* Hic agimus de corporali.

4 Notandum eſt 3. Obligare hominem ad dandam eleemoſynam, duobus concurrentibus, vt in ſequenti prænotione, pręcepto tum naturali, quod (vt rectè notat *Gabr.à S.V. ſupra num.28.*) diuagatur ferè per præcepta omnia ſecundæ tabulæ, potiſſimè tamen per quartum, quod ſo-

lum

lum affirmatiuum eſt eſtque traditum à *D. Th. cit. q. 32. ar. 5. ad 4.* & poſtea ad quintum, quantum ad violationem, iuxta illud *D. Ambroſij: Paſce fame eſurientem, ſi non paviſti, occidiſti.* Tum poſitiuo, quod frequenter, & ſeuere fertur in ſcripturis: *Prouerb. 21. Eccleſ. 4. 2. Ioan. 3.* & alibi ſæpiſſimè. Sed omnium grauiſſimè Chriſtus ipſe *Lucæ 16. in Parabola Epulonis*, ac *Matthæi 25. Venite benedicti, &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Et contra: *Ite maledicti in ignem æternum, &c. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*, & conſequenter omnes ferè ſpecies eleemoſynæ, ſeu miſericordiæ corporalis enumerans, pœnam æternam damnationis vtique ſolis peccatis mortalibus debitam, impijs ob ſolum defectum eleemoſynę in tremendo iudicij die infligendam denũciat. Hinc obligat hoc præceptum tam fideles, quàm infideles, ſicut præceptum honorandi parentes. *Thomas Franciſcus Rotarius in Apparatu Theol. mor. p. 2. ſect. 6. quæſt. 1.* & alij communiter. Et extenditur ad omnem proximum egenum, ſiue ſit propinquus, ſiue alienus, ſiue iuſtus, ſiue peccator. Colligitur ex illo *Tobiæ 4. Noli auertere faciem tuam ab vno paupere.* Cum enim præceptum charitatis extendatur ad omnem proximum, etiam inimicum, præceptum quoque eleemoſynæ, quod cum illo nectitur, ad inimicum extendetur. Ita *Gabr. à S. V. ſupra dub. 3. nu. 31.* addens, quod cum aliqui Sancti dicunt, non eſſe elargiendam eleemoſynam peccatoribus, intelligi debent formaliter, hoc eſt in ordine ad fouenda illorum peccata. Conſonat *Leander à Sacr. d. 5. q. 5. qui q. 7.* addit, quod etiam eleemoſyna danda eſt pauperibus inimicis, niſi ea ratione contra nos fierent potentiores ad opprimendum nos, aut fouerentur in ſua malitia. Hoſtibus verò Reipublicæ, etiam ſi extreme indigeant, danda non eſt. Ita *Leand. à Sacr. qu. 8.* Eſtque præceptum dandi eleemoſynam etiam pauperibus voluntarijs, ſcilicet Religioſis; quia eorum paupertas, & neceſſitas vera eſt, & iuſta, quod autem voluntariè contracta fuerit, nihil refert, ſi voluntas, & cauſa contrahendi pia fuit, Deo grata, & rationi conformis. Ita contra *Ioannem de Medina* docent *Lorca 2. 2. d. 3. d. 39. memb. 4. n. 57. Diana p. 5. tr. 8. reſ. 18. Leander à Sacr. qu. 3. Octauius Maria à S. Ioſeph.* & alij. Aliud eſt de vagabundis, quibus paupertas eſt voluntaria in cauſa non laudabili quatenus ex amore otij fugiunt laborem, quo, ſi vellent, facilè poſſent ſibi neceſſaria acquirere. Et ijs non eſt danda eleemoſyna, (niſi in grauem neceſſitatem inciderint) quia ſic auocantur a vitijs ſuis. *Leander à Sacr. qu. 4.* & alij. Et idem eſt de auaro, qui proprijs rebus vti non vult; quia iſte voluntariam, culpabilem, & vitioſam inopiam patitur. Excipiendum tamen eſt, ſi impotenti paſſione victus, in hanc miſeriã incideret: tunc enim compatiendum eſſet, & ſubueniendum eo modo, quo ſuccurrendum eſt ei, qui vehementi paſſione oppreſſus ſibi ipſi ſuſpendium parat ſed in hoc caſu ex bonis ipſius, non ex proprijs ſubueniendum eſſet. Ita *Lorca d. 37. n. 11. Azorius to. 2. l. 12. c. 9. quæſt. 5. Syluius 2. 2. qu. 13. ar. 9. qu. 4. Diana cit. tr. 8. reſol.*

Digitized by Google

8. reſ. 19. Leander à Sacr. qu. 9 Verum ex quocumque motiuo, etiam vanæ gloriæ datur eleemoſyna, impletur hoc præceptum; quia quocumque ſubleuatur miſeria pauperis, quod eſt finis intrinſecus huius præcepti. Ita cum *Ouiedo*, & alij, *Leand. à Sacr. qu. 4.*

5 Notandum eſt 4. Ad incurrendam obligationem dandi eleemoſynam duo concurrere debere, videlicet, quod & accipiens in neceſſitate conſtitutus ſit, & dans habeat bona ſuperflua, vnde dare poſſit eleemoſynam. Ita Doctores paſſim. Idque deſumitur ex S. Scriptura clarè, vt ex illo *1. Ioan. 3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*. Et conſequenter, vt propter negatam eleemoſynam perdatur charitas Dei; ſeù gratia ſanctificans, requiritur, vt frater, ſeù proximus noſter habeat neceſſitatem; ſimulque nos habeamus ſubſtantiam, ſeù media ſufficientia eum iuuandi. Idem patet ex illis verbis *Matthei 25. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi: &c.* Vnde ſi quis non habeat, vnde det eleemoſynam, is contra hoc præceptum non peccat, quia ad impoſſibile nemo obligatur. Si verò negligat, qui poteſt, ille, qui in neceſſitate extrema conſtitutus eſt, poteſt occultè ſurripere maximè neceſſaria: quod etiam non ſolum per ſe, ſed & per tertium fieri poteſt. Ita *Briſacenſis ſupra nu.* 78. alijque. Similiter ſi quis habeat quidem bona plurima, ſed non adſit qui habeat veram neceſſitatem, non tenebitur præcepto dandi eleemoſynam. Non tamen quis tenetur inquirere egenos: quia præceptum eleemoſynæ ſolum obligat neceſſitati vitæ ſubuenire. Quod non leuiter colligitur ex illis verbis *1. Ioan. 3. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere: & D. Thomas quodl. 8. ar. 12. Azorius, Vaſquez, Suarez, Valen. Vuigers, Ludouicus de S. Ioanne, & Syluius*, quos ſequitur *Diana p. 5. tr. 8. reſ. 3. Illſung num. 99.* Niſi tempore peſtis (ſecluſo tamen periculo infectionis, aut prouiſione aliunde facta per magiſtratus) *Hurtadus de Mendoza in 2. 2. d. 159 ſect. 3. §. 13. Briſacenſis ſupra*. Item niſi ſint Paſtores, & Prælati, aut ſuperiores. Ita cum communi *Caſtropalaus to. 1. tr. 6. d. 2. pu. 2. n. 3. Briſacenſis, Illſung*, & alij. Neceſſitas tibi conſtare debet, nō regulariter ex teſtimonio patientis neceſſitatem, qui ſimulare eam poteſt, vt docent *Bonac. d. 3. q. 4. de char. pu. 6. nu. 6.* cum *Maldero, Caſtropalaus ſupra, Illſung.* & alij, ſed ex aliorum dictis, non neceſſariò euidenter, bene tamen probabiliter *Gabriel. à S. V. cit. dub. 3. num. 32.* Quod ſi cognoſcis neceſſitatem, ſed probabiliter præſumis alium ſuccurſurum, non erit auxilium tuum neceſſarium: atque adeo reſpectu tui non erit ille proximus in neceſſitate. Ita *D. Thomas 2. 2. qu. 32. ar. 5. ad. 3. Arriaga to. 5. d. 43 ſect. 2. n. 23. Leander à Sacr. ſupra d. 2. q. 13. & 14.* qui ait, neceſſum eſſe, vt obligeris, vt tibi probabiliter conſtet, non eſſe alium, qui poſſit, & velit ei ſuccurrere; & potes expectare, ſi ſint alij, qui poſſint, quod alij faciunt.

6 Notandum eſt 5. Bona poſſe eſſe neceſſaria, vel ſuperflua dupliciter

citer, quoad naturam, ſeù vitam, & quod perſonam, ſeù ſtatum. Bona neceſſaria naturæ ſuæ, ſeù vitę ſunt, quæ requiruntur neceſſariò ad conſeruandam vitam, & naturam ſuam, ac familiæ ſuæ. Superflua autem naturæ & vitæ dicuntur ea, ſine quibus quis ſuam, familiæque vitam congruè conſeruare, ac tueri poteſt. Adeoque bona ſufficientia naturæ, & vitæ habere cenſetur, qui habet congruum victum, veſtitum, & domicilium pro ſe, & familia ſua iuxta illud *1. Tim 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus*. Reliqua bona vltra iſta dicuntur ſuperflua naturæ: Bona neceſſaria perſonæ, vel ſtatuti dicuntur, quæ neceſſaria ſunt ad decentem conſeruationem ſtatus, vel conditionis perſonæ, vtpote honeſti ciuis, Magiſtratus, nobilis, &c. Hi enim ipſo iure naturæ ad ſtatum vel conditionem ſuam tuendam plus requirunt, quam priuatus ciuis, plebeius, ruſticus, &c. Secluſo tamen abuſu moderni temporis, quo nobiles, & potentes ſummum quemque luxum cenſent eſſe de ratione ſtatus ſui. Bona ergo ſuperflua perſonæ, vel ſtatui dicuntur ſine quibus talis ſuum familiæque ſuæ ſtatum ſufficienter conſeruare, ac tueri poteſt: quæ proinde ſimpliciter dicuntur bona ſuperflua. Vbi tamen aduertunt *Gabr. à S. V. à num. 37. Sporer num. 42.* & alij communiter cum *D. Thoma ει. q. 32. ar. 1.* Primò ſub his neceſſarijs vitæ, vel ſtatus non tantum intelligi neceſſaria vitæ, vel ſtatui propriæ perſonæ, ſed etiam propriæ familiæ vtpotè parentum, filiorum, coniugis neceſſarij famulitij. Secundò non tantum neceſſaria vitæ, vel ſtatui in præſenti, ſed etiam, quoad futuram neceſſitatem, quæ communiter accidere ſolet, & moraliter certò accidet: vt pro tempore morbi, ſenectutis, pro educandis, elocandis, & dotandis filijs, pro ipſis in ſtudijs poſtea ſuſtinendis, quando erunt maiores, &c. (non nē pro extraordinarijs, vel imaginarijs neceſſitatibus; vt ſi cęcus fieret, ſi domus comburreretur, &c) Hæc ex parte dantis. Ex parte verò accipientis triplex communiter diſtinguitur neceſſitas, extrema, grauis, communis. Extrema dicitur, qua vita ipſa periclitatur, vel certe quid æquiualens; ita vt vel mors certò ſequutura ſit, vel morti ſimile malum; purà grauis, periculoſus, vel incurabilis morbus, omiſſio membri principalis, vel ſenſus corporis, carcer duriſſimus, ipſaque morte grauior, atque turcica captiuitas, &c. niſi homo ope congrua adiuuetur. His adnumeratur etiam periculum amentiæ, *Gabriel à S. V. dub. 4. nu. 35.* alijque. Idque ſiue hæc neceſſitas proueniat fortuitò, ſiue ex alterius malitia. *Anton. à Spir. San. p. 3. tr. 3. d. 2. ſect. 10. n. 62. Diana p. 5. tr. 8. reſ. 1.* addens, quod ſi proueniat ex alterius malitia eſt maior neceſſitas, quia cum inopia coniungitur iniuria. Neceſſitas grauis dicitur, qua quis vitam valde difficulter, ſtatum verò omninò tueri non poteſt: vt ſi graui, & diuturno morbo, vel fame labores, ob debita diuturno carceri includendus ſis, ſi notabiliter caſurus ſis à ſtatu tuo, vt ſi nobilis ſeruire, vel laborare ſimiliter cogaris, honeſtus ciuis mendicare; denique quandocumque ſubeſt periculum cuiuſcumque

mali,

Digitized by Google

mali, vel damni emergentis grauis, quo amittas aliquid iam habitum, vel tibi debitum. Secus eſt de lucro ceſſante, vel occaſione acquirendi aliquid nondum habitum, vel debitum, vt magnam ſummam, ſtatum nobiliorem, &c. hæc enim non eſt neceſſitas, ſed potius cupiditas. Neceſſitas communis dicitur, qua homo communiter, non decidendo notabiliter à ſtatu ſuo, laborat, & cui cum aliqua morali ſolicitudine, aut induſtria ipſius patientis, vel alias communi, & ordinario modo ſuccurri poteſt; qualis eſt pauperum, qui mendicare ſolent, & mendicando à ſuo ſtatu non decidunt. Item aliorum egenorum, qui duro licet labore, ęgrè tamen ſe, ſuoſque ſuſtentant: quales neceſſitates communiores verè ſunt nimis communes hoc tempore apud plebeios. His prænotatis, ſit,

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum.

7 DIco 1. Habens ſola neceſſaria ſibi, quoad naturam, vel ſtatum; nunquam tenetur facere eleemoſynam pro ſimili neceſſitate proximo laboranti. Eſt certum apud omnes.

Fundatur in naturali charitatis ordine, quo quilibet quoad bona eiuſdem ordinis magis poteſt, & debet amare ſe ipſum, quam proximum.

8 Et hinc 1. Habens tantum neceſſaria naturæ, non tenetur, nec poteſt facere eleemoſynam proximo, etiam extrema neceſſitate laboranti. Quia quilibet ſuam, ſuorumque vitam poteſt, & debet aliorum vitæ, & incolumitati præferre. Excipit tamen *D. Thomas cit qu. 32. ar. 6.* caſum his verbis: *Si quis ſubtrahendo ſibi daret alicui magnæ perſonæ, per quam Eccleſia, vel Reſpublica ſuſtentetur: qui pro talis perſonę liberatione ſe pſum, & ſuos laudabiliter mortis periculo exponeret, cum bonum commune ſit proprio præferendum.* Sequuntur *Caſpenſis d. 5. ſect. 2. Baſſæus V. Eleemoſyna, num. 4. Sporer num. 45. Briſacenſis num. 77.* & alii communiter: à qua ſententia non eſt recedendum: quamuis *Ioannes Sancius* apud *Tamburinum in Decal. l. 5. c. 1. §. 1. num. 4.* dicat, ius propriam vitam tuendi adeo ſtrictum eſſe, quod à nullo iure conſeruandi alienas vitas vinci poſſit, niſi ex pacto teneatur, vti milites, &c. Secundò ſimiliter habens neceſſaria ſtatui ſuo, non tenetur cum æquali, vel ſimili detrimento ſui ſtatus alteri facere eleemoſynam in neceſſitate graui, vel ſtatus, ob eandem rationem: niſi rurſus alter egens eſſet perſona publica Reipublicæ neceſſaria, vt paulò ante dictum eſt. Tertiò, multò minus tenetur quis in communes neceſſitates pauperum deferre opes, vel bona ſua neceſſaria ſuo ſtatui pro præſenti, vel futura ordinaria neceſſitate, immò non liceret cum notabili detrimento ſtatus, vel familiæ, niſi quis velit paupertatem Euangelicam amplecti,

Digitized by Google

ſti, iuxta conſilium Chriſti *Matthæi 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c.* Ità communiſſimè cum *D. Thoma cit. ar. 6.*

9 Dico 2. Proximo extrema neceſſitate laboranti ſub mortali teneris ſuccurrere; non tantùm de ſuperfluis, ſed etiam de aliquibus neceſſariis ſtatui. Ita Theologi communiſſime.

Probatur clare. Quia ordo charitatis poſtulat, per ſe loquendo, & cæteris paribus, vt proximi vitam pluris faciamus, quam dignitatem proprii ſtatus, & multò pluris, quam opes ſimpliciter, etiam ſtatui ſuperfluas. Hic enim veriſſimum eſt illud *Ambroſij: Paſce fame morientem, ſi non paviſti, occidiſti.*

10 Verum ſupra diximus: quod nullus tenetur inquirere tali neceſſitate extrema laborantes, ſed ſufficit ſuccurrere, & iuuare notos. Qui tamen dubitaret de alicuius proximi extrema neceſſitate, teneretur ſub mortali inquirere veritatem, quia alias relinqueret ſe in periculo peccandi mortaliter contra præceptum ſuccurrendi proximo in extrema neceſſitate, & cum *Sanchez*, aliiſque *Layman l. 2. tr. 3. c. 6.* Quod ſi facta inquiſitione dubium perſeueret, non teneris ſuccurrere; quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Ita cum *Sanchez*, & aliis *Diana cit. tr. 8. reſ. 19.* Qui rectè notant, pauperibus publicè expoſitis, ex nuditate, morbo, defectibus membrorum, &c. extremæ neceſſitatis ſigna oſtentantibus raro debere ſuccurri ſub mortali; quia illa ſigna communiter exaggerantur, ſi non omninò finguntur. Cæterum, cum plures ſciunt extremam neceſſitatem proximi, omnes tenentur ſuccurrere per æquas partes: ſi nolint alii, omnes tunc tenebuntur in ſolidum, omneſque ſcientes, & omittentes peccabunt mortaliter. Si vnus velit totum præſtare per ſe, alii liberabuntur. Quod ſi verò aliis de contribuendo admonitis, & recuſantibus, vnus totum præſtitit, poterit partes ratas ab aliis iure exigere, vel etiam compenſare. Ita *Hurtadus de Mendoza 2. 2. d. 159. ſect. 3. §. 14.* & cum aliis *Diana eodem tr. 8. reſol. 2. & ſeqq.*

11 Dixi: de aliquibus neceſſariis ſtatui: nam habens tantum neceſſaria vitæ, & ſtatui abſque ſuperfluo, tenetur quidem ſub mortali ad extremam proximi neceſſitatem ſubleuandam aliquod detrahere de neceſſariis ſuo ſtatui, non tamen cum graui detrimento ſui ſtatus; multò minus tenetur ideò ſe de ſuo ſtatu deiicere, ſeu illa bona expendere, quibus amiſſis deberet notabiliter à ſuo ſtatu cadere; vt ſi nobilis ideò ſeruire, honeſtus opifex mendicare deberet. Ita *Herinx d. 12. qu. 3. num. 46. Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 4. diſt. 6. qu. 4. num. 41. Sporer num. 51. Diana reſ. 7.* & alii communiter. Ratio eſt. quia non teneris arctius vitam proximi conſeruare, quam tuam. Sed tuam vitam non teneris ſic conſeruare; non enim teneris V. g. ad ſanitatem recuperandam omnes tuas opes expendere, vt poſtea ſanus factus omninò miſer euadas, quin id moraliter morti æquiparatur: Ergo

minus alienam. Præterea, vt argumentatur *Herinx*, vtilius eſt Reipublicæ nobilem retinere ſtatum ſuum, quam quod priuatus pauper vitam, alioquin ad breue tempus duraturam, non tam citò finiat. Quinimmò etiam de bonis ſimpliciter ſuperfluis nemo tenetur etiam in extrema neceſſitate proximi expendere magnam pecuniæ ſummam ad emendum V.g exquiſitiſſimum, & pretioſiſſimum medicamentum, etſi neceſſarium, quale nec ipſe infirmus, ſi pecunias haberet, iuxta rationem ſtatus ſui ſibi comparare deberet. Ita *Sà V. Eleemoſyna, num.4. Layman* alios referens *l.2. tr.3.c.6.num.4. Reiffenſtuel, Diana, & Sporer* locis relatis, *Leand. à Sacr. q.18.* Nec vllo caſu pro alicuius priuati vita quis tenetur exponere magnas diuitias: V.g. ter, vel quater mille aureos; quia tantis diuitiis in Republica plus boni cauſari poteſt, quam ſit vnius priuati hominis vita; vt ex communi notat *Diana cit. tra.8. reſ.6. Continh, Leand. à Sacr. Cotonius, & Illſung.* Denique ordinariis tantum mediis ſuccurrere præcipit charitas, non extraordinariis: eſto etiam hoc, vt quid perfectius ſuadeatur. Captiuum apud Turcas nemo tenetur ſub mortali, etiam de ſuperfluis redimere; quia ad id magna ſumma requireretur, & facilè pretium redemptionis augeretur: tenetur tamen tali petenti, vtpotè in vera graui neceſſitate poſito, aliquid dare. Excipitur: niſi captiuus talis eſſet iniuſtè occidendus, præ triſtitia, vel aliis ærumnis conficiendus; tunc enim verè eſſet in extrema neceſſitate, ideoque de ſuperfluis ſtatus neceſſariò iuuandus: vt cum aliis notat *Diana cit. reſ.6.* Vult tamen *Castropal. p.1. tr.6 d.2. pu.2. n.7.* patienti periculum vitæ ab inimicis, ni magnam ſummam expendas, te non obſtringi expendere, etiam ſi aliunde ab ſtatu cadere non debeas; quia alias facili negotio poſſent inimici Rempublicam inopem reddere, obligando ciues ad grauem ſummam expendendam minando mortem captiuis. Excipiendum etiam generaliter videtur, ſi perſona eſſet coniunctiſſima; vt ſi filius patrem, vel pater filium ab iniuſta morte certò alias inferenda, etiam aliquot millibus, ſtatui tamen ſuo non valde neceſſariis, vel ſuperfluis redimere poſſit, omninò videtur *Sporer*, & aliis, ex charitate, & pietate obligandus; quia plus ſibi inuicem ſine dubio debent pater, & filius, quam alii non ita coniuncti.

12 Quæ diximus inſuper intelligenda ſunt de patiente neceſſitatem extremam à cauſa naturali intrinſeca, vel à cauſa extrinſeca iniuſta. Nam ſi à cauſa extrinſeca iuſta neceſſitas inferatur; nullo modo teneris ſubuenire. Hinc eſt, te non eſſe obligatum condemnato iuſte, vt fame pereat, cibum præbere, & condemnato ad triremes, & perpetuum carcerem pecunia liberare, eſto poſſis. Ratio eſt, quia Reipublicæ æque vtile eſt, & fortè vtilius, vt delinquens pœnam debitam ſuſtineat, quam eum à tali pœna liberum reddere. Item ipſe condemnatus non tenetur ſe à tali morte liberare, etſi poſſet; ſed poteſt illam patienter ſuſtinere. Ergo neque tu teneris, Ita *Nau. in c. non inferenda 23. qu.3. num.24. Malderus de virtutibus*

tibus tr.3.c.1.dub.15. Sà V. Charitas, num.6, Sancius d.4. ſelect. num.6. & 7. Bonac.d.3.qu.4.de Char.pu.6.num.17. Poteris tamen, ſi non ſis miniſter iuſtitię, aut ſpecialiter interdictus, ſic condemnato, vt fame pereat, cibum ſubminiſtrare, ſicut enim condemnatus poteſt illum ſumere, & procurare, ob ius conſeruandi vitam, etiam tu potes illum in hac cauſa iuuare; quia ſolum condemnatur ad patiendum. Ita *Bannez 2.2.qu.32.dub.3. Sotus l.5. de iuſt.q.5.ar.vlt. Reginal.l.4.c.25.n.296. Toletus l.4.c.31.*

13 An autem eleemoſyna extrema neceſſitate laboranti debeatur ex iuſtitia, vel ſolum ex charitate? Deberi ex iuſtitia, docent *Caietanus, Alenſis, Petrus Nauarra, Aragonius, Spino, Sarmiento,* & alii; moti, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Deberi ſolum ex charitate, docent *Martinus Nauarra in man.c.24. Bannez, Bellar. Valen. Filliuc.* aliique quos relatos ſequitur *Diana ſupra reſ.2. Arriaga to.5.d.42.ſect.2.nu.29. Gabr.à S.V. ſupra num.37.* Neque enim aliud eſt ius poli, quam naturalis, & generalis obligatio charitatis. Vnde qui etiam extrema neceſſitate laboranti non dedit eleemoſynam (niſi aliunde ex iuſtitia obligatus fuiſſet, vt Magiſtratus, Pater, &c.) ſequuta morte, vel damno proximi, non tenetur ad reſtitutionem vllam. Ita *Villalob. in ſum. tom.1.tr.22. diffic.2. num.9. Sporer num.53.* & alii ſupra relati. Ratio eſt, quia nullum poteſt aſſignari argumentum tam ſtrictæ obligationis. Nullum enim eſt ſufficiens fundamentum, vnde colligamus, Deum habuiſſe voluntatem ſingularem coarctantem dominium datum, aut permiſſum hominibus in res huius vitæ ad caſus extra extremam neceſſitatem pauperis. Licet autem neceſſitas extrema faciat omnia communia, non tamen faciat propria egentis, quamdiu ab ipſo non poſſidentur. Non tamen licet emere in ſeruum ſe volentem vendere in extrema neceſſitate, ſed ei ex charitate gratis ſuccurrendum eſt, vt cum *Azorio,* & aliis docet *Diana reſ.7.*

14 Pauper extremam neceſſitatem patiens iure naturæ poteſt auferre ſibi neceſſaria ſufficientia ad tollendam neceſſitatem à quouis ſimilem neceſſitatem non patiente: nec poſtea ad pinguiorem fortunam rediens tenetur reſtituere quidquam. Ità Theologi communiſſimè. Ratio eſt iam inſinuata; quia in extrema neceſſitate iure naturali omnia ſunt communia, & omnibus debita quoad vſum neceſſarium. Similiter non tenetur reſtituere, qui in extrema neceſſitate conſumpſit, id, quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum ſolutum: immò quod antea furatus fuerat. Ita ex communi *Leſſius,* & aliis citatis *Diana ibidem reſ.8.* Secus eſſet, ſi quis in ipſa neceſſitate extrema, cum ſpe certa poſſibilis aliquando reſtitutionis accepiſſet mutuum, vel commodatum. De quo tomo *de Reſtitutione* dicam latius.

15 Illud remanet reſoluendum. An quamuis nemo teneatur rem pretioſiſſimam, aut ingentem ſummam expendere ad ſubleuandam extremam proximi neceſſitatem: nihilominus ipſe in extrema neceſſitate con-

Digitized by Google

ſtitutus ſimilem rem pretioſiſſimam, vel ingentem ſummam ſibi tunc neceſſariam poſſit auferre à diuite? Affirmat, vt probabiliſſimum, *Sporer num.54.* ex eo quod in extrema neceſſitate omnia ſunt communia quoad neceſſarium vſum: ergo etiam res pretioſiſſima, etiam duo, tria, aut quatuor millia communia erunt, & licitè auferri poterunt, dummodo per hoc alter non conſtituatur in æquali neceſſitate. Sed quia ſententia oppoſita eſt etiam probabilis, ipſemet Auctor addit, quod Dominus rei poterit tunc impedire, & prohibere auferentem; in quo caſu licet non per ſe, per accidens tamen ratione oppoſitarum opinionum probabilium datur bellum ex vtraque parte iuſtum.

16 Dico 3. Habens ſuperflua naturæ, & ſtatus, tenetur ſub mortali facere eleemoſynam proximo grauem neceſſitatem patienti (ſi nimirum ipſe ſciat neceſſitatem, & alius non adſit, qui debeat, & poſſit, ac velit ſuccurrere, iuxta ſupra dicta). Ita *Con. Bellar. Torres, Valen. Lorca, Suarez, Conimb, Caſtrop. Sanchez, Bannez, Aragon. Malderus, Hurtadus de Mendoza*, quos refert, & ſequitur *Diana p.5.tr.8.reſ.14.* expreſsè retractans contrariam ſententiam *Roſellæ*, & aliorum, cui adhæſerat *p.2.tr.2. Miſcell.reſ.28.* Ratio generalis charitatis etiam hic militans eſt: quia lex charitatis obligat ſuccurrere proximo in vera neceſſitate, quando ſine noſtro incommodo, vel detrimento poſſumus; tenemur enim diligere proximos, ſicuti nos ipſos; & non tantum, *verbo, & lingua, ſed opere, & veritate*, inquit *S. Ioannes*: Sed qui habet ſuperflua naturæ, & ſtatus poteſt ſuccurrere proximo ſine graui ſuo incommodo, vel detrimento: Ergo in vera graui eius neceſſitate, etiam tenetur. Accedit illud *Io n.3. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* quaſi diceret. Non manet charitas Dei in illo, qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & non ſuccurrerit: neque dixit neceſſitatem extremam, vt innueret, grauem ſufficere. Item *Matthæi* 18. damnatus fuit ſeruus, quia non fuit miſertus conſerui ſui grauiter indigentis Et *Matthæi* 25. damnantur in iudicio homines, qui nec cibarunt famelicum, nec potauerunt ſitientem, nec veſtierunt nudum, nec receperunt peregrinum, &c. Quæ omnia, cum paſſim occurrant, non debent intelligi eſſe neceſſitatis extremæ. Adde: Quod ſi in graui neceſſitate nullus ſuccurreret, etiam proximo imminere neceſſitatem extremam. Vnde SS. Patres, Sacram Scripturam præcipientem eleemoſynam, intelligunt etiam de graui neceſſitate Sic *D. Ambr. l. 1. de offic. c. 13.* ait. *Grandis culpa eſt, ſi ſciente te fidelis egeat, ſi ſcias eum fame laborare, ærum nam pati, præſertim ſi mendicare erubeſcat.* Sic ille. Quin etiam cum *S. Thoma*, aliiſque *Laym l.2.tr 3.c.6.num.4. & Tambur.l.5. Decal.c.1.§.1.* rectè docet, in valdè graui neceſſitate proximi teneri diuitem ſuccurrere, etiam de aliquibus neceſſariis: non tamen valde neceſſariis ſtatui: ſic, vt ipſe ſuccurrens inde deberet incurrere neceſſitatem: hoc enim lex, & ordo charitatis nunquam præcipit.

17 Hinc

17 Hinc peccant mortaliter diuites, qui habent ſuperflua, & non faciunt eleemoſynam extra extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem pauperum, etiam ſi habeant intentionem conſtruendi templa, aut omnia relinquendi pauperibus poſt mortem. Quia hęc eorum intentio non tollit obligationem: nec facienda ſunt mala, vt eueniant bona: & vt ait, *S. Ioannes Chryſoſt. hom. 35. ad pop. Antioch.* Diuites habentes ſuperflua ſunt Oeconomi in Dei familia. Ita cum *Azorio, Bonac.* & alijs *Octauius Maria à S. Ioſeph interrog. 977.*

18 Et Iudices poſſunt compellere diuites ad eleemoſynam, non ſolùm in caſu extremæ neceſſitatis, ſed etiam quoties præceptum adeſt iure Diuino, aut naturali, vt eſt in caſu grauis neceſſitatis, &c. Quoniam non ſolùm extreme indigentibus Reſpublica prouidere tenetur, ſed etiam alijs pauperibus, & in bonum commune facit, vt non ſolùm extremè, ſed etiam aliæ neceſſitatis ſubleuentur. Ita *Sanchez l. 1 opuſc. c. 5. dub. 5. num. 65. Lorca 2. 2. ſect. 3. d. 39. memb. 4. num. 47. Diana p. 5. tr. 8. reſ. 4. Leand. d. Sacr. d. 2. qu. 29. Cabr. d. S. V. d. 21. dub. 6. num. 68.*

19 Porrò & ſi graui, immò etiam extrema neceſſitate omnimoda laboranti, qui ſcilicet re, & ſpe pauper eſt, habens ſuperflua ex præcepto eleemoſynæ teneatur dare gratis, quæ neceſſaria ſunt ad neceſſitatem ſubleuandam; quando tamen graui, vel extrema neceſſitate laborans non ſpe, ſed re tantùm, ſeu actu hic, & nunc pauper eſt, puta quia vel alibi in patria V. g. habet bona, vel ita conſtitutus eſt, vt probabiliter credatur poſtea acquiſiturus, vel non ipſa re, ſed ſolùm vſu rei indiget, vt ęquo, curru; &c nemo tenetur gratis dare, ſed ſufficit accommodare, vel vendere cum onere reſtitutionis, vel ſolutionis, ſub conditione, cum aliquando poterit. Ita *Leſſius l. 2. c. 19. dub. 1. Vaſquez, Suar. Coninch, Valen. Tannerus*, aliique, quos relatos ſequitur *Diana ſupra reſ. 5. Sporer num. 56. Leand. d. Sacr. d. 2. qu. 21. Auerſa, Ant. d. Sp. San. Baſſæus*, & alij, Ratio eſt; quia præceptum charitatis, & eleemoſynæ ſolùm præcipit ſuccurrere neceſſitati proximi: hac autem ratione verè ſuccurritur neceſſitati proximi, & ſi non per ſimplicem eleemoſynam, tamen verò opere charitatis, & miſericordiæ. Idque maximè verum eſſe debet, quoties notabilis ſumma pecuniæ, vel res magni pretij, inter præſentem neceſſitatem eſſet expendenda. Nam licet quis in extrema neceſſitate licitè accipiat neceſſaria, accipienti tamen rem magni pretij non iniuſtè imponitur hęc grauis obligatio reſtituendi aliquando, cum poterit, ſeù ad pinguiorem fortunam peruenerit, vt notat Doctores relati.

20 Habens ergo ſuperflua naturæ, & ſtatus videnſque proximum grauem neceſſitatem pati, V. g. fame, vel morbo affligi, ob debita diuturno carcere macerari; &c. tenetur ſuccurrere, ſaltem mutuando, maximè cum alter petierit, & alius, qui iure poſſit, & velit, non adſit. Vbi tamen grauitas peccati omiſsionis ex circũſtantijs expendẽda eſt prudẽtis iudicio. Neque

(vt

Digitized by Google

(vt iam ſupra dictum eſt) tenetur, quis inquirere de graui neceſſitate proximi, ſed ſufficit miſereri occurrentibus; nec tenetur iuuare omnes, ſed quibus placet, ſeruato ordine charitatis: neque totam neceſſitatem ſubleuare, ſed pro facultate, & arbitrio aliquid contribuere, vt notat *Vaſquez*, & alij, quos ſequitur *Sporer nu.57.* Ægroto graui, & maximè extrema neceſſitate laboranti, tenetur Medicus gratis ſubuenire, ſaltem arte, ſi ſumptu nihil poſſit. Vniuerſaliter Aduocatus tenetur gratis in iudicio patrocinari proximo, non tantùm in extrema neceſſitate, & cauſa capitali, ſed etiam in graui, vt ſi putetur iniuſtè damnandus ad grauem mulctam, publicam fuſtigationem, triremes, &c. niſi in Iudicio defendatur. Ita *Suar.de char.d.7.ſect.4. num.4. Leſſius l.2.cap.31. dub 7. Laym. l.c. num.5.*

21 Dico 4. Plures diuites in populis reperiuntur, quibus bona ſua ſuperfluunt, & qui ex illis eleemoſynam largiri debent, cum tenentur ex ſuperfluo ſtatus. Et contrarium aſſertum meritò tanquam ſcandaloſum hoc Decreto propellitur, & abſurdiſſimum à pluribus reputabatur etiam ante; immò aliqui, ne in iſtiuſmodi abſurditatem inciderent, expreſsè ſibi cauebant à modo Auctorum Propoſitionis computandi ſuperflua, & neceſſaria vitæ, ac ſtatui, nempè includendi etiam neceſſaria ad aſcenſum ad ſuperiorem ſtatum: Ita inter alios *Coninch d.27.de char.num.130. Luiſius Turrianus 2.2.d.82.dub.4.verſ.In hac controuerſia.Ant.à Sp.San.p.3.tr.2.d.2.ſect.10.nu.64.Lorca cit.d.39 membr.1.nu.7.* vbi ſic ait: *Addunt aliqui ad neceſſitatem, vel conuenientiam ſtatus reuocandum eſſe aſcenſum ad ſuperiorem ſtatum, ita vt ea non cenſeantur ſuperflua, quæ licet excedant menſuram ſtatus præſentis; conducere tamen poſſunt, & reſeruantur, vt homo altiorem ſtatum acquirat, & acquiſitum conſeruet. Sed ſi hæc ſententia vera eſt, nihil vnquam erit ſuperfluum; quoniam quicumque poteſt ad altiorem ſtatum aſcendere, & quæcumque ſuperflua ſtatui præſenti conducere poſſunt, ad acquirendum altiorem ſtatum. Nec ſufficit, ſi dicamus, quod Caietanus inſinuat, id ſolùm verum eſſet, quando proximè ſperatur aſcenſus ad maiorem ſtatum, quem tamen non omnes ſperare poſſunt. Hoc enim nullius eſt momenti, quia ſequeretur illum, qui habet pauca vltra neceſſitatem præſentis ſtatus habere ſuperflua, qui habet autem plurima, nihil habere ſuperfluum; quia iſti facile eſt, & proximum altiorem ſtatum comparare, illi autem difficile, & remotum; illatio verò videtur planè abſurda.* Ita *Lorca Duuallius 2.2.tr.de Char.q.8.ar.4.* qui ſimilia verba habet.

22 Probatur autem, quod aſſertio contraria ſcandaloſa ſit, & bonis moribus in praxi nocens. Quia partitio iſta bonorum in neceſſaria ad ſtatum, & ſuperflua, ita demum debet fieri, vt non vix, non rarò, aut in paucis ſæcularibus, ſed in multis inueniantur bona ſuperabundantia, ex quibus tamqam ſuperfluis eleemoſynam largiri teneantur: Idq; ex Sacris literis, & SS. Patribus adeò clarè deprehenditur, vt abſque vi manifeſta aliter

ter

Digitized by Google

ter exponi non valeant. Atqui prædicta propoſitio, ſic dilatat neceſſaria ad ſtatum, vt vix vlli ex huius ſæculi diuitibus ſuperflua relinquantur, vnde hoc nomine pauperibus ſubuenire teneantur. Ergo, & bonis moribus Eccleſiæ nocet, & ſanæ illius doctrinæ contradicit. Aſſumpt o patet 1. ex verbis *Pauli 2. ad Corinth. 8. v. 14. In præſenti tempore veſt a abundantia illorum* (pauperum) *inopiam ſuppleat. 1. ad Timoth. 6. v. 17. Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum; ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis abunde ad fruendum) benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere.* 2. ex *Iacobi 5. v. 1. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis: Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: Aurum, & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & mandicabit carnes veſtras, ſicut ignis: Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Multus eſſem, ſi vellem omnia coaceruare, vbi ſæcularium diuitum opulentia ſupponitur, & ita ſibi theſaurizare dicuntur, dum ſpes ſuas congregant, & pauperes deſerunt. Videantur *Valen. to. 3. d. 3 q. 9. pu* 4. §. 2. qui & alia teſtimonia Scripturæ ponderat, & ſententias ad hoc ſuadendum affert ex *Auguſtino, Baſilio, Nyſſeno, Nazianzeno, Ambroſio, Hieronymo, Beda,* & alijs.

23 Et quidem ſi ſermo ſit de paupere conſtituto in graui neceſſitate patiendi infamiam, exilium, nuditatem, vel quid ſimile indecens perſonæ, ac ſtatui ipſius, inhumanum prorſus videretur, diuitem nolle ſubuenire ipſi ex diuitijs in futurum coaceruatis, eo ſolo prætextu; quod eis egeat ad amplificandum ſtatum ſuum, vel ad alium digniorem comparandum. Nam ſicubi, hic maximè locum haberet, quod legitur 1. *Ioan. 3. v. 17 Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Non dixit Ioannes extremam, ſed ſolam neceſſitatem, vt vtrumque ſimul comprehenderet: quia grauis neceſſitas propriè, & in rigore eſt talis. Et certe quamuis iuxta *S. Thomam cit. q. 32. ar. 6. in corp. Inordinatum eſſet, ſi aliquis tantum ſibi, de bonis proprijs ſubtraheret, vt alijs largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum, & negotia occurrentia; nullus enim inconuenienter viuere debet.* At verò longè alia eſt ratio de illo, qui iſtiuſmodi bona ſibi non ſubtrahit, neque detrimentum patitur ſubueniendo grauiter egentibus in ijs, quibus abſolutè indiget ad conſeruandum decorem, & decentiam proprii ſtatus. Aliud namque eſt non aſcendere, nec ſe ſublimare vlterius: aliud verò non decreſcere, ſed ſeſe in eodem ſtatu conſeruare. Nam qui hoc dumtaxat intendit, agit de damno vitando: qui autem vltra proprium ſtatum aſcendere, & ſublimari procurat, agit de lucro captando. Recta autem ratio requirit, vt aliquando indebitum, ac minime neceſſarium tibi lucrum differas, aut prætermittas; ne proximus, quem vt te ipſum diligere debes, graue incommodum, & afflictionem patiatur.

24 Di-

24 Dico 5. Habentes bona ſimpliciter ſuperflua naturæ, & ſtatus: etiam ſub mortali tenentur quandoque facere eleemoſynam pauperibus, communem tantum neceſſitatem patientibus. Ita *D. Thomas 2.2. q.32. ar. 5. Nauar. Richardus, Sotus, Bannez, Cou. Valen. Arag. Azorius, Filliuc. Bellarm. Tanner s, Laym. Becanus, Vuigers, Pratelius, Illſung.* & alij, quorum ſententiam longe communiorem, tutiorem, Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum conformiorem vocat *Sporer num.60.* contra *Granadum*, & *Reiffenſtuel* putantes obligari tantum ſub peccato veniali. Et contra *Hurtadum de Mendoza, Arriagam, Dianam*, & alios negantes vlli hominum eſſe obligationem erogandi eleemoſynam in neceſſitate communi.

Probatur. Tum ex Sacra Scriptura: *Lucæ* enim 12. diuiti illi habenti plurima bona, & cogitanti de amplificandis conditorijs dictum eſt: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues*. Tum ex SS. Patribus. Nam *D. Auguſt.* eum locum exponens *lib.50. homil. hom.7.* docet Diuitem illum non ob aliud peccatum eſſe damnatum, niſi quia ſupperflua retinebat, & ſic perituros ſui ſimiles. Et *D. Baſilius in orat. in illud eiuſdem cap. Deſtruam horrea mea, inquit. At tu nonne ſpoliator es, qui, quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas. Eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui ſeruas; diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit, indigentis argentum quod poſſides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valores*. Tum multiplici ratione. Enimuerò diuites omnes pauperes ſemper depellentes, inordinato diuitiarum amore affecti, omni Dei, & proximi charitate exuti videntur, iuxtà verbum Chriſti: *Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ*, vt ex communi *Valen.* & *Tannerus* abundè probant. Et quia diues habens ſic ſuperflua, & nunquam eleemoſynam tribuens, vel longo tempore omittens pluribus egenis poſtulantibus, Reipublicæ graue detrimentum infert, cum totum onus alendi pauperes in ipſam transferat. Deindè; quia quamuis ſingulæ neceſſitates communes non ſint per ſe magni momenti, multæ tamen coniunctæ efficiunt in Republica magnam miſeriam: vnde ſicut multa parua furta quatenus continent magnam iniuſtitiam, conſtituunt peccatum mortale, ita multæ omiſſiones eleemoſynæ quatenus continet magnam violationem charitatis. Denique quia niſi tribueretur eleemoſyna, ordinaria neceſſitas tranſiret in grauem, & deinde grauis in extremam:

25 Dixi: teneri *quandoque* facere, eleemoſynam: vtique non ſemper, & vbique, & omnibus communem neceſſitatem patientibus: alioquin certè, & ditiſſimus quiſque ipſe facile in grauem neceſſitatem incideret, ad quod neminem adſtringit charitas, licèt alliciat. Satisfaciet ergo diuus huic obligationi dando *quandoque* eleemoſynam de bonis ſuperfluis communi neceſſitate laborantibus pro ratione facultatum ſuarum. *Tambur. l.5 c.1. §. 1. nu.17. Ant. à Sp. San. ſupra tr.3. d.3 ſect.10. nu.55. Cotonius l.1. contr.7. c.2. qu.2.*

qu. 2. dub. 4. num. 28. & alij benè putant, ſatis eſſe, ſi ex centum annuis aureis des quinquageſimam, ſeù duos, ex ducentis quatuor (ſed certè non eadem proportione, ſi multum excedant tuæ diuitiæ) Id enim videtur ſatis pro neceſſitate non adeò vrgente. Pro plebeis optimum conſilium tradit *Sporer nu. 67.* ex lucris quibuſdam decimam partem ſeponere in honorem Dei pauperibus erogandam: tum in gratiarum actionem; tum pro impetranda benedictione in futurum. In caſibus particularibus, huic, vel illi pauperi, cum facilè poſſis, abſq; vlla cauſa eleemoſynam negare in neceſſitate communi, nonniſi veniale eſt: debitum enim faciendi eleemoſynam in neceſſitate communi reſpectu vnius, & alterius cenſetur materia leuis, quæ tamen reſpectu omnium grauis eſt; vt ex communi notant *Tannerus*, *Layman*, *Sporer*, & alij. Omni autem culpa vacabit communiter indigenti negare eleemoſynam, ſi aliqua ſubſit cauſa rationabilis; vtpotè cum nimis multi, & ſæpè petunt: cum differs, vt tempore commodiori, vel alijs des, qui magis placent, & indigent; cum in communi neceſſitate neges eleemoſynam, vt differas in neceſſitatem præciſam grauem. Item ſi ſtatuiſti bona tua ſuperflua applicare ad alios pios vſus, excuſaberis ab eleemoſyna danda in communi neceſſitate, vt colligitur ex verbis Chriſti Domini *Matthæi 26.* vbi approbans obſequiũ Magdalenæ dixit: *Pauperes ſemper habebitis, me autem non ſemper habebitis*: quaſi diceret: occaſio benefaciendi pauperibus ſemper adeſt, & non ita vrget, quin poſſit in aliud tempus differri ob aliud pietatis opus. Ita poſt alios *Sporer nu. 68.* qui *n. 66. x D. T boma*, *Nauar. & Laym. no* inquit: quod excuſantur ab eleemoſyna danda in communi neceſſitate, qui licet habeant bona ſuperflua ſtatui præſenti, neceſſaria tamen ſunt ſtatui futuro, vt pro dotandis, & elocandis liberis &c. aut alias pro altiori ſtatu per media licita probabiliter acquirendo. Cum enim Reipublicæ expediat fieri mutationem ſtatuum, licitè quis ad altiorem ſtatum poteſt tendere, atque ad eum obtinendum, & conſeruandum ſuperfluas antea opes conſeruate, dummodò conſeruatio non fiat tempore extremæ, vel grauis neceſſitatis Reipublicæ.

§. TERTIVS.

Quædam quæſita pro integranda materia expediuntur.

26 QVæres 1. An Epiſcopi, cæterique beneficiati teneantur ſtrictiori obligatione ad eleemoſynam?

Reſp. ſpecialiter Epiſcopi, & alij Beneficiati tenentur ſtrictiſſima obligatione ad eleemoſynam de bonis, & diuitijs Eccleſiaſticis ſuperfluis ſtatui, & ſuſtentationi ſuæ congruæ; quia tum ex ſententia, & meme

Digitized by Google

Fundatorum; tum ex Sacrorum Canonum decretis, redditus Eccleſiaſtici ſpeciali ratione ſunt pauperibus obligati: de quo in materia de iuſt. & iure. Hic ſolum obiter obſeruo, prædictos beneficiatos non obligari totum reſiduum ſuſtentationi erogare pauperibus, ſed ſufficit erogare aut medietatem ſuperfluorum, aut quartam partem omnium redditum, quod tutius eſt, ne Beneficiati totos redditus laxiori ſuſtentationi laxa conſcientia applicent, vt cum alijs, benè probat *Diana p.5.tr.8.reſ.27.* Loquimur autem de communi neceſſitate; nam in neceſſitate graui eos ad amplius obligari, certum eſt apud omnes.

Eadem ratione monaſteria quædam, & Domus Religioſæ ratione fundationis inſtituta ad faciendam eleemoſynam, & hoſpitalitatem, dare tenentur vtique ſub peccato mortali.

27 Quæres 2. De quibus bonis eleemoſyna facienda eſt?

Reſp. De bonis proprijs, & iuſtis tantum: nimirum tantum habens propria, & iuſta bona, aut de licentia expreſſa, vel rationabiliter præſumpta habentis, poteſt, & tenetur facere eleemoſynas, in communi ſaltem neceſſitate, *Prouerb.* enim 3. dicitur: *Honora Deum de tua ſubſtantia.* In extrema verò neceſſitate proximi quiuis poteſt, & tenetur ſuccurrere, ſi propria bona non habeat, etiam de bonis alicuius, etiam inſcio, ſi commode conſuli non poſſit, etiam inuito Domino. Ita communiter Theologi cum *D. Thoma 2.2.q.32.ar.7.* & ſupra probatum eſt. Hinc à fortiori in neceſſitate extrema poſſunt vxores, filij familias, Religioſi, ſerui, inſcijs, vel etiam inuitis maritis, parentibus, prælatis, Dominis eleemoſynas facere; tali enim caſu ſunt irrationabiliter inuiti. De alienis incertis, ſeu certæ perſonæ non obnoxijs, quorum ſcilicet Dominus ignoratur, vel abeſt, vt ei reſtitui nunquam poſſint, poteſt, & debet fieri eleemoſyna pauperibus in neceſſitate communi; ſicut etiam de bonis acquiſitis per vſuram, & ſimoniam, ex peculiari diſpoſitione Iuris. Sed eſt propria eleemoſyna, vel opus miſericordiæ, cum ſit debitum ex iuſtitia, vt ex *S. Auguſt. ep.54. ad Macedonium* notauit *D. Th. ſup.*

28 Vxores etiam extra extremam, vel grauem, in omni neceſſitate poſſunt facere eleemoſynam in his caſibus. Primò. De bonis ſuis paraphernalibus, ſeu vltra dotem marito allatam habitis, vel acquiſitis ante, vel durante matrimonio, vtpotè ex hæreditate, donatione, propria induſtria familiæ non debita, neque nociua. Niſi ipſa familia egeret, quæ ordine charitatis aliorum neceſſitati, cæteris paribus, præferenda eſſet. Secundo cum vxor ipſa familiam gubernat, vel conſentiente marito, vt paſſim ſolet, vel marito abſente, ægroto, amente, aliaue cauſa impedito. Quo tamen caſu non debet facere maiores eleemoſynas, quam vir, ſi gubernaret, faceret, vel facere deberet. Adde etiam pro ſalute temporali viri, fœminam licitè facere eleemoſynam, exemplo *Abigaelis 1. Reg.25.* Tertiò. Quando à marito aſſignatur vxori certa ſumma, pro ſua, vel

etiam

etiam liberorum ſuſtentatione quod ſupereſt, vel quod ſubtrahit ſanctè erogat in eleemoſynas. Quartò. Quotieſcumque occurrit neceſſitas, in qua maritus ipſe teneretur eleemoſynas facere, tamen nolit, vtpotè non tantum in neceſſitate extrema, vel graui, ſed etiam in communi, quando adſunt bona ſuperflua ſtatui,& maritus nunquam vellet dare eleemoſynas; ſeruato debito moderamine, poteſt, & debet facere vxor; tunc enim quoad hoc velut in viri locum ſuccedit, eiuſque defectum ſupplet: idque ipſo iure diuino, quo vxor data eſt in adiutorium viro: & quia maior eſt obligatio communis præcepto charitatis ad ſuccurrendum proximo, quam ſubiectionis, & dependentiæ in gubernatione rei domeſticæ ad maritum: ideoque ceſſare debet hæc ſubiectio, vrgente priori præcepto charitatis. Extra eos caſus, abſque expreſſa, vel interpretatiua mariti licentia, vel conſenſu non licet vxori eleemoſynas facere. Ita ex *Petro Nauar. Leſſio, Reginal. & Filliuc. Diana reſ.34.*

29 Filij familias de ipſis bonis parentum, quorum proprietas, vel ſaltem vſusfructus ad parentes ſpectat, per ſe nullas poſſunt facere eleemoſynas: niſi primò de expreſſo, vel interpretatiuo, ſeù præſumpto eorum conſenſu, qui in rebus leuibus, vt panum fruſtis, vel nummis facilè præſumitur. Secundo. Quando peregrinantur, aut reſident in ſcholis exteris, poſſunt facere eleemoſynas de ſumptibus paternis, quas alij ſuæ conditionis faciunt. 3. Quando à parentibus habent de putatam ſummam pro ſua ſuſtentatione, quod ſupereſt, vel ſubtrahunt, ſicut in alios vſus licitos, ità maxime licite in pauperes erogant. 4. de peculio ſuo caſtrenſi, vel quaſi. 5. Si pater nullas faceret eleemoſynas, poteſt filius pro patre erogare, vt ſupra de vxore. Ita cum communi *Diana reſ.35.*

30 Seruus, vel famulus in communi, vel graui neceſſitate debet omninò petere licentiam à Domino: niſi fortè quod erogatur ſit adeo tenue, puta fruſtum panis, vt à Domino non curetur. Poſſunt in omni neceſſitate, ſi habent propria peculia, de quo dico in *comm.ad.1. lib. Inſtit.Canon.*

Tutores, & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum poſſunt facere tenues eleemoſynas, quales tenetur facere principalis. Ita *Rotarius Briſacenſis*, & alii.

Digitized by Google

PROPOSITIO XIII.

Si cum debita moderatione facias; potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

1 Hæc eſt *Caſtropalai to.1.tr.6.d.4.qu.1.num.11.* ei ſubſcripſit *Diana 3.p.tr.6.reſ.84.* qui *p.5.tr.13.reſ.99. verſ. Non deſinam*, addit, malè nonnullos ea propter contra ipſum obmurmuraſſe. Probabilem dixerunt: *Baſſæus in Flor.Theol.1.p.V.Charitas num.23. verſ. An autem licet*, & *Tambur. l.5.in Decal.c.3.nu.33.* & probabilem *Moya p.1. Select.tr.6.d.6.q.5.nu.8.* Eidem non parum acceſſit *Bonac. d.3.circa 1. Decal.præcep.q.4.pu.vlt.§.7.nu.7.* ab ea tamen recedit *d.4.circa.4.præcept.q.vn.pu.3.n.3.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quid ſit timor, Æmulatio, Indignatio, & Inuidia, quando, & quale peccatum?*

3 *An eodem modo philoſophandum ſit de Gaudio, vt de iſtis ſpeciebus Triſtitiæ?*

4 *Quæ veniant ſub hac voce emolumenti temporalis in hac Propoſitione?*

§. II.

5 *An triſtari de vita alicuius, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & deſiderare, non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob emolumentum temporale, adhibita moderatione, culpa careat mortali. Et pars affirmatiua cui cenſuræ ſit obnoxia?*

6 *Liquet in affectibus Propoſitionis licèt inefficacibus adeſſe peccatum mortale, & ex quo deriuetur malitia grauis in his affectibus: & idem ſit faciendum iudicium ſiue obiectum ſit præſens, ſiue præteritum.*

7 *Quid ſi in iſta Propoſitione loco* triſtari *ponatur* dolere, diſplicere, affligi, moleſtari? *An ſit diuerſa ſignificatio huius propoſitionis, ſi loco* gaudere *ponatur* complacere, vel frui? *Quid ſi petitio mortis fiat mediante tertia perſona? Et an ſubdantur damnationi ſingulæ quatuor partes Propoſitionis diuiſiuè?*

8 *Quid ſi emolumentum non ipſi deſideranti, & petenti mortem, ſed alteri*

ſit

ſit obuenturum ?

9 *Quid ſi emolumentum temporale ſit maximum, & exceſſiuum?*

10 *Ad quam ſpeciem pertineat triſtitia, & gaudium, de quibus in præſenti Propoſitione?*

11 *An careant culpa affectus huiuſmodi conditionati?*

§. III.

12 *An ſit peccatum velle proximo temporale malum, ob bonum ſpirituale ipſius?*

13 *Et quid ſi deſiderium ſit minoris mali proximo euenturi, ad euitandum temporale grauius?*

14 *An liceat exoptare alteri mortem, &c. ob bonum ſpirituale ipſius exoptantis, vel aliorum?*

15 *An liceat optare malum Turcis, Hæreticis, & alijs hoſtibus Eccleſiæ, Reipublicæ, & Iuſtorum?*

16 *An liceat, & ex quo motiuo mortem exoptare perſequutori, quem putamus ſimul æternam mortem ſubiturum.*

17 *An liceat matri optare mortem filiabus, quas nequit nuptui tradere, vel ratione quarum à viro durè tractatur?*

18 *An, & quando liceat propriam mortem petere, & deſiderare, nempè ob beatitudinem, & alia lucra ſpiritualia?*

19 *Num ex ſolo affectu non diſplicendi Deo, ac nec venialiter peccandi? Vbi quid inuoluitur in his affectibus?*

20 *Quid de deſiderio mortis ex motiuo euitandi mala temporalia magna?*

21 *Quid ſi leuia?*

22 *Quid pro praxi?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia terminorum Propoſitionis.

1 PRænotandum eſt 1. ex *S. Thoma 2.2. qu.36. ar.2.* Triſtitiam quadrupliciter poſſe contingere. Prima ſpecies eſt, quando aliquis dolet de bono alterius, in quantum ex eo timetur aliquod nocumentum, vel ſibi ipſi, vel alijs viris probis; & hæc dicitur timor: eſtque ſine peccato, ſi ſit triſtitia de bono alterius, vt nocere poteſt nobis iniuſte. Ita *S. Thomas ſupr. ar.2. Trullench in Decal.l.1.c 6.dub.3.nu.6. Thomas Franciſcus Rotarius in appar. Theol.mor.p.2.c.9.num.12. Filliuc. Octauius Maria à S. Ioſeph,* & alii ex *D.Greg.22.mor.c.11.* Verũ ex *Caietano cit.q.36.ar.1.* vt quis licitè triſtetur de bono alterius, puta potentia, vel diuitijs, &c. debet eſſe clara malorum ſequela; ſi autem ambiguum ſit, an aliquis potentia, vel diuitijs abutetur in alterius damnum: quamuis licitè quis timeat, & caueat,

peat, non tamen licitè triſtatur abſolute de illius potentia, vel diuitijs. Eſt autem cum peccato, quando quis triſtatur de bono alterius, ſibi iuſte, vel ſaltem non iniuſtè nociuo. Ita *Trullench*, & alij communiter cum *D. Th.* Et ratio eſt, quia huiuſmodi timor non debet in tantum progredi, vt nolit bonum alterius, ſed ſat eſt, quo licitè timeat malũ proprium. Secunda ſpecies eſt qua quis dolet de bono alterius; nõ quia ille habet, ſed quia ipſe illo caret; & hęc eſt ęmulatio; quę ſi ſit de ſpiritualibus bonis ad quę homo aſpirare poteſt, nõ eſt mala, & vitioſa, ſed bona, & laudabilis, & charitati cõformis, maximè quãdo homo incitatur, vt ſibi acquirat ſpiritualia bona, quę in alijs inſpicit, ſectans aliorum exempla, non intendens carentiam talium bonorum in proximo, ſed ſimilem exiſtentiam in ſe ipſo ſic monuit *Apoſt. 1. Corinth. 14. Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia. D. Thomas cit. ar. 2. Rotarius ſupra Briſacenſis*, & alij. Diciturque pius zelus, & ſub nomine inuidiæ commendatur à *D. Hieron. in epiſt. ad Lætam de inſtitut. filiæ*, vt explicat *D. Thomas ad 1.* Si autem hæc æmulatio ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato, inquit idem S. Doctor putà ſi recta ratione reguletur, vel non: vt ſcilicet bonum temporale congruum ſibi quis æmuletur, non ambitioſe ſupra ſe extollens ſe; vt ſi plebeius triſtaretur, quia non eſt Rex; & indignus, quia non eſt Prælatus &c. Sic *Caietanus* ibidem, & alij, dixi *bonum temporale congruum*, non immoderatum; hæc enim æmulatio eſt vitioſa propter immoderatum affectum ad res temporales. Non erit tamen diuerſum peccatum ab hoc immoderato affectu, niſi quis aliorum praua exempla intueatur, vt medijs illicitis proſperetur: quod cauet Propheta *Pſal. 36. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: ſpera in Domino, & fac bonitatem. Auerſa 2. 2. q. 36. ſect. 2.* Tertia ſpecies eſt, qua quis dolet de proſperitate indigni; & hæc dicitur Indignatio, quam *Ariſtot.* appellat *Nemeſim 2. Rhetor. c. 9.* Et quidem ſi præcisè conſiderentur bona temporalia, vt contingunt indignis, & vt alias ſecundum humanam diſtributionem ſolent dignis diſtribui iuſtè; licitum eſt de hoc triſtari, tanquam de re, quæ habet quamdam rationem mali, non quidem moralis, quod ſcilicet ſit aut culpæ, aut pœnæ (cum ſine culpa, aut pœna poſſideantur ſæpè ab indignis quædam temporalia bona, vt opes, honores, &c) Sed potius naturalis, per defectum conuenientis proportionis rerum: quomodo ſunt mala quoque naturę monſtra. Si autem bona temporalia indignorum conſiderentur vndequaque abſolutè, & ſimpliciter, atque adeo prout eis contingunt ex ordinatiſſima diſpoſitione prouidentiæ diuinæ, ob illorum correctionem, vel damnationem: item vt reſpectu bonorum ſpiritualium, & æternorum ſunt quaſi nihil; ſic quidem non licet triſtari, proptereà quod indigni poſſideant eiuſmodi bona. Nam id conſideratis omnibus his circumſtantijs abſolutè, & ſimpliciter eſt bonum, de quo potius eſt gaudendum. Ita *Caiet. ſupra ar. 2.* ex ſententia *S. Thomæ*, & cum

eo

Digitized by Google

& Valen. to. 3. d. 3. q. 13. pu. 2. Filliuc. to. 2. tr. 28. c. 8. q. 8. nu. 185. & Trullen. à ſupra. Vt plurimum, (inquit *Rotarius nu. 14*) in his dicterijs *quibus ſolet quis videns impios exaltatos dicere, qui male agit, proſperatur, non reflectit ſupra Dei prouidentiam, quam vtique non intendit accuſare.* Quarta ſpecies eſt inuidia: quæ definitur communiter cum *D. Thoma ar. 203.* quod ſit *Triſtitia quadam de bono alieno proximi, æſtimato ab inuidente, vt malo proprio, quatenus per comparationem quandam obſcurat, & imminuit proprij boni excellentiam, ſeù gloriam.* Vt quando Saul V. g. inuidit laudi Dauidis, quatenus præſtantia ſua obſcurabat illius laudem. Iuxta illam eiuſdem Saulis querimoniam aduerſus mulieres cantantes, & applaudentes Dauidi: *Dederunt Dauidi decem millia, & mihi mille dederunt. 1. Reg. 18.* Et hæc ſemper eſt mala, vt dicunt Philoſophi cum *Ariſtotele 2. Rhetor. c. 11.* & Theologi cum *D. Thoma ſupra*; à qua vera, & communi ſententia immeritò recedunt *Tābur. l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 37. Ant. à Sp. San. p. 3. Direct. tr. 2. d. 3. ſect. 3. n. 152.* & quidam alii pauci. Immò contra *Lorcam 2. 2. q. 36. ad 3. ar.* verè & communiter cū *D. Thoma ar. 3.* Theologi, inuidiam de genere ſuo eſſe mortale peccatū. Sumitur ex Sacra Scriptura, quæ inuidiam inter grauiora vitia recenſet, ac deteſtatur. Ad *Rom. 5. Repletos omni iniquitate, plenos inuidia, homicidio &c. Ad Gal. 5. Opera carnis ſunt, fornicatio, immunditia, idolorum ſeruitus, inuidiæ, &c. Qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt:* ſumitur etiam ex Sacris Doctoribus, qui hoc vitium acriter inſectantur. Morales ſumunt rationem ex eo, quia ſine dubio contra rectam rationem valdè eſt, & contra charitatem, quæ gaudet de bonis proximi, dolere de alienis bonis ex hoc motiuo, quia ipſe inuidus non habet tantam relationem, & comparationem exceſſus ſupra alios, quantum cuperet. Fatentur quoque omnes cum *D. Thoma ar. 3. & q. 10. de malo ar. 2.* quod poſſit inuidia reddi venialis vel ex imperfectione actus non plene deliberati, ſed per ſurreptionem, & negligentiam aliquam in compeſcendis motibus inuidiæ inſurgentibus, quos quandoque pij etiam, & ſancti viri in ſe ipſis experiuntur. Et poſſunt quoque omni culpa vacare, quando ſunt motus primo primi, præuenientes omnem aduertentiam rationis, & ſtatim tota diligentia reprimuntur. Vel ex leuitate materiæ: puta ſi triſtetur quis de aliquo tenui bono proximi, vt inter pueros de quibuſdam puerilibus rebus.

3 Notandum eſt 2. eodem modo philoſophandum eſſe de gaudio de malo proximi, ſcilicet quadrifariam diuidi, & poſſe eſſe bonum, vel malum ſecundum ſupra adducta; quia eiuſdem moris eſt triſtari de bono, & gaudere de malo. Et idem eſt de deſiderio.

4 Notandum eſt 3. ſub hac voce *Emolumentum*, venire omne lucrum & vtilitatem, vt conſtat ex *l. Imperator de l. 2. c. ſi hæredes de teſtam. & c. nemo de Sim.* & docent *Lap. & Card. in Clem. ſtatutum de elect.* Hinc in hac Propoſitione ſtat pro qualibet re temporali, nedum manu tangibili, verum & commoda corpori, vel animo, vt eſſet amicitia, quæ animum ſatisfacit,

Con-

Continentur etiam diſtributiones quotidianæ beneficiorum, & præbendarum. *Puteus dec. 375. nu. 2. cum ſeqq.* alias *365. in correctis l. 2.* Item multę, & pœnæ: *Gloſſ. in Clem. ſtatutum V. & iuriſdictione, de elect.* vbi *Cardin.* in prima oppoſitione, *Rota* apud *Farin. dec. 230. in fine p. 2. recent.* Præterea *temporale* hic ſumitur, quatenus contradiſtinguitur à ſpirituali; & ſic quandocunque res non erit ſpiritualis, ſemper eſt temporale in ſe, & habebit contineri ſub ratione emolumenti temporalis.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

5 DIco I. Triſtari de vita naturali alicuius, & de illius morte naturali gaudere, ob aliquod temporale emolumentum, etiam adhibita moderatione, vt non fiat ex diſplicentia perſonæ, vel vt ſiſtat in mero actu interno; & ſimiliter deſiderium, ſemper eſt cum peccato mortali, ſi ex deliberatione procedat. Et contrarium aſſerere, hoc decreto vt minimum tanquam ſcandaloſum abigitur Et reiecerunt ante hoc decretum *Trullench ſupra nu. 13. & l. 5. c. 1. dub. 4. nu. 14. Mart nez de Prado to. 1. Theol. mor. c. 15. q. 1 §. 3. nu. 21.* & alij cum *D. Bonau. Alexandro, & Caietan.*

Probatur. Tum quia rationes, quibus in *comment. ad ſequentem Propoſitionem* contendemus, hos affectus eſſe illicitos, pariter oſtendunt eſſe illicitos mortaliter, eo vel maxime, quia excuſationes, quæ obtendi ſolent ab aliquibus, & ibi indicabuntur, aut nihil proſunt, aut obtinent nullam ibi culpam admiſceri, ſiue leuem, ſiue grauem. Tum quia vtique affectus inuidiæ peccatum eſt ex ſuo genere mortale, vt cum communi, & vera ſententia in 1. *prænot.* demonſtratum eſt, & tamen de bono alterius non triſtatur ex odio erga perſonam; nec quia bonum illius eſt, ſed ex inordinato amore ſuę propriæ excellentiæ, aut ex odio mali illius, quo quis affici ſe exiſtimat ex eo quod præcellat alius. Ergo pariter erit mortale in caſu Propoſitionis. Tum quia ipſe ordo appretiatiuus rerum, atque perſonarum, quem lex charitatis inducit, perſpicuè oſtendit hoc eſſe mortale. Nam licet ille abſque peccato graui inuerti poſſit etiam quoad effectum quando paruus eſt exceſſus, & exigua extremorum inæqualitas, quæ in comparationem veniunt, contrarium prorſus dici debet quando eſt inæqualitas magna, & notabilis exceſſus, qui inter illa requiritur. At in caſu, de quo loquimur, ita euenit; quia materia non eſt leuis, nec paruus exceſſus mali, quod optamus immerenti, ſi comparetur cum bono, cuius gratia illud expetimus. Neque exceſſus ille compenſari valet, aut reduci ad inæqualitatem exiguam ex eo, quod quiſque ſe ipſum plus alijs amare debeat. Nam quoad emolumenta merè temporalia non plus, ſed incompara-

Digitized by Google

parabiliter minus debet ſe amare, quã innocuos alios, quoad ipſarum vitã. 7ũ denique, quia tenetur quiſque ſub peccato graui illis ſubuenire etiã de ſuo, ne moriantur: Ergo à fortiori etiam tenebitur ſub pari reatu non velle cum tanta iactura aliorum locupletari ex alienis. Conſequentia eſt bona. Minus nanque, eſt nolle impedire alterius mortem cum diſpendio eorum, quæ habemus, quam directè illam expetere, vt alia plura habeamus, quæ nondum nobis debentur. Ergo aut illę circumſtantiæ ita compenſant exceſſum, vt ſolum ſub veniali teneamur impedire mortem proximi extremè indigentis bonis noſtris, aut iſtę illum non compenſant. Atqui prius admitti non poteſt: Ergo hoc admitti non debet.

6 Hinc non prodeſt aduerſarijs aſſerere, affectus eſſe inefficaces; nam & in efficacibus poteſt eſſe malitia magna, vt patet in inuidia, odio &c. Perperam etiam opponunt, obiectum in re noſtra non continere malitiam ſaltem grauem. Mors nanque etiam naturalis, ſi ex cauſa valde graui cohoneſtetur, ſemper eſt obiectum prauum, ſicut hominis occiſio, aut diffamatio, quæ interdum male, interdum bene fiunt; ſed nunquam bene, niſi aliunde accedat cauſa valde rationabilis, ex cuius præponderantia ſumi poſſit legitima excuſatio. Atqui hæreditatis aſſecutio, & ſimilia emolumenta mere temporalia nobis obuentura ex morte proximi, nec legitimam excuſationem præbent, nec ſunt cauſa rationabilis optandi illam, ſed potiùs valde contraria, ac difformis recto charitatis ordini. Ergo ex morte naturali, vt eſt ſub adeo degeneri, & iniæquali motiuo, abſque dubio poterit criminalis malitia deriuari. In quo idem iudicium eſt faciendum de illo, qui triſtatur de vita, quã aliquis habuit, ac de illo, qui triſtatur de vita, quam aliquis de præſenti habet; quia in vtroque caſu verè triſtitia ſumitur de vita alicuius, ita vt perindè ſit, quod talis vita habeatur de præſenti; vel ſit habita de præterito, ſicuti ab oppoſito æque peccat mortaliter, qui gaudet de furto, quod de præſenti fit à fure, ac qui gaudet de furto eodem iam facto.

7 Porrò, ſi ab iſta Propoſitione dematur verbum Triſtari, & loco ipſius ponatur Dolere, vel diſplicere, ſeù affligi, moleſtari, aut ſimilia verba: nihilominus adhuc remanet eadem propoſitio quoad ſenſum ſubſtantialem, & damnatum: quia ſecundum ſenſum moralem, qui latitudinem habet agimus in præſenti: propterea nomen Triſtitia, pro vt ponitur in hac Propoſitionæ, ſumendum eſt, quatenus idem ſignificat, ac dolor, atque diſplicentia de vita alicuius. Nec eſt diuerſa ſignificatio huius Propoſitionis per hoc, quod in ea ponatur verbum Gaudere, vel Complacere, vel Frui, &c.; quia hæc tria, *delectatio*, *gaudium*, *fruitio*, non omninò ſignificant diuerſos actus voluntatis, ſed ſe habent, vt ſuperius, & inferius, ita vt vbi ſimul inueniuntur, idem ſignificent. Hinc licet gaudium extendatur ad bonum ſeparatum; delectatio autem tendat in bonum coniunctum rationi, de quo vt eſt poſſeſſum ſtat verbum *frui*, ſiue *fruitio*: tamen

Google

pro eodem regulariter in praxi ſumuntur; quamuis aliquam dicant diuerſitatem in rigore ſcholaſtico, & ſpeculatiuo: at huiuſmodi diuerſitas non eſt à nobis conſideranda; nam iuxta ſenſum moralem procedimus: in iſto autem ſenſu idem abſolutè ſignificant, ſicut & idem dicendum erit, ſi aliud detur huiuſmodi vocabulum. Et petere mortem à Deo ſumitur in hac Propoſitione ſiue immediatè, ſiue mediante tertia perſona; puta ſi Petrus dicat Paulo, vt petat à Deo rem quandam ad mentem ipſius Petri, & mens Petri eſt, quod petat mortem naturalem affectu inefficaci volitam Franciſco propter temporale emolumentum; quia qui per alium rogat, ipſe rogat; ſicut qui per alium facit, ipſe facit, *c.qui per alium 27. de reg. iur.in.6.* & notant *Bart.conſ.142.num.3.l.1. Duen.reg.378.* Nec eſt neceſſe, vt contra damnationem huius Propoſitionis delinquatur, quod omnia in ea expreſſa ſimul concurrant; ſed eſt ſemper ſubiectum damnationi, ſi tueatur, vel practicetur ſolummodò etiam quoad aliquam eius partem in eo ſenſu ſecundum quem ſtat damnatio, ſcilicet, ob temporale emolumentum. Hinc ſi quis V.g dicat, *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali, ob temporale emolumentum, affectu inefficaci deſiderare mortem naturalem alicuius, dummodo eam non petas*; ſanè iſte diceret iuxta hanc Propoſitionem deiectam. Nam licèt Propoſitio ſit tradita per dictionem *Et*; iſta tamen non ita copulat ſemper, vt totum corruat, niſi copulata ſimul concurrant: quare prudentia vtendum eſt ad diſcernendum an *Et* ponatur in ſenſu compoſito, vel in ſenſu ſingulari; ſi quis enim diceret: Cæſar, & Bibulus fuerunt Conſules: intelligitur ſimul; ſi autem quis diceret: Clemens, & Innocentius plura ſtatuerunt, intelligitur in ſenſu ſingulari, vt docet *Alciatus conſ.39.nu.19.l.9.* Vnde *Et* dicitur poni continuatiuè, *Pariſius conſ.38.num.26.l.2.* hocque contingit, dum *Et* ponitur inter orationes perfectas, tunc enim illas non coniungit, *Bart.conſ.27. l.1.* Idem quoque eſt dicendum, quando plures orationes copulantur propter ſe; quia tunc dictio *Et* ſtat continuatiue: *Alex. conſ.110.num.14.l.3.* & alij. Quæ omnia verificari conſtat in orationibus hanc Propoſitionem profligatam componentibus, quæ orationes ſunt perfectæ, & propter ſe; ideſt non reſpectiuè ad aliud coniunguntur; atque ideo *Et* ſtat continuatiuè in iſta Propoſitione, & non coniunctiue. Subindeque ad delinquendum contra damnationem præſentis Propoſitionis, ſatis erit, ſi aliqua ipſius Propoſitionis oratio teneatur, ad praxim deducatur, &c.

Dico 2. Eſt iuxta iſtam Propoſitionem, illam in toto affirmare, licèt in fine addatur limitatio, dummodò non ipſi mortem deſideranti, & petenti, ſed alteri emolumentum ſit euenturum.

8 Probatur; quia ſic etiam ad praxim deducitur Propoſitio excuſſa; nam perindè eſt illa limitatio: non enim tollitur per eam, quin motiuum petendi mortem naturalem, triſtandi de vita, gaudendi de dicta morte, &c. ſit temporale emolumentum, contra ordinem Charitatis.

9 Di-

9 Dico 3. Non eſt dabilis caſus, in quo emolumentum temporale ſit adeò copioſum, vel æſtimandum, vt excedat mortem alicui volitam ſolo affectu inefficaci: Vnde nec quis poteſt affectu inefficaci petere, & deſiderare mortem naturalem Regis ob emolumentum temporale exceſſiuum, quod conſequatur, ſuccedendo eidem Regi.

Patet; nam ex ſupradictis nullum emolumentum eſt ſufficiens ad excuſandum à peccato mortali, ſi propter illud deſideretur, & petatur mors naturalis alicui etiam ex ſolo affectu inefficaci. Quod autem in præſenti caſu ponatur emolumentum exceſſiuum, non releuat, quia adhuc ſit illicitum, & quidem in materia graui.

10 Si autem velis ſcire, ad quam ſpeciem pertinent triſtitia, & gaudium, de quibus eſt ſermo in præſenti Propoſitione. Certum videtur, ad Odium non ſpectare formaliter, quia non eſt triſtitia de bono proximi, vel gaudium de eius malo; vt abſolute malum, & bonum eius eſt; cum addatur *non quidem ex diſplicentia perſonæ; ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Similiter nec ad Inuidiam; quia non ideò triſtatur, quia apprehenditur vt diminutiuum propriæ excellentiæ: eo modo, quo pertinet ad Inuidiam; nam eſt triſtitia de bono, vt eſt motiuum, quia tollit aliquid. Itaque pertinet potius reductiuè ad Timorem Triſtitiæ; dolet namque de illo bono, in quantum impeditiuum alterius boni nempè temporalis emolumenti, eſtque ſibi malum innocuè: gaudium verò videtur, reduci ad Odium, inquantum aliquid de eo participat.

11 Dico 4. Caſus condemnationis non loquitur de deſiderio conditionato. Ita cum *Torrecilla, Corella hic nu. 56. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. c. 6 ſect. 1. n. 10.*

Patet; quia Propoſitio, vt liquet vtitur terminis, qui competunt affectibus abſolutis licèt inefficacibus.

Hinc non condemnatur opinio, quam cum *Nauarra* tenet *Sanchez in ſumma lib. 1. c. 2. num. 30.* quæ dicit, quod non eſt peccatum deſiderare mortem proximo, ſi eſſet voluntas Dei, quod moriatur: quando anteponitur noſtræ voluntas Dei; vt euenit, quando non deſideratur, quod velit Deus mortem proximi, ſed quod in caſu, quod velit, oſtenditur affectus, qui habetur conformitati cum voluntate Dei. Ita *Torrecilla, Sporer, & Corella,* qui etiam infert, quod nec condemnatur opinio *Vaſquez, Laymani, Rodriquez,* & aliorum apud *Sanchez vbi ſupra num. 22.* qui aſſerunt, eſſe licitum deſiderare obiectum malum, ſub conditione, ſi eſſet licitum, V. g. deſiderare, quod Petrus moriatur, ſi hoc non eſſet malum. Sed in hoc habeo difficultatem, de qua in *tract. de Peccatis.* Interim moneo cum eodem *Corella*, quod omnia iſta deſideria ſunt valde periculoſa, quia opponuntur facilè cum Charitate.

Digitized by Google

§. TERTIVS.

Reſoluuntur quædam quæſita pro maiori dilucidatione ſupradictorum.

12 QVæritur hic 1. An ſit peccatum velle proximis temporale aliquod malum. E.g. ægritudinem, propter bonum ſpirituale ipſorum, ſcilicet, vt fiant meliores, vel vt ſaltem ne fiant peiores ſua peccata continuando?

Reſolutio communis eſt negatiua. Ita *D. Thomas* ſupra relatus, & cum ipſo *Sotus l.5.de iuſt.& iure qu.12. art.1. verſ.contra tertiam*, *Petrus Nauarra l.2.de reſtit.c.3. num.193. Nauar.in man.cap.15.num.10. Aragonius 2.2. qu.76.art. 1.ante finem. Azor.p.3. inſtit.l.2.c.30.quæſ.2. Trullench d.l.1. c.6.dub.2. num.10. Octauius Maria à S.Ioſeph interrog.829.* & alij communiter deſiderium etiam mortis exprimentes nominatim. Hoc tamen intelligitur quando malum temporale prudentiali iudicio neceſſarium putatur ad bonum ſpirituale vitæ æternæ adipiſcendæ grauioris condemnationis vitandæ, acquirendi virtutes, aut deſiſtendi à peccatis; quia malum iſtud expetitur intuitu maioris boni, quod commodiori alia via obtinendum non putatur. Vnde principalis intentio ſic gaudentis, aut deſiderantis, vt aiebat *S. Thomas*, non fertur ad malum proximi, ſed potius ad eius bonum; boni enim rationem habet minus malum comparatione maioris, vt ex remediis medicinæ patet doloriferis, ac faſtidioſis; ſed ex charitate applicandis, ne vita periclitetur, ſed recuperetur ſalus: Atque vt Chriſtus ipſe docuit *Matthæi 18.verſ.8. Bonum eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*. Secus eſt, quando malum illud non adeò neceſſarium creditur, ſed per alia media nullum, aut certè minus nocumentum temporale afferentia, iuxtà ordinarium prudentiæ curſum, idem finis obtinendus iudicatur: tunc enim illicita videntur eiuſmodi deſideria omninò abſoluta; quia non ſunt optanda mala, vt veniant bona, quæ poſſunt haberi ſine illis malis. Quo circa neque ex intentione boni finis valet deſumi excuſatio; quia vbi plura media ſuppetunt ſufficientia ad eundem finem aſſequendum, recta illa ratio præſcribit, vt illud, quod minus nocet, præ cæteris eligatur: & quis excuſaret medicum, qui infirmo manum, aut pedem abſcinderet, ſi leuiori alio remedio poſſet infirmum præſeruare? Quapropter in iſtis caſibus adiicienda eſt deſiderio conditio iſta, vel potius exceptio: *Niſi alia commodiori via bono ſpirituali proximi Deo prouidere placeat*; eaque iuxta optantis affectum plerumque tacitè ſubintelligitur, tametſi non exprimatur. Ita *Hurtadus De la Fuente hic differ.8.*

c.2.

Digitized by Google

c.2.num. 11. nec aliud ſentire cenſetur *Cardenas diſſert.* 10. *c.* 1. *num.* 7. dum ait: *Sic Pater poteſt deſiderare inefficaciter mortem filij, qui dat ſigna peruerſionis futuræ, vel eum credit lapſurum in multa peccata enormia*: idemque de quocumque proximo docet *Corella hîc n.* 54.

13 Hic autem dicta, ſeruata proportione intelligi debent, iuxtà *Sotum, Aragonium*, & alios de deſiderio minoris mali proximo eueniuri ad euitandum aliud eius malum temporale grauius. Et hinc accipias dictum *Trullench ſupra: Licere optare aliquod malum luſori diſſipanti, ne diſſipationem compleat.*

14 Quæritur 2. Vtrum liceat exoptare alteri mortem, aut aliud malum temporale, propter bonum ſpirituale ipſius optantis, vel aliorum?

Caſus euenit, cum aliquis puellæ honeſtæ pudicitiam vehementer ſolicitat, vel alios ad mala culpæ prauo exemplo, ſuggeſtionibus, alijſque id genus perniciosis medijs trahere conatur. In quo pars affirmatiua eſt *Nauarr. c.* 15. *n.* 10. *Toleti de ſeptem pecc. mort. c.* 66. & *l.* 4. *c.* 11. *Reginald. l.* 17. *nu.* 166. *Sancij d.* 2. *ſelect. n.* 6. *Bonac. d.* 3. *qu.* 4. *pu. vlt. nu.* 7. *Caſtropal. cit. pu.* 1. *n.* 9. *Ant. à Spir. San. cit. ſect.* 2. *n.* 147. & *Corellæ hîc n.* 54. aſſerentium ex charitate proximorum licere tibi deſiderare, & gaudere de morte peccatoris ſcandaloſi, nè aliis occaſio ſit ruinæ. Conſonat nouiſſimè *Anacletus Reiffenſtuel Theol. moral. tract.* 4. *diſt.* 7. *qu.* 1. *num.* 8. dicens: *Sic quippè à peccato mortali excuſatur, qui de alicuius infirmitate, vel morte lætatur, eo quod ſic non poſſit amplius nocere communitati, aut ſibi eſſe occaſio peccandi.* Hoc tamen non intelligitur indiſtinctè: eſt enim prorſus illicitum, cum mors alterius non videtur neceſſaria ad impediendum damna noſtra, vel proximi ſpiritualia. Verum, quia ſunt nonnulli, qui vita, & proſperitate temporali obſtinate abutuntur, & ab aliorum peruerſione ceſſaturi non ſperantur, niſi morte præoccupentur, vel corporali ægritudine, aliiſue flagellis impediantur; in hoc caſu etiam licebit mala illorum exoptare, quatenus opus eis fuerit, ad ſpiritualia bona noſtra ſarta tecta ſeruanda. Ita *Hurtadus De la Fuente ſupra nu.* 12. ratione benè deſumens ex doctrina nuper tradita cum *D. Thoma ex* 3. *ſent. d.* 30. *ar.* 1. *ad* 4. quia ſalua charitate poteſt aliquis optare malum temporale alicui, & gaudere, ſi contingit, non in quantum eſt malum illius, ſed in quantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere. Iam autem Angelicus Doctor præmiſerat, vnumquemque ſemetipſum plus debere diligere, quam alios, & quod ſe ipſum quiuis plus amare debeat quoad bona ſpiritualia, quam alios quo ad bona temporalia incompoſſibilia eiſdem, indubitatumque apparet.

15 Quæritur 3. An licitum ſit optare malum Turcis nimirum, Hæreticis, & aliis hoſtibus Eccleſiæ, Reipublicæ, vel Juſtorum hominum, ne Eccleſia, vel Iuſti opprimantur, vel nè Iuſtitiæ æquitas, aut diuini cultus ratio conculcetur?

Re-

Reſolutio communis eſt affirmatiua. Ita *Sotus, Aragonius, Petrus Nauarra, & Azorius vbi ſup. Trullench n.9. Ant. à Sp. S. n. 143. Briſacenſis*, aliiq; permulti cum *S. Greg. 22. mor. c. 11.* Idq; oſtendunt preces Eccleſiæ rogantis Deum, vt Gentes Paganorũ, & Hæreticorũ dexteræ ipſius potẽtia cõterãtur, nec nõ & pia deſideria optantiũ Chriſtianis victoriam in bello contra Infideles; immò & contra alios iniuſtè perſequentes Rempublicam; nam ab ea edocti imploramus in miſſa tempore belli ad inimicorum noſtrorum deprimendam feritatem. Rurſus id ipſum demonſtrant quæ *S. Thomas* docebat locis ſuperiùs citatis, nimirum licitum eſſe optare alicui ægritudinem, vel impedimentum aliud, vt ab aliorum nocumento ceſſet, & maximè cum proſperitas illius eſt in detrimentum alicuius multitudinis, vel etiam totius Eccleſiæ; & vniuerſim quoties alicuius malum eligitur ſub ratione boni neceſſarij ad impediendum malum alterius, cuius bona anteponere debemus iuxta ordinem Charitatis. Nam qui in ordine ad nos prior eſt gradu, etiam debet eſſe prior quo ad effectum; & vbi bona ipſius incompatibilia ſunt cum bono alterius, iure prælationis gaudet, ne occaſione temporalis proſperitatis alienæ redundent grauiora mala temporalia, aut ſpiritualia in illos, quos ordinata charitas ducit eſſe anteponendos. Igitur quamuis nunquam liceat exoptare alijs maius eorum malum, ad impediendum aliud, quod eſt minus iuxta gradum charitatis; adhuc tamen licitè Turcis, Hæreticis, alijſque iniuſtis perſequutoribus noſtris mortem abſolutè optare, dedecus, aduerſitatem in bello, & alia ſimilia mala redundantia in maius bonum Eccleſiæ, Communitatis, aut aliorum innocentium, quando ab iniqua vexatione ipſorum aliter deſtitutos eſſe non ſperatur. Si autem ſperetur, dumtaxat ſub conditione, quod neceſſaria ſint ad eum effectum. Neque, enim in his affectibus vnquam tranſilire licet terminos neceſſitatis, vel plus mali optare, aut petere, quam neceſſarium ſit ad euitandum præiudicia aliorum, quos plus amare debemus, vt rectè exponit *Suar. d. 5. de char. ſect. 5. nu. 2.*

16 Quæritur 4. Vtrum aliquando liceat, & ex quo motiuo mortem exoptare alicui perſequutori, quam putamus pariter cum temporali æternam quoque mortem ſubiturum?

Sotus, & Aragonius vt ſupra, & Trullench nu. 9. reſpondet licere; vt noſtræ Reipublicæ mala caueantur, & tranquillitas ipſi contingat; & *Azorius quæſt. 4.* tradit, id optari poſſe, ne Eccleſia, aut homines iuſti iniquè ab illo vexentur. Accedit *Dionyſio Ciſterc enſi*, & alijs relatis *Granadus contr. de charit. tr. 6. d. 4. num. 8.* Et *S. Thomas* vniuerſum dixit, malum vnius licitè deſiderari, vt ab aliorum nocumento ceſſet. Nec huic doctrinæ contradicendum puto; dummodo toties adhibita, & ſemper retinenda cautio præmittatur ſcilicet, quod vita illius, ſiue Turcæ, ſiue Tyranni, valdè noceat immerentibus, & perſeuerante illa non ſperetur alijs medijs occurrendum eſſe malis illis. Tunc enim mors illius deſideratur

ſub

ſub ratione boni vtilis, ac neceſſarijs ad præcauendum ea mala, quæ plus debemus odiſſe, quàm amare vitam eius; & vnuſquiſque ius habet petendi ac exoptandi remedium vnice neceſſarium ad indemnitatem Eccleſiæ, Reipublicæ, aliorum, quos plus tenetur diligere. Sibi autem debet imputare perſequutor iſte, quod in ſtatu damnationis hæreat; nec congruum eſt, vt quia ipſe in ſua peruerſitate obſtinatur, innocentes non deſiderent ab iniqua illius vexatione redimi, & in pacem, ac tranquillitatem adduci, Deo id diſponente, ac cauſante per media haud quaquam illicita. Eo vel maximè, quia nequam ille, cum ſpes emendationis non ſubeſt, tandem creditur eſſe damnandus, & anticipata morte pauciora facinora perpetrabit, leuioremque proinde condemnationem ſubibit. Neque in hoc caſu damnatio ei deſideratur, aut gaudium de illa ſuſcipitur; ſed præcisè, de minori malo, quod permiſſioni illius coniunctum cernitur.

17 Quæritur. 5. An liceat matri optare mortem filiabus, quia præ inopia nequit illas nuptui tradere, iuxta proprij ſtatus exigentiam; vel quia experitur ſe occaſione illarum durè à marito tractari, caſtigari, vel contemni?

Negandum eſt cum *Petro Nauarra* vbi ſupra à *n.198. Trullench dicto dub.2.nu.11.*& alij contra *Bonac.to.2.d.3.circa 1.decal.præcep.q.4.pu.vlt.§.1.num.7. Caſtrop.cit.pu.1.num.11.& Reiffenſtuel* ſupra: quia, vt ſupponimus, filiæ non ſunt cauſa mali in matre, nec ex earum morte redundat bonum commune. Aliud eſt de matre deſiderante mortem filiæ, quæ ex eo, quod non poteſt nuptui tradi, eſt in periculo ſui honoris. Ita cum *Lumbier, Corella vt num.54.* addens licitum quoque eſſe patri, qui ſcit, quod ſuus filius, qui eſt puniendus cum infamia à Iuſtitia, deſiderare, & petere à Deo, quod auferat vitam in carcere.

18 Quæritur. 6. An, & quando liceat propriam mortem petere, aut deſiderare?

Si ea expetatur, vt medium neceſſarium, vel vtilius ad beatitudinem adipiſcendam, vel ad alia lucra ſpiritualia, non dubium, quin expetatur licitè; immò valdè honeſte. Ita communiter Doctores, cum quibus nuper *Reiffenſtuel ſupra n.9.* Hinc Apoſtolus ad *Philipp.1.verſ.21.* mori lucrum reputauit, & *ver.23. deſiderabat diſſolui, & eſſe cum Chriſto*: atque hoc eius deſiderium mirifice commendat *Chryſoſt. ibid. hom.4.* egregijſque Sanctorum teſtimoniis, & exemplis ex profeſſo comprobat *Franc. Arias de imitatione Chriſti tr.7.c.7.* Sic plures ſanctè deſiderant pro Chriſto ſanguinem fundere, & martyrio vitam perdere, quia melius eſt ita mori, & tanti operis aureolam reportare, quam viuere abſque iſto merito. Sic denique plures optant, numquam fuiſſe potius, quam peccare grauiter, & potius mori, quam iterum Deum offendere. Neque immeritò id à Deo poſtulatur; quia magnum eſt beneficium rapere ex hac vita iuſtum, ne malitia

mu-

mutet intellectum eius, & ne fictio decipiat animam ipſius: & ſicut quilibet prudenter optat, cum Reipublicæ non eſt neceſſari[illegible], declinare pericula moriendi, ac eſſe in tuto, etiam cum iactura aliarum commoditatum, ſic pariter optare poteſt, etiam cum vitæ iactura declinare pericula peccandi, moriendique morte æterna, niſi populo Dei ſit neceſſaria.

19 Quinimò ex ſolo affectu non diſplicendi Deo, vel venialiter, id licere, expreſse affirmant *Rodriquez to. 1. de profectu ſpirituali tr. 8. c. 20. & Granad. contr. 3. de charit. tr. 6. d. 2. nu. 19.* Eſt enim maximum ſignum perfecti erga Deum amoris amicitiæ, vel concupiſcentiæ, ſi ſuper omnia prorſus amabilia, vel concupiſcibilia diligatur. Et cum peccata venialia frequenter ad mortalia diſponant, habent ex hoc etiam capite; vnde valde exoſa fiant viris perfectis, atque, vt potius placeat eis carere, quàm huius lucis vſuram illa committendo prorogare.

Notat autem optimè *Suarez to. 2. de Relig. l. 1. de orat. c. 19. num. 2.* in his affectibus virtute ſaltem inuolui conditionem illam: *ſi ita mihi expedit*, quamuis ab ipſo petente non cognetur, neque adhibeatur. Ideo enim totum negotium diuinæ diſpoſitioni committitur, quia ipſe rectè nouit, quid expediat bono noſtro, ac gloriæ ſuæ; nos verò ſæpe decipimur, & erramus circa hæc ipſa, & quamuis illa exoptemus, cum id fiat ſub ratione boni conducentis Deo ad Gloriam, nobiſque ad æternam vitam, non eſſemus illa exoptaturi ex vi præſentis affectus, ſi cognoſceremus, hiſce finibus iuxta ſuauem Dei diſpoſitionem non conducere; immo obſtare.

20 Loquendo verò de deſiderio mortis ex motiuo euitandi mala temporalia, *Abulenſis l. 3. Reg. c. 19. qu. 6.* contendit eſſe peccatum mortale hoc genus deſiderij, aut orationis, ſiue fiat ex motiuo recuſandi laborem, qui reperitur in pugna contra paſſiones internas animum aſſiduè vexantes, ſiue ex fine euitandi alias miſerias huius vitæ, puta ægritudines, aut paupertatem; additque grauius peccare, qui ex hoc motiuo, quam qui ex illo mortem optant, & plus qui petunt, quàm qui deſiderant tantùm. Mouetur; quia hoc eſt maius malum eligere ad minoris mali vitationem, contra rectam rationem: mors enim iuxtà *Ariſtotelem l. 3. Ethic. c. 6.* eſt inter illa omnium maximum, & præ cæteris terribiliſſimum. Additur, quod ſicut ad virtutem fortitudinis ſpectat ſe morti exponere, vel alijs terribilibus propter honeſtum, ita ſpectat ad vitium timiditatis mortem optare, ne terribilia patiamur. Ergo ſicut peccat grauiter, qui mortem ſibi conſciſcit, nè ab alio duriorem patiatur, ita grauiter delinquit, qui eam petit, aut optat, ne toleret vitæ ærumnas:

At alij communiter exiſtimant, mortem peti, aut deſiderari poſſe abſque peccato, vt ab aliquo magno malo temporali liberemur; puta à ſeueriori morte infligenda per carnificem, à graui infamia, tetro carcere, nimia paupertate, à morbis, à doloribus continuis, vel alijs id genus diuturnis malis, quibus vita præſens redditur nimis laborioſa, & perdiffici-

ficilis. Ita *Aragonius de iuſtit. & iure q.83. ar.8. in fine, Granadus ſupra nu.21. Martinez de Prado to.1. reſ. mor. c.15. q.1. §.3. num.24. Sancius in ſelectis d.2. num.9. Trullench d. dub.2. nu.12 Diana p.5. tr.14. reſ.92. Felix à Panormo to. 2. ex. m. confeſſ. d.4. num.185. Reiffenſtuel cit. diſt.7. qu.1. nu.9. Caſſian. à S. Elia in arb. opin. prob. v. Mors, Corella hìc num.53. Sotus, Torrecilla*, alijque. Suadetur iudicio ſapientis Eccleſiaſtici *cap.30. v.17. Melior eſt mors, quàm vita amara.* Et iterum *c.41. v.3.* Sic exclamantis: & rem adornantis exemplis: *O mors, bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili, qui perdit patientiam!* Non ergo terribilior, nec deterior mors quam vita amara; ſed potiùs eligibilior ſecundum rectam rationem, quatenus eſt priuatio vitæ calamitoſæ, ac moleſtæ, quam homines non iam viuunt, quam tolerant laboribus, ac doloribus pleni. Quare huic iudicio ſapientis meritò acquieuerunt alij viri ſancti à Deo illuſtrati, & referti ſalutari ſcientia, atque prudentia. Hæc namque eſt vox illa *Tobiæ 3. v.5.* cum videret contribules ſuos captiuos, & nationibus traditos in direptionem, fabulam, & improperium: *Domine, ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quam viuere.* Hæc illa Iudæ *Machab.1. c.3. v.59. Melius eſt nos mori in bello, quam videre mala Gentis noſtræ.* Nec ambigendum, quin ſit nonnullis mors præmium, & vita ſupplicium, de quibus S. *Ambroſiu.* luculenter dixit, non eſſe permiſſos diù viuere; ſed compulſos tardè mori. Caino ſanè ob fratricidium in pœnam data eſt vita diuturnior, ſignumq; appoſitum ne ab vllo interficeretur. Lege eumdem *Ambroſium l.2. de Cain, & Abel. c. vlt.* vbi hæc appoſite expendit. Accedant Sanctorum exempla. Nam *Moyſes Numer.11. v.15.* pondere gubernationis oppreſſus, & populi peruicacia contriſtatus, ita Deum alloquutus eſt: *Obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Elias quoque *3. Reg.19. v.4.* dum à facie Iezabelis fugeret, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, & ait: *Sufficit mihi, Domine; tolle animam meam.* Nec huius petitionis alia cauſa proxima aſſignari valet, niſi ea ipſa, quæ erat ei cauſa fugiendi, ſcilicet Iezabelis dira perſequutio, & noua comminatio. Qua mortem ei denunciauerat quantò citiùs inferendam. B. etiam Iob, qui labijs ſuis non peccauit, neque ſtultum aliquod contra Deum locutus eſt, hoc eodem deſiderio flagrabat, tędio vitæ adeo erumnoſæ. Ita enim ait *c.6. verſ.8. & 9. Quis det vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cæpit, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me?* Ionas inſuper præ afflictione magna, & metu infamiæ quia parcente Deo Niniuitis, & populi perturbator, & Propheta mendax videretur, ſic clamauit *c.4. verſ.3. Et nunc, Domine, tolle quæſo animam meam à me, quia melior eſt mihi mors, quam vita.* Ac tandem *Paulus Apoſtolus 2. Cor.1. verſ.8.* de ſe ipſo in hunc modum atteſtatur: *Nolumus vos ignorare de tribulatione noſtra, quæ*

facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ità vt tæderet nos etiam viuere. Porrò tot præclaros viros accuſare peccati, præſertim criminalis, aut excuſare dumtaxat propter vehementem paſſionem, & defectum plenæ deliberationis, ac iudicij ſicut tenuit *Abulenſis*, neque ſacro textui congruit, nec pietati. Quare neque is ſibi conſtat. Nam ad *d.c.11.qu.36.* Moyſem culpare non audet; loco verò antea citato putat peccaſſe venialiter. Ratum igitur manere debet, mortem in his circumſtantijs, & alijs æquipollentibus licitè poſtulari à Deo vitæ noſtræ Domino, vt ſpeciale beneficium, atque ideò & optari poſſe. Nam ex *Auguſt. epiſt.121. ad Probam: Illud tantum licet petere orando, quod licet optare*.

Ad argumentum *Abulenſis* dico, quod inter mala temporalia ſunt aliqua, quæ maiora morte poſſunt rectè iudicari, & quæ viuenti ſub illis duriora apparere valeant, ac moraliter loquendo cenſeri mors quædam prolixa, & grauior. Hinc illud *Apocal.6.verſ.9 In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*. Atque vt Philoſopho alium etiam magni nominis Philoſophum opponamus: *O ignaros malorum ſuorum*, (ait *Seneca de conſolat. ad Marciam c.20.*) *quibus nòn mors, vt optimum naturæ inuentum laudatur. Omnibus enim finis eſt, multis remedium, quibuſdam votum, de nullis meliùs merita, quam de his ad quos venit antequam inuocaretur*. Et poſt pauca. *Hæc eſt, quæ efficit, vt naſci non ſit ſupplicium*; quod perbelle congruit cum ſententia illa ſapientis *Eccleſiaſt. 7. verſ.2. Melior eſt dies mortis, die natiuitatis*. Ad additum aſſero, quod ſicut non ſemper eſt vitium timiditatis, aut cordis puſillitas timere mortem, & vitam deſiderare, ſic non ſemper eiſdem vitijs ſubiacet odiſſe vitam, & optare mortem. Neque enim ſemper eſt digna tanto labore ſalus, & tunc maximè cum vita noſtra non eſt alijs neceſſaria: nobis verò perdifficilis, & grauium malorum cauſa. Conſciſcere ſibi mortem nunquam licet, etiam ad vitandam aliam atrociorem, etiam imminentem ab alijs, quia opponitur charitati; immò iuſtitiæ erga Deum, qui nos creauit, & conſeruat, vt ei in hac vita ſeruiamus toto tempore ab ipſo præſtituto: cæterum ſi attenderetur tantum conceptus maioris, aut minoris mali temporalis noſtri, proculdubio id eſſet licitum, quia maius malum naturæ eſt mors atra, quam mors mitis; & grauius, amaram vitam diu ſuſtinere, quam traduci ad aliam, vbi ceſſent hi dolores.

21 Cæterum quamuis *Tambur. l.5. in Decal. c.1. §.3. num.34. Ioan. De la Cruz in direct. 1. p. tr. de homicidio dub.3. & Arias ſupra c.8.* putent non eſſe peccatum mortale petere, aut optare ſibi mortem ad euitanda mala temporalia minoris momenti, quam ſit vita, puta ad euitandas communes huius ſæculi miſerias, vel aliquas afflictiones peculiares citò tranſeuntes, aut ſi durabiles ſint, non valde amaras; tamen *Granadus* vbi ſupra *n.22. Diana cit. reſ.92. Felix à Panormo cit. n.185.* & alij communiter, non audent

excu-

excuſare à mortali huiuſmodi deſiderium extra caſum magnæ amaritudinis, aut grauis calamitatis, à quorum ſententia diſcedendum non eſt circa mortem, mutilationem membrorum, ægritudines, & alia mala priuantia bonis, quorum domini non ſumus: nam de diuitijs, honoribus, ac commodis temporalibus, quibus nos ipſi licitè priuare poſſumus ob bonum virtutis: immò ea reſpuere, & abijcere, tanquam occaſiones mali, diuerſa ratio eſt, vt de ſe patet. Motiua ſunt vrgentia: primum, quia maius malum aſſumere ad minoris mali vitationem peccatum mortale eſt, & ea ratione ſpecialiter probat Angelicus Doctor ſupra *cit. ar. 5. ad 3.* eſſe peccatum mortale conſciſcere ſibi mortem ad miſerias huius vitę declinandas. Porrò hæc ratio, aut nihil probat, aut id ipſum pariter euincit de deſiderio, & oratione, qua mediante mortem procuramus ex motiuo euitandi exiguas afflictiones, aut calamitates. Secundum eſt, quia eiuſmodi deſiderium eſt contra inclinationem naturalem, & charitatem, qua vnuſquiſque debet ſe ipſum conſeruare, & diligere quoad bonum vitæ multò fortiùs, quam quo ad alia bona, aut priuationes malorum, quæ tanti non æſtimantur. Nam re vera ſe ipſum odit, qui abſque vllo alio emolumento, ne vni incommodo ſubiaceat, vult longe plus mali habere.

22 Pro praxi tamen Confeſſariorum bene *Abulenſis q. 36.* notauit, iſtiuſmodi deſideria, & ſi ex ſe lethalia ſint, ſæpè excuſari à mortali propter vehementem paſſionem tempore afflictionis inſurgentem, qua plena deliberatio præueniri ſolet, & cauſa apparere maior, quam reuera eſt in ſe ipſa. Conſonant *Felix à Panormo* ſupra, & alij reſpectu mulierum præſertim. Alia poteſt eſſe excuſatio ab omni culpa, ſi iſti non deſiderent mortem nudè ſumptam; ſed bonam & ratione ſui optabilem; neque eam reſpiciunt præcisè vt terminum calamitatum ſuarum, ſed vt tranſitum ad vitam beatam, quam à Deo petere ac ſperare ſunt aſſueti.

PROPOSITIO XIV.

Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

1 HÆc Propoſitio extenſio eſt Præcedentis: ea enim immunem à graui culpa aſſerebat triſtitiam vitæ, & deſiderium mortis proximi indefinitè: hæc verò licentiam extendit vſque ad mortem Patris. Quiſnam fuerit exploratus eius auctor, mihi adhuc non innotuit; *Anton.* enim *à Spir. San. p. 3. direct. Confeſſ. tr. 2. d. 3. ſect. 2. nu. 145. & 149* ait

 eſſe

eſſe licitum cupere mortem alicuius ob hæreditatem habendam, & non explicat mortem alicuius eſſe etiam Patris. *Gaſp. Hurtad. de ſubiecto peccatorum d.4. diffic.9. Diana p.5. tr.13. reſ.99. Tamburinus cit. l.5. c.3. n.31.* & quidam alij explicant quidem mortem Patris, at dicunt tale deſiderium vacare ſolum culpa mortali, non veniali, cum *Caſtropalao*; qui tamen ſubduntur damnationi præcedentis Propoſitionis, ſub qua iſta comprehenditur.

SVMMARIVM.

§. I.

2. *An in hac Propoſitione ſumatur abſolutum deſiderium, vt oppoſitum inefficaci, vel pot ùs vt oppoſitum conditionali?*

3 *An licitum ſit, gaudere de effectu ſequuto, ſeù hæreditate obtenta ex morte Patris? qui eſt primus caſus. Et quid ſi deſiderium ſit de effectu? An etiam liceat deſiderium conditionale V. g.* Si moreretur meus Pater, ego hæreditate potirer? *Qui eſt ſecundus caſus. Circa tertium.*

§. II.

4 *Nefas eſt deſiderio abſoluto inefficaci cupere mortem Patris, non vt malum patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum, ei obuentura eſt pinguis hæreditas. Et affirmatiua pars cenſura vt minimum ſcandaloſæ aduritur.*

5 *Probatur ex ordine charitatis, debitoque eleemoſynæ.*

6 *S. Thomas aduerſæ Parti haud patrocinatur.*

7 *Agitur de comprehenſione perſonarum, & rerum decreti huius damnationis.*

8 *Quid vbi agitur de damno vitando?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. in hac Propoſitione ſumi abſolutum deſiderium non pro efficaci, vt voluit *Caſſianus a S. Elia*; ſed pro inefficaci quidem, & ſimplici: oppoſito tamen conditionato, vt rectè intelligunt alii. Deſiderium namque efficax eſt, quando non ſolum deſideratur mors, ſed etiam procuratur, aut intentatur aliquo medio. Deſiderium inefficax quamuis habeat pro obiecto mortem; tamen eam non procurat deſiderans, nec ponit media, vt eueniat. Deſiderio autem inefficaci, ſeù ſimplici loqui, apertè ſe explicant *Hurtadus, Tamburinus, Diana, & Ant. à Spir. Sanct. locis relatis*; & ſanè nemo ignorat, ſi ſanę mentis ſit; deſiderium efficax mortis numquam eſſe licitum, niſi quando eſt in ſui defen-

defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ: aut quando mors intentatur, ac exequitur auctoritate publica, ob delictum morte dignum.

3 Notandum eſt 2. tres caſus poſſe conſiderari. Primus eſt, ſi quis exciperet cum gaudio effectum ſequutum, nempe hæreditatem, vel carentiam moleſtiæ: quod licitum eſt; non enim eſſet gaudium de morte alterius, ſed de proprio bono. Ita cum *Nauarro, & Trullench, Torrecilla tr. 8. concl. 4. num. 21. & Filguera fol. 71. §. Quod perinde, in fine*. Imò *Corell. hic num. 55.* hoc extendit etiam ad deſiderium inefficax hæreditatis, aut alterius vtilitatis temporalis, quæ non poteſt obtineri alia via, quam ex morte proximi, ſi non intendatur, nec deſideretur ea mors. At de hoc in ſequenti caſu. Secundus caſus eſt, ſi poneretur ſub conditione hoc modo: Si moreretur meus Pater, ego hæreditate potirer; quo caſu, inquit *Tamburinus ſupra num. 30.* licitum eſſe, quia gauderet non de Patris morte, ſed hæreditate. Aſt hic pauliſper ſiſtendum: etenim puto circa hanc conditionalem, non poſſe verſari actus voluntatis, ſed intellectus: ſolumque actus voluntatis verſari poſſe circa aliquos actus conſequentes ad ſuppoſitionem conditionis verificatæ. E.g. *Si haberem alas, volarem*: ſupra hanc connexionem non cadit actus voluntatis, niſi cupiendo purificationem conditionis, vt volem; vel ſupponendo conditionem purificatam, optarem facere hoc, vel illud: ire illuc, vel aliò, &c. Et ratio eſt; quia inter antecedens, & conſequens cõditionalis, eſt neceſſaria connexio, conſequenter non ſubditur actui libero; ſed ſolum actus liber poteſt ferri ad antecedens, vel ad conſequens, vel ad aliqua conſequentia conditionalem. Loquutus ſum autem de conditionali neceſſaria in toto hoc diſcurſu; quia neceſſariæ ſunt conditionales adductæ à *Tamburino*, licet non neceſſitate orta ex intrinſecis rei, ſed legali, vel morali: quæ tamen afferunt infallibilitatem conſequentiæ, cuiuſmodi eſſet iſta, *Si eſſem Epiſcopus, poſſem Chriſma conficere*: quarum connexio ſaltem eſt independens ab actu liberò, quod ſufficit ad intentum. Igitur vel voluntas in illa conditionali: *Si Pater meus moreretur, potirer hæreditate*, fertur ad antecedens, quod eſt mors Patris; vel ad conſequens, quod eſt effectus ſequutus: primum eſt prauum; etiam ſi non ob malum Patris appetatur, vt ex ſuperius dictis patet: ſecundum verò licitum, & coincidit cum primo caſu. Tertius caſus eſt propoſitionis abſolutæ; vt ſi quis ſine aliquo conditionali cuperet affectu ſimplici, & inefficaci mortem Patris; & hic eſt caſus huius Propoſitionis. Pro cuius confutatione ſit.

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabilitur aſſertio iuxta Decretum.

4 DIco. Non eſt licitum abſoluto deſiderio inefficaci cupere mortem Patris, etiam ſi filius cupiat mortem Patris, non vt malum Patris, ſed vt bonum ipſius cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas. Et contrarium aſſerere eſt hoc Decreto vt minimum, tanquam ſcandaloſum expulſum.

5 Probatur. Quia contraria doctrina peruertit manifeſtè charitatis ordinem ſcriptum in cordibus hominum, & ab eis agnitum ipſo naturali lumine. Vnuſquiſque enim clare agnoſcit, ſe teneri plus diligere proximum quoad bonum vitæ, quod eſt ſuperioris ordinis, quam ſua temporalia lucra: atque in hoc principio quaſi per ſe noto, inconcuſſeque recepto omnes Auctores fundant obligationem ſubueniendi proximo extremè periclitanti, cum id poſſumus præſtare abſque proprio præiudicio. At qui alterius mortem optat abſolute, vt illius hæreditatem maturius aſſequatur, vel aliud commodum ſimile, plus diligit ſuas diuitias, ſuaque emolumenta merè temporalia, quam vitam proximi. Ergo ordinem Charitatis peruertit, & legibus illius contradicit. Quod ſi hoc procedit reſpectu proximi, licèt non Patris; quanto magis reſpectu Patris? Et quidem in iſto deſiderio inuoluitur etiam malitia impietatis, contra quartum præceptum Decalogi.

Confirmatur. Nam quamuis interdum liceat optare mortem alterius, vel odiſſe vitam ſub ratione boni iuſti, aut neceſſarii ad auertendum grauius malum, vel obtinendum aliquod maius bonum, non ideò id poteſt extendi ad alia inferiora bona temporalia quibus longè potior eſt proximi vita, & vnicuique æſtimanti res ſecundum dignitatem ſuam debet eſſe longè charior. Quo circa ad ſeruandam illam ex bonis, quæ iam habemus, tenemur illi ſuccurrere; atque, vt rectè obſeruat Angelicus Doctor 2. 2. *qu. 25. art. 8. in corp.* in animi præparatione ità eſſe diſpoſiti erga alios, vt ſi neceſſitas ingruat, eis ſubueniamus de noſtro. Si ergo pluris facere debemus iuxta legem charitatis opere, & affectu vitam proximi periclitantem extremè, quam pecuniam noſtram; à fortiori pluris facere tenebimur vitam eius, quam habere eius pecuniam, & lucrum reportare ex illius morte. At qui alterius mortem euenire exoptat, vt illius hæreditate potiatur, & ex eo fine prorumpit in hunc actum abſolutum: *Vtinam is moreretur*, contrario modo ſe gerit: nam, optione data, potius mauult illum eſſe ſua vita caſſum, quam ſe carere illius hæreditate. Ergo, &c. Quod ſi hæc circa alios contingunt, quid erit dicendum de filio reſpectu Patris, cuius

cuius vitam ſpeciali iure tueri debet, ac de ſuo neceſſaria alimenta miniſtrare.

6 Perperam etiam Aduerſarii patrocinium eiuſdem S. Doctoris habere putant, dum ipſe 2.2.*qu.*76.*art.* 1.*in corp.* inquit: *Licitum eſſe imperare, vel optare malum alterius ſub ratione boni*; *quia*, ait, *principalis intentio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bonum.* Etenim numquam tantus Doctor aſſeruit, licitum eſſe exoptare grande malum proximo, ne dum parentibus, ſub ratione boni exigui; nec abſolutè bonum iudicauit, quod omnibus inter ſe libratis plus nocet; quam prodeſt eidem ipſi aut etiam alijs. His autem contraria ſunt, quæ in profligatis Propoſitionibus abſolutè continentur. Subdit quidem S. Doctor, malum proximi, putà ægritudinem, &c. deſiderari poſſe ſub ratione boni vtilis ad conſequendum aliud maius bonum eidem ipſi, cui malum deſideratur, V.g. emendationem peccatoris, aut alia lucra ſpiritualia: vel ad impediendum nocumenta aliorum, quos plus debemus diligere, & is non definit iniuſtè vexare; cæterum quod etiam liceat innocenti mortem exoptare, vt vtilem ad lucra priuata hæreditatis, aut ſucceſſionis in munere, nec in *S. Thoma* legitur, nec principiis eius adaptatur. Illa etiam verba, quæ ad 3. habet, nempè: *Quod optare alicui malum ſub ratione boni, non contrariatur affectui, quo quis ſimpliciter alicui optat bonum, ſed magis habet conformitatem ad ipſum*, potius probant, quod intendimus: quia vt liceat optare malum ſub ratione boni, opus eſt, vt ille affectus conformetur legi charitatis, non ſemper autem conformatur, neque conformari poteſt in caſu huius Theſis proſcriptæ; ſed tunc ſolum, cum intenditur bonum honeſtum præponderans iuxtà charitatis ordinem malo illius, cui deſideratur. Quo circa idem S Doctor *in diſput. quæſt. de Char. ar.* 8. *ad* 10. tres ſolas cauſas proponit, propter quas *poſſumus illis, quos ex charitate diligimus, velle, aut inferre aliquod malum.* 1. *quidem propter eorum correctionem.* 2. *in quantum aliquorum temporalis proſperitas eſt in detrimentum alicuius multitudinis, vel etiam totius Eccleſiæ.* 3. *ad ſeruandum ordinem Diuinæ Iuſtitiæ, ſecundum illud Pſalmi: Lætabitur Iuſtus, cum viderit vindictam.* Hæc ibi, qui ſimilia habet *in* 3. *d.* 30. *q.* 1. *ar.* 1. *ad* 4.

7 Volui in probatione comprehendere quemcumque proximum; nam vel deſiderium tale mortis ſubeſt damnationi huius Propoſitionis, vel præcedentis. Sicut etiam comprehendimus quodcumque emolumentum. Et quidem filij naturales comprehenduntur in doctrina huius Propoſitionis XIV. quia iam reſpiciunt ſuum Patrem naturalem. Filij verò ſpurii deſiderium huiuſmodi non eſſet contra damnationem huius Propoſitionis, ſed præcedentis: licet poſſet etiam defendi eſſe contra damnationem huius Propoſitionis; nam quoad alimenta in conſcientia filius, etiam reſpicit Patrem ſpurium. Arrogati, adoptiui, ac ſpiritualis filij deſiderium huiuſmodi ſimiliter ſaltem ſubeſt damnationi Propoſitionis præcedentis.

Et

Digitized by Google

ratione, vel omiſſione ſola malitia formalis, & à quibus etiam obiectiua.

4 *Cur condemnatio iſta non loquitur de culpa, quam in cauſa potuit habere ex præuiſione parricidij ante ebrietatem, & ex defectu cautelæ in medijs, quæ poterant influere in tale parricidium? & quare ſub nomine ebrietatis comprehendatur quicumque ſtatus priuationis vſus rationis?*

§. II.

5 *Graue crimen eſt, in filio gaudere de parricidio parentis, à ſe inculpabiliter in ebrietate, alioue ſtatu priuationis vſus rationis perpetrato, propter ingentes diuitias inde ex hæreditate conſequutas. Quod quadrupliciter oſtenditur, & ſimul traditur cenſura, cui Pars negatiua obnoxia eſt.*

6 *An quæ dicuntur de parricidio, ſeruata proportione dici debeant de adulterio, aut homicidio inceſtu, duello, & alijs per ſe prauis operibus ebriorum, atque ſomniantium? Quidue in pollutione?*

7 *Quid in deſiderio, gaudio, delectatione ſcienter terminata ad quoduis opus prohibitum lege poſitiua, vel humana, dum opus excuſat carentia vſus rationis, inaduertentia, vel ignorantia?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. hic ſub *gaudere*, venire etiam delectari: gaudium enim, delectatio, & fruitio moraliter pro eodem ſumuntur; vt notaui etiam in *comment. Propoſ.* XIII. Pariterque aſſero, nomine *parentis* non ſolum ſumi patrem, & matrem; ſed etiam auum, proauum, alioſque aſcendentes; pœna enim parricidij, & ſic *l. vn. Cod. de ijs, qui parentes, vel filios occiderunt*, locum habet etiam in ijs, qui aliquem ex alijs aſcendentibus ſuis interficiunt. Ita cum *Gloſſa* & frequentiori Doctorum calculo *Clarus §. Parricidium, nu. 3.*

3 Notandum eſt 2. Difficultari inter Moraliſtas, circa caſus, in quibus operatio, vel omiſſio, quæ alias eſſent formaliter peccata, ſi voluntariè, & ſine excuſatione exercerentur, an de illis liceat gaudere, quando ſunt exercita ſine malitia ſaltem formali, propter aliquam cauſam hanc malitiam impedientem, ſeu auferentem. Talis cauſa eſſe poteſt ſomnus, ebrietas, vel amentia, quæ libertatem à ſuppoſito auferunt; item inuincibilis error, ignorantia, aut obliuio, quæ opus reddunt inuoluntarium: Item impotentia phyſica, vel moralis, aut aliqua alia rationabilis, & legitima excuſatio, vel opera, vel omiſſiones liberantes à tranſgreſſione formali legis, etiam ſi voluntariè fiant, ſed vt excuſantur à contrahendo malitiam. De ſimilibus operibus, vel omiſſionis, dum inquiritur, an liceat poſtea delectari, quando eorum recordatio cum libertate occurrit, exploratum

Digitized by Google

mihi eſt adeſſe debere aliquem honeſtum finem, vt prædicta delectatio carere poſſit culpa, vel defectu ſaltẽ otioſitatis. Porrò à prædictis cauſis interdum tollitur ſola malitia formalis, vt quando deficit cognitio, & libertas, ſine quibus talis malitia eſſe non poteſt; at relinquitur malitia, obiectiua; quia operatio, vel omiſſio remanent in ea ratione, & ſtatu, vt obiectiuè conſideratæ conſeruent adhuc diſſonantiam ad rationem, vel talem conceptum, vt immediatè connotent legis prohibitionem, & ab illa comprehendatur, licet non in ratione actus, benè tamen in ratione obiecti. Interdum verò, per tales cauſas non modo tollitur malitia formalis ab operatione, vel ab omiſſione, ſed etiam taliter a priſtino conceptu, & ſtatu remouentur, vt neque malitiam obiectiuam conſeruent; quia nihil in eis remanet obiectiuè repugnans rationi, vel quod legis prohibitio etiam vt obiectum immediatè comprehendat. Exemplis dicta explicari poſſunt, nam ſi V. g. dormiens, aut ebrius fornicetur, licet actus fornicationis defectu libertatis excuſetur à malitia formali, non tamen liberatur à malitia obiectiua propria fornicationis: quia talis actus obiectiuè acceptus ſemper importat conceptum repugnantem rationi, & in eo ſaluantur propria prædicata, & conceptus fornicationis, ſcilicet, acceſſus ad non ſuam. Si verò aliquis in extrema neceſſitate tollat, id quo indiget vbi illud inuenit, non ſolum huiuſmodi actus liberatur à malitia formali furti, ſed etiam ab obiectiua; nam prout in ea neceſſitate exercitus, nihil habet repugnans rationi etiam per modum obiecti: neque in eo ſaluantur prædicata, & conceptus furti, nempe quod ſit acceptio rei alienæ, inuito domino rationabiliter; cum in extrema neceſſitate omnia ſint communia, iuxta ſuo loco dicta.

4 Notandum eſt 3. cum *Corella hic nu.* 57 & alijs (quidquid dixerit *Caſſianus à S. Elia*) quod iſta condemnatio non loquitur de culpa, quam in cauſa potuit habere ex præuiſione parricidij ante ebrietatem, & ex defectu cautelæ in medijs, quæ poterant influere in tale parricidium: quia hoc erat intrinſecè malum, & non opus erat damnare. Solum ergo procedit condemnatio in parricidio, quod caſualiter, & inculpabiliter euenit in ebrietate, ſeù in quolibet alio ſtatu carentiæ vſus rationis, puta per ſomnum &c materialiter enim ſe habet ad malitiam gaudij de parricidio, quod ſit factum in ſtatu priuationis vſus rationis per potum, vel ſomnum, &c. His prænotatis, ſit

§. SECVNDVS.

Stabilitur aſſertio iuxta decretum.

5 DIco: Illicitum grauiter eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe, quantumuis inculpabiliter in ebrietate, aut ſomno perpetrato, pro-

propter ingentes diuitias, inde ex hæreditate conſequutas. Et contrarium aſſertum eſt hoc decreto, vt minimum tanquam perniciosum in praxi deiectum.

Probatur. Tum 1. nam ſi ſcandaloſum eſt, & perniciosum in praxi approbare tanquam licitum gaudium de morte naturali alicuius ob hæreditatem, vel alia temporalia emolumenta, quæ inde nobis contigerunt, longe deterius id erit, cum iam non de morte naturali, ſed violenta gaudium ſumimus ex motiuo adeo degeneri; & hoc de morte violenta nō cuiuſcumq; ſed parentis; & illata non iam ab extraneo quopiam; ſed à filio, qui præ cæteris eum ſeruare tenebatur. Tum ſecundo, quia ſi hoc liceret, etiam licitum eſſet (quod exhorrent piæ aures) filijs triſtari de eo, quod in ebrietate, aut ſomno non occiderint ſuum patrem, quò citius bonis eius potirentur; aut de eo, quod non occiderint (ſi quem fortè occiderunt in eo ſtatu) illum, à quo ſunt progeniti; ſed potius alium extraneum. Et cum deſiderium merè inefficax, & nullam dans cauſam actui, in ſententia Aduerſariorum, merè ſpeculatiuum videatur, & gaudio, atque triſtitiæ æquiparetur, pari indulgentia indulgebitur filiis eo modo deſiderare, quod parricidium ſibi in ſomno, aut ebrietate contingat, vt fructus eius ſequatur, & operis excuſatio non deſit. Tum 3. Quia, quod ratione ebrietatis, vel ſomni non imputetur perpetranti parricidium, aliudque homicidium, & actionem per ſe, ac obiectiuè prauam, nec odio, aut damnatione dignum huiuſmodi opus cenſeatur, nihil poteſt prodeſſe illi, qui malitiam eius materialem, ac obiectiuam, quam retinent illæ actiones, agnoſcit, & liberè, ac aduertenter ipſi adhæret per affectum, & ſuo conſenſu illud approbat. Immò quia alium excuſabat à formali peccato ſola ebrietas, defectuſque vſus rationis, ex hoc ipſo conſtat, iſtum nullatenus excuſari, cum idem obiectum velit, aut poſitiuè amplectatur, & neque ebrius ſit, neque ratione careat; ſed ſui compos in eo quieſcat. Ita generaliter ſapienter diſcurrunt de his obiectis, & illorum gaudio, ac ſimplici deſiderio *Adrianus, Paludanus, Sotus, Azorius, Tapia, Suarez, Valen. Monteſinos, Malderus, Sanchez, Bardellus,* & latè *Raynaudus in diſcept. moral. diſt. 4. qu. 3. ar. 4.* legendus præſertim *num. 317. & 315.* vbi ſcribit: *Quis non exhorreat, ſi audiat filium de patris cæde gaudere, tametſi addat, ſe de ca cæde delectari, quia pater in gratia obijt? quantacumque enim adhibeantur condimenta, cædes iniqua parentis nulli probo filio dulceſcet.* Priori verò loco dixerat: *Quis excuſaret eum, qui vigilans cuperet, aut procuraret patrari ales te cedē inter dormiendum? Quamuis enim cedes non fert ei mala, niſi materialiter; tamen volitio, qua in huiuſmodi cædē materialiter tantū malā deliberate ferretur, eſſet mala formaliter:* Deinceps ex profeſſo oſtendit, quoad hoc non eſſe diſcrimen inter actus efficaces. Tum 4. Et demus actus iſtos, cum inefficaces ſunt, ob bonum finem maximi momenti, poſſe interdum excuſari à peccato, quod ſolum intendiſſe videntur *Vaſquez, Leſſius, Salas,*

 ac

ac nonnulli alij, quamuis profectò ſit valdè difficile, & à nobis non concedatur, quia boni finis intentio non purgat à labe affectum immediatum, ac directum circa obiectum ſuapte conditione prauum. Demus inquam hoc, & adhuc iuſtiſſimè iniuſta videbitur cenſura theſis damnatæ. Nam, vt in præcedentibus Comment. monui, & ex Angelico Doctore confirmaui, ſalua charitate, numquam licet anteferre bonum proprium bono alterius, quod plus debemus amare: nec tanti facienda ſunt ſingula quæque temporalia emolumenta, vt eorum adeptionem præferamus æſtimatione, & affectu malis valdè grauibus aliorum, quos tenemur, ſicut nos ipſos amare; debemus autem proculdubio plus amare bonum vitæ noſtris genitoribus, quam nobis ipſis diuitias etiam proprias, pluſque eis odiſſe malum mortis, quam amare commodum hæreditatis. Et quo ſtrictius eſt hoc vinculum, ac fundamentum amoris, eo grauior eſt obligatio cohibendi quemuis affectum appretiatiuè maiorem erga talia emolumenta, quam erga vitam parentum, qui ſunt noſtræ vitæ auctores. Quocirca etſi ob bonum publicum aliquando permittatur priuatis bannitos occidere, idque ipſi licite exequantur; nihilominus hoc ipſum non licere filijs reſpectu parentum bannitorum, tenent *Clarus*, *Bonac.* atque *Diana p.5.tr.4.reſ.25. in fin.* aliique communius.

6 Ex his habes: dicta de parricidio, ſeruata proportione procedere de adulterio, aut homicidio, & alijs per ſe prauis operibus ebriorum, aut ſomniantium, vbi malitia non deeſt; ſed ſola eius imputatio, ob defectum inculpatum aduertentiæ. Alioqui licitum quoque eſſet gaudere de periuriis, aut blaſphemiis contra Deum à ſe dormiente prolatis; & triſtari de non prolatis, ſi ex illis quodcumque commodum temporale reportaret, aut ſe minus propenſum in vigilia ad ſimilia experiretur. Liceret etiam gaudere de copula adulterina, inceſtuoſa, vel ſacrilega, ob filium inde ſuſceptum, ſi in ſomno, aut ebrietate contingit; de duello, aut bello iniquo, ob victoriam inde partam, ſi ignoranter fuit illatum; de ſententia materialiter iniuſta, quæ mihi profuit, eſto aliis nocuerit; & ita pariter in aliis pleriſque tàm deſideriis, quàm gaudiis. Quæ ex terminis abſurda videntur, & ideò non eſſe aſſerenda monebat *Azorius 3.p l.3.c.24.quæſ.3. & 4. & p.1.l.4.c.6.quæſ.9.* Aliud poteſt eſſe in pollutione, ſeù effuſione ſeminis humani, cum non contingit, alio mouente naturam, & ad ipſam prouocante: *Sanchez* enim *l.1.ſum.c.2.num.* 18. & 19. & *Diana p.3. tr.5. reſ.87.* alios referentes, putant, illam non eſſe peccatum, nec habere ex ſe malitiam obiectiuam, cum contingit opere ſolius naturæ, nullo impellente, euacuantis ſemen noxium, aut ſuperfluum, ſicut euacuatur ſudor, vrina, aut, mediante vomitu, cibus non benè digeſtus. Nam tunc eſt quidpiam indifferens, atque vt notant Medici, ſæpè contingit, etiam vigilantibus, ac renitentibus, ob nimium calorem, & renum debilitatem; vnde licitum eſt, excluſo Venereæ delectationis affectu, & conſentiendi

peri-

Digitized by Google

periculo, de ea gaudere ad bonum finem, aut ipſam deſiderare. Si verò pollutio etiam in ſomnis, amentia, aut ebrietate contingeret, non ſolius naturæ opere, ſed alio eam prouocante, de ea ſic habita illicitum eſſet gaudium, ac deſiderium etiam merè inefficax, vt tradunt *Sanchez*, ac *Diana*, cum cæteris, quos appellant. Idem enim omninò eſt ſentiendum de ea, quod de reliquis operibus per ſe, ac intrinſece prauis.

7 Porrò ratio præſertim iam adducta, pariformiter procedit in deſiderio, triſtitia, gaudio, ac delectatione ſcienter terminata ad quoduis opus prohibitum lege nedum naturale, ſed & poſitiua, diuina, vel humana, vt rectè animaduertunt *Sanchez d.c 2.num.16.* & alii. Quis enim impunè exerceri credat, aut non imputabit culpæ deſiderium, gaudiumque deliberatum de erroribus inculpatis contra fidem, aut de operibus iure diuino poſitiuo contrariis circa vſum Sacramentorum, vt circa officia virtutum? nec excuſpandum eſt gaudium de tranſgreſſione ieiunij quadrageſimalis, aut manducatione carnium, vt determinatè facta in die prohibito, quamuis formale peccatum non fuerit ratione inaduertentiæ, aut ignorantiæ. Licebit vtique in die Veneris gaudere de comeſtione facta die præcedenti, aut facienda die Dominica; quia tunc non eſt prohibita, nec materiale peccatum. Sed vice verſa non licet die Dominica gaudere de illa, vt ignoranter facta in die prohibito, quia vt ſic eſt violatio legis, & detecto errore, obiicitur voluntati tamquam praua; eſt tamen quorumdam cum *Arriaga* ſententia contraria circa legem humanam; quam non ſubiici condemnationi huius Propoſitionis, docet *Corcila hic n.58.* quia, inquit, condemnatio loquitur in caſu diuerſo.

PROPOSITIO XVI.

Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

1 HAnc acceptam eſſe quoad verba ex quibuſdam theſibus Scholaſticis Antuerpiæ defenſis die 16. Aprilis 1674 contendunt *Wilhelmus Sandæus in confutatione trium virorum, fol.154.* & *Specimen Theologiæ manant. per Belgium p.4.c.5.§.1.* Vtrobique tamen additur, comprobaturque ex contextu, à delatoribus Belgis, minus ſincera fide fuiſſe detruncatam, vt eo pacto odioſior fieret. Expreſsè quoque haberi apud *Thomam Tambur. l.2.in Decal.c.1.§.1.n.9.* tradit *Filguera.* Sed germanum ſenſum *Tamburini* aperui in *Lapide Lydio in Comment.ad Propoſ.1.*

*****

PROPOSITIO XVII.

Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

2 HOzes huius Propoſitionis damnationi dicit ſubiacere *Suarium d. 13. de Fide ſ. ſt. 5. num. 6.* & *Azorium tr. 1. l. 8. c. 7. quaeſ. 6.* Verum vterque plura tempora huius obligationis ibi agnoſcunt; & ideò eius Auctores non ſunt; non tamen approbo eorum ibi allatam doctrinam; nam alia tempora admittenda ſunt huius obligationis in ſequentibus omnia enumeranda.

SVMMARIVM.

§. I.

3 *Fidei (vti & aliorum ad ſalutem neceſſariorum) neceſſitas eſt medij, & praecepti. Vterque explicatur. Hic non loquimur de Fide habituali: haec enim, & caeteri habitus infuſi Spes, Charitas, & Gratia certò neceſſitatem medij obtinent.*

4 *Fides actualis eſt implicita, vel explicita. Vtraque explicatur. Sicut error eſt aſſerere ſufficere Fidem implicitam, ita requiri omnium explicitam.*

5 *Obligatio eliciendi actum internum Fidei alia eſt per ſe, & directè, alia indirectè, & per accidens. Vtraque explicatur.*

§. II.

6 *Fides cadit ſub praeceptum ſpeciale, & ſecundum ſe. Oppoſitum hoc, & Alexandri decreto cenſuratur.*

7 *Eſſe ſpeciale praeceptum Fidei per ſe, qua negatiuum, obſtringens ad non diſſentiendum, & non formidandum circa veritates Fidei oſtenditur.*

8 *Dari pariter praeceptum Fidei per ſe quatenus affirmatiuum, obligans ad actus Fidei exercendos, dupliciter demonſtratur.*

9 *Continetur ſub damnatione tam Alex. VII. quam Innocentij XI.* Propoſitio 16. *etiam ſi reſtringatur ad negationem neceſſitatis ſolius praecepti affirmatiui Fidei.*

10 *Non ſufficit implicitè credere tantum; ſeù credere quidquid credit S. Mater Eccleſia: ſed vlterius oportet explicitè credere aliquos articulos. Et oppoſitum damnatur à Gregorio XI.*

11 *Ad* rectè credendum *tenetur quilibet Fidelis in primis credere, & ſcire explicitè, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, quae etiam habere neceſſitatem medij, oſtendetur in* comm. ad Propoſ. 22.

12 *Secundò Myſterium Sanctiſſimae Trinitatis, & Incarnationis Domini I.* C. *An*

C. An de iſtis adſit etiam neceſſitas medij, determinabitur in Comment.ad penult.Propoſ.

13 *Tertiò Articulos, qui in Symbolo Apoſtolorum continentur: non eſt eadem obligatio de contentis in Symbolo Niceno, & Athanaſij, quatenus ſuperaddunt ad Symbolum Apoſtolorum.*

14 *Sunt omnes explicitè credendi ſine exceptione. Credi debet explicitè Chriſtum paſſum propter noſtram ſalutem: credere verò explicite paſſum ſub Pontio Pilato non cenſetur circumſtantia grauis obligationis pro explicita Fide. Tenetur quilibet ſcire explicitè ſignare ſe ſigno Crucis. An ſub graui obligatione, diſcrepant Doctores. Explicatur breuiter quid fide explicita credi debet articulis* Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, & remiſſionem peccatorum.

15 *Tutior ſententia cenſet, eamdem obligationem extendi ad myſteria extra Symbolum, quæ ſolemniter celebrat Eccleſia.*

16 An debite ſperandum. *Quæ obligatio ſit circa orationem? Vbi ſpecialiter circa Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, ac Antiphonam* Salue Regina.

17 Ad honeſte viuendum. *An notitia, & fides explicita Decalogi ſit neceſſaria ſub graui obligatione? Quid de notitia operum miſericordiæ, & præceptorum Eccleſiæ.*

18 Ad ſalutem conſequendam neceſſaria. *Quorum Sacramentorum Fides explicita eſt ſingulis neceſſaria? Quid de obligatione Fidei explicitæ, quod Chriſtus Dominus offeratur in Sacrificium in Miſſa.*

19 *Quanta obligatio ſit prædicta ſcientiæ explicitè quoad ordinem, & memoriam habendam ſuo ordine? An ſatisfaciat; qui ea addiſcit lingua, cuius ſignificationem non intelligit? Ad quid teneatur, qui eſt hebes, & impotens ea memoria retinere, vel addiſcere? Qui nedum explicitè, ſed etiam diſtinctè ea credere obſtringatur?*

20 *Satis non eſſe actum Fidei ſemel in vita elicere, oſtenditur tripliciter, & oppoſitum eſſe proſcriptum.*

21 *Præceptum affirmatiuum ſciendi res Fidei incipit obligare ab eo tempore; quo incipit obligatio credendi res Fidei.*

22 *Præceptum de eliciendo actu Fidei obligat per ſe in principio morali vſus rationis, in fine vitæ, & ſaltem ſemel in anno.*

23 *Actus Fidei, vt neceſſarius eſt neceſſitate medij, per ſe non debetur tot vicibus, quot debetur quatenus neceſſarius ex præcepto.*

24 *Quando præceptum affirmatiuum credendi obligat per accidens?*

25 *Negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper.*

§. PRI-

Digitized by Google

§. PRIMVS

Prænotiones pro intelligentia iſtarum Propoſitionum.

3 PRænotandum eſt 1. Fidei, (vti & aliorum ad ſalutem neceſſariorum) duplicem eſſe neceſſitatem, medij, & præcepti. Neceſſitas *medij* dicitur, qua aliquid ita neceſſarium eſt ad finẽ; ſeù ſalutem conſequẽdam, vt eo deſtitutus homo ſecundum legem Dei ordinariam ſimpliciter ſaluari nequeat, ſtante quacumque impotentia, & ignorantia, quantumuis inuincibili, & inculpabili. Hoc modo ipſi habitus Fidei, Spei, & Charitatis, Baptiſmus infantibus, in adultis etiam peccatoribus, pœnitentia, ſunt neceſſaria ad ſalutem. Neceſſitas *præcepti* dicitur, qua aliquid ad ſalutem conſequendam etiam neceſſario præſtandum eſt ex lege Dei, ſi tamen præſtandi facultas, ei occaſio adſit, ita ſcilicet, vt quis propter impotentiam, vel ignorantiam excuſetur ab obligatione talis præcepti ad conſequendam ſalutem, & ſine eius executione in tali caſu ſaluari poſſit. Sic obſeruatio omnium præceptorum diuinorum, imò & Eccleſiæ eſt neceſſaria ad ſalutem conſequendam. Hic autem ſermo non eſt de Fide habituali; hanc enim, & cæteros infuſos, ſpem, & charitatem, & gratiam ſanctificantem cuiuis homini ſimpliciter eſſe neceſſariam ad ſalutem conſequendam, exploratum eſt de Fide, & oſtendi in *Lapide Lidio Theol. comment. ad.* 1. *Propoſ.* ex *Trident. ſeſſ. 7. c. 7.* Homo enim in puris naturalibus abſque donis ſupernaturalibus ſimpliciter impotens eſt tendere in ſuum ſupernaturalem vltimum finem, qui eſt ipſe Deus ſummum Bonum noſtrum, & Beatitudo obiectiua. Sermo ergo eſt de Fide actuali.

4 Notandum eſt 2. Quod Fides actualis duplex eſſe poteſt; explicita, & implicita. Fides *explicita* dicitur, qua aliquid in ſe ipſo, & proprijs terminis expreſsè creditur; ſiue deinde cognitione confuſa, & generali ſignificatione terminorum, quomodo rudiores explicitè quidem attamen cõfuſe valdè intelligunt, & credunt, Deum eſſe, Trinitatem, Incarnationẽ, &c. ſiue cum cognitione diſtincta ſub aliqua propria ratione terminorum quatenus homini naturaliter cognoſcibiles sũt veritates Fidei, quod dictionẽ eſt: Fides implicita dicitur, qua aliquid creditur non in ſe, & proprijs terminis cognitis, ſed in alio aliquo modo continente. Idque dupliciter. Primò ratione ipſius veritatis creditæ, vt qui credit explicitè Deum eſſe creatorem omnium, eo ipſo implicitè credit eſſe creatorem Angelorum, hominum, atque etiam creatorem ſuum. Secundò ratione motiui credendi, ſeu principalis, quod eſt auctoritas Dei reuelantis, ſeù ſecundarij, quod eſt auctoritas Eccleſiæ proponentis. Qui enim generaliter credit quidquid Deus reuelauit; vel quidquid credit, & credendum proponit Eccleſia, eo ipſo implici-

plicitè credit omnes veritates credendas. Aut qui particulariter credit hunc articulum, V.g. Deum hominem factum, ex Virgine natum eſſe, &c. quia Deus reuelauit, vel quia Eccleſia credit, & credendum ponit is rurſus implicitè credere cenſetur omnes alios articulos à Deo reuelatos, vel ab Eccleſia ad credendum propoſitos; quia ita animo diſpoſitus eſt, vt paratus ſit etiam credere quiduis aliud, quod Deus reuelat, vel Eccleſia credendum decernit, dummodò ei proponatur. Simile habet in materia de Pœnitentia, de Contritione, ſeù dolore vniuerſali eliciendo. Et hoc modo Fides implicita omnium omninò credendorum ſine dubio, omni homini adulto neceſſaria eſt ad ſalutem: eo ipſo enim, quo quis paratus eſſet aliquid à Deò reuelatum, vel ab Eccleſia ad credendum propoſitum, non credere, infidelis eſſet, vel hæreticus: imò eo ipſo aliam illam veritatem non crederet Fide Diuina, ob auctoritatem Dei reuelantis, ſi aliquid ſimiliter à Deo reuelatum paratus eſſet non credere: vt intuenti patet. Porrò ſicut ſufficeret, vt Fidelis, quantumuis rudis credat omnes res Fidei tantum implicitè; & non requiri, vt aliquas veritates credat explicitè error eſt, vt infra oſtendetur; ita quoque manifeſtus error eſt *Caluini l. 3. Inſtit. c. 2.* dicere, Fideles teneri explicitè credere omnia, quæ ad Fidem ſpectant; nam notitia omnium, quæ in ſacris literis continentur reſpectu totius multitudinis Fidelium eſt impoſſibilis, vt rectè notant *Salmant. de Fide d. 6. dub. 2. §. 3. n. 109.* Poſſibilis verò eſt aliquorum, cum fide implicita aliorum. Nec credere implicitè, eſt ignorare, non credere; vt inſipienter inquit *Caluinus*; ſed credere minus tamen perfectum, ſermo eſt hic de Fidei articulis explicitè credendis neceſſitate ex præcepto (nam de neceſſitate medij erit ſermo infra) ſeù quæ nam actu, & explicitè neceſſariò credenda ſunt neceſſitate præcepti.

5 Notandum eſt 3. Quod duplex conſiderari poteſt obligatio eliciendi actum internum Fidei, cum per ſe, & directè, altera indirectè, & per accidens. Prior obligatio tunc cenſetur adeſſe, quando præceptum affirmatiuum Fidei ex ſe ipſo atque immediatè obligat, ita vt omittens tunc actum Fidei contra hanc virtutem directè peccet. Indirectè ſeù per accidens dicitur obligare præceptum affirmatiuum Fidei, quando talis obligatio prouenit ratione alterius præcepti obligatorii, quod obſeruari non poteſt abſque actu Fidei: vt quando actus Fidei eſt medium neceſſarium ad implendum præceptum alterius virtutis; quod ſeruari nequit, niſi præcedat actus Fidei. His prænotatis, ſit.

quamuis (vt præcludatur obiectio) ea, quæ ſunt media ad conſequendum finem, appetantur propter finem; nihil obſtat, quominus appetantur etiam per ſe, & independenter à fine. Sic iter Romam verſus, eſt medium ad obtinendam dignitatem deſideratam, & aſſumitur propter illam, & tamen nihil obſtat, quominus ipſum iter aſſumatur per ſe, & independenter ab eo ambitu dignitatis. Similiter ergo licet præceptum Fidei ordinetur ad charitatem, tamquam ad finem (nam finis præcepti charitatis, vt ait *Apoſt. 1. ad Corinth. 1.*) poteſt ipſa cognitio, & aſſenſus Fidei præcipi per ſe, & propter ſe.

9 Dico 2. Damnata manet Propoſitio 16. etiam ſi reſtringatur ad ſolum præceptum affirmatiuum, ſeù quatenus dicit, præceptum Fidei, qua affirmatiuum, non eſſe per ſe, ſed indirectum. Continetur inquam ſub damnatione tum Alex. VII. tum Innocentii XI.

Quod contineatur ſub damnatione Alexandri VII. probatur; nam prima Propoſitio ex damnatis ab eo, hæc eſt: *Homo, nullo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium*. Vbi notabis 1. non loqui eam Propoſitionem de præcepto negatiuo, qua prohibente hæreſim; ſed de affirmatiuo præcipiente hominibus elicere actus Fidei. Notabis 2. non loqui de præcepto Fidei, quatenus hæc eſt neceſſaria ad alias virtutes exercendas; ſed quatenus iniungit eas ipſas virtutes Fidei, Spei, & Charitatis; vt clariſſimè conſtat ex illis verbis: *Ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium*, vt ibi plene demonſtrauimus. Hinc fit, damnatam manere Propoſitionem, quæ affirmat, præceptum Fidei non dari affirmatiuum, & præceptiuum actus Fidei, propter ipſam virtutem Fidei, ſed ſolum propter exercitium aliarum virtutum. Etenim Propoſitio, quæ id affirmat, dicit, Fidelem non teneri elicere actum Fidei ex vi præcepti Diuini ad eam virtutem pertinentis; ſed id expreſsè damnat Alexander VII. continetur ergo ſub eius damnatione.

Facilè hinc oſtenditur, quod etiam contineatur ſub damnatione Innocentii XI. Nam iſte loquitur in eodem ſenſu, ac Alexander VII. Si ergo Alexander loquitur de præcepto Fidei affirmatiuo, de eadem loquitur & Innocentius; & conſequenter damnat Propoſitionem aſſerentem, non dari præceptum Fidei affirmatiuum, & per ſe. Antecedens patet; nam & Innocentius approbat Decretum Alexandri; vt patet initio Decreti: & Propoſitio damnata ab Innocentio continetur in Propoſitione damnata ab Alexandro: cenſendus eſt ergo loquutus eſſe in eodem ſenſu ac prædeceſſor.

10 Dico 3. Non ſufficit implicitè credere tantum, ſeù credere quidquid credit Sancta Mater Eccleſia; ſed vlterius oportet explicitè credere aliquos articulos.

Patet. Nam opinio docens ſufficere, vt Fidelis, quantumuis rudis

credat omnes res Fidei tantum implicitè : & non requiri, vt aliquas veritates credat explicitè, fuit damnata à Gregorio XI. qui, vt refertur in *Directorio Inquiſitorum 2.p.qu.10.art.8.* damnat ſequentem articulum: *Quod laici non tenentur ad aliquem articulum Fidei explicitè credendum, ſed ſufficit illis iſta concluſio in genere, quod credunt omne id, quod Sancta Dei Eccleſia credit*. Referri ſolent pro ea ſententia Innocentius in *c.1. de ſumma Trin t.& Fide Cath. Abbas, & Oſtienſis in rubr. eiuſdem tit. in fine, B.l'us, Roſella, & alij*. Verum vt notat *Suarez*, iſti Auctores docuerunt etiam teneri omnes explicitè credere, quod Deus ſit, & remunerator ſit. Sed adhuc remanet improbabilis iſtorum ſententia; nam etiam omnes tenentur de neceſſitate ſaltem præcepti credere multa alia explicitè; vt mox patebit.

Remanet autem determinandum : quæ teneatur quilibet fidelis credere, & ſcire explicitè neceſſitate præcepti. Et quidem ad rectè credendum, debitè ſperandum, honeſtè viuendum, & ſalutem conſequendam neceſſaria.

11 Ad rectè credendum. Tenetur in primis credere, & ſcire explicitè, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe : quæ ſunt ſcita, & credita neceſſaria neceſſitate etiam medii, vt oſtendetur in *comment.ad Propoſ.22.* Nam in confeſſo apud omnes eſt, quod ea, quæ tenemur credere neceſſitate medii, tenemur etiam credere neceſſitate præcepti; quia medium ad ſalutem eſt etiam præceptum. Sic *Card.de Lugo de Fide d.13.ſect.4.n.60. Madernus to.2.tr.9.q.3.ar.4.n.6.* & alii communiter.

12 Secundò, tenemur credere, & explicitè ſcire, Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Diuini Verbi. An autem teneamur etiam credere, & ſcire explicitè neceſſitate medii, videbimus in *comment.ad penult.Propoſ.huius Decreti.*

13 Tertiò. Quilibet tenetur credere, & ſcire explicitè articulos, qui in Symbolo continentur. In quo tamen obſeruandum eſt cum *Card.de Lugo cit.ſect.4.num.63.* ſermonem eſſe de Symbolo Apoſtolorum, non de Symbolo Athanaſij, vel etiam Nicæno, in quibus ad maiorem explicationem aliqua addita ſunt, quorum notitia non exigitur à ſingulis fidelibus, vt de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, fatentur *Suarez de Fide d.13.ſect.4.num.6. Sanchez l.2.ſum.c.3.num.17. Coninch de Fide d.14. dub.10.num.190. Petrus Hurtadus d.44.ſect.2. §.10.* & alii. Porrò obligatio hæc vniuerſalis notitiæ explicitæ circa materiam Symboli Apoſtolorum colligitur ex vſu perpetuo ipſius Eccleſiæ, quæ hanc notitiam à ſingulis ante, atque poſt baptiſmum exigit, vt conſtat ex Conciliis Agathenſi, Bracharenſi 2. & Cabilonenſi in *c.20. & ſeqq. de conſecr. d.4.* & ex *Rabano* relato ibi in *c.ante Baptiſmum*, ac ex *Catechiſmo Pij V.* vbi dicitur in principio, omnes ſcire, & credere debere ea, quæ Apoſtoli certis articulis comprehenderunt; & ex *c.Deus, qui: de pœnit. & remiſſ.* & ex *Auguſt. l.8.*

Con-

Confeſſ. c.2. Ratio huius obligationis, cæteris omiſſis, hæc eſt; quia qui in Chriſtianam Religionem amplectitur, ita debet eam amplecti, vt eam diſtinguat ab aliis, quæ non ſunt: & per conſequens debet talem Fidem credere, quæ diſtinguat Chriſtianam Religionem ab alijs doctrinis, quæ vel ſint, vel fuerint; alioquin non diſtingueret Chriſtianam Religionem à ſtatu legis naturæ, in quo etiam Fideles credebant Deum vnum remuneratorem ſupernaturalem, atque etiam credebant vera eſſe quæcumque Deus reuelaſſet, & quæ in vera Eccleſia ex Dei reuelatione haberentur. Chriſtianus autem, eo ipſo, quod Chriſtianiſmum profiteatur, debet agnoſcere quæ, & qualis ſit Religio, cui nomen dat, ſaltem ſecundum ſubſtantialia capita, & fundamenta huius Religionis; indecens enim eſt, velle fieri Chriſti diſcipulum, & ſequi eius doctrinam, & ſimul ignorare prorſus Chriſti doctrinam, quam profitetur. Debet ergo ſaltem quoad ſubſtantialia capita ſciri doctrina Chriſti, vt aliquis verè ſit Chriſti diſcipulus: quæ ſubſtantialia, & potiſſima capita ab omnibus ſcienda Apoſtoli diuino inſtinctu diſpoſuerunt in Symbolo, vt breuiter, & facilè poſſent omnes Fidem ſuam, quantum ſatis eſſet, profiteri.

14 Omnes itaque articuli Symboli Apoſtolorum ſunt explicitè credendi à Fidelibus ſine exceptione. Ita *Salmant. de Fide d.6.dub.2. Arriaga d.13. Boyuinus de Fide c.3.qu.3. concl.1.* & alii communiter. Ratio eſt, quia Eccleſia proponit omnes articulos Symboli credendos, & prohibet nè adultus ad Baptiſmum admittatur, niſi Symbolo ſit inſtructus. Porrò debet quilibet Fidelis explicitè credere Chriſtum paſſum, & mortuum eſſe propter noſtram ſalutem. Cum enim Chriſtus debeat explicitè credi, vt Redemptor noſter, oportet credere, nos ſuo Sanguine redemiſſe; & ita omninò expediebat ad debitam gratitudinem erga ipſum concipiendam. Et hoc explicatur in Symbolo Nicæno illis verbis: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. &c. Card. de Lugo num.76.* qui *nu.78.* cum aliis addit, quod genus mortis, nempe Crucifixio ſit de neceſſitate grauis præcepti explicitè credendum. Vnde quilibet fidelis tenetur ſcire ſignare ſe ſigno Crucis tum ob rationem dictam, tum quia præcipua myſteria noſtræ Fidei, nempè Trinitatis, & Incarnationis profitemur in hoc ſigno. Hinc neſcire facere ſignum Crucis, putant mortale *Sylu. Angelus, Tabiena, Armil'a, Villalobos, & Caſſianus à S. Elia in arbore opinionum.* At eſſe veniale, mitius docent *Sanchez l.2.c.3. num.14. & Diana p.3.tr.5. reſ. 48.* Circumſtantiam paſſionis ſub Pontio Pilato eſt ſcitu neceſſaria ſub veniali. *Card. de Lugo, Madernus*, & alii. Circumſtantia etiam tertiæ diei in Reſurrectione, *Card. de Lugo num.88.* In articulo *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, credimus dari multitudinem Fidelium congregatam ſub vno capite Pontifice Romano, extra quam nemo ſaluari poteſt. In articulo *Communionem Sanctorum*, credimus Communionem Sacramentorum, & etiam bonorum operum inter fideles iuſtos, ratione cuius opera bona

vnius

vnius ali,s proſunt. In articulo, *Remiſſionem peccatorum*, credimus efficaciam B. ptiſmi, & Pœnitentiæ; atque adeò quod in Eccleſia ſit poteſtas remittendi per hæc Sacramenta. Et inſuper extra Sacramenta, per actum contritionis. Quod ſcire elicere quis tenetur.

15 Quartò. Quilibet tenetur explicitè credere alia myſteria, quæ ſolemniter celebrat Eccleſia nempè Epiphaniæ, Circumciſionis, Præſentationis Chriſti in Templo, & Aduentus Spiritus Sancti. Ita *D. Bonau. Durand. Coninch*, & alii contra *Arriagam, Maſtrium*, & alios.

16 *Ad debitè ſperandum*. Nimirum eſt grauis obligatio ſciendi explicitè, quod Deus ſit orandus, & eius auxilium in neceſſitatibus implorandum, ab eoque petenda eſſe bona animæ, & corporis. Ita *Petrus de Ledeſma in Theol. mor. tr. de Fide c. 2. conſid. 12. Auerſa de Fide qu. 2. ſect. 7. Salman. d. d. 6. dub. 2. num. 114.* & alii. Hinc quis tenetur ſcire, & memoria tenere Orationem Dominicam, vt patet ex *c. Vos ante omnia, de conſecr. d. 4.* & ex *Catechiſmo Pij V. par. 4. c. 1. §. 2.* illis verbis: *Primum igitur dicendum eſt, quam ſit oratio neceſſaria, cuius præceptum non ſolum conſilij cauſa traditum eſt, ſed etiam neceſſarij iuſſi vim habet; quod à Chriſto Domino declaratum eſt his verbis: Oportet ſemper orare. Hanc orandi neceſſitatem ipſa etiam illo Dominicæ precationis proœmio oſtendit Eccleſia. Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere; itaque cum eſſet neceſſaria precatio Chriſtianis hominibus, & illud a diſcipulis ipſe rogatus eſſet: Domine doce nos orare, præſcripſit eis orandi formulam Dei Filius, & ſpem actualis impetrationis eorum, quæ poſtularent, &c.* Nam in illa continentur ea, quæ in oratione petenda ſunt. Vnde qui culpabiliter neſcit, ſaltem quoad ſubſtantiam, & quoad ſenſum, itaut interrogatus de ſingulis neſciat reſpondere, peccat mortaliter: ſi verò ſciat quoad ſubſtantiam, ſed neſciat ordinatè, & quoad litteram; peccat peccato graui veniali. Ita cum *Nauarro, Reginaldus tom. 2. l. 17. c. 1. num. 17. Caſtropalaus d. tr. 4. d. 1. pu. 10. num. 8. Coninch ſupra dub. 10. concl. 5. Auerſa*, & alii. Licet *Card. de Lugo ſupra num. 152. Trullench*, & alii, ſolum inueniant in culpabili ignorantia Orationis Dominicæ peccatum veniale. *Nauarrus, Layman, & Buſembaum* hanc eandem obligationem leuem agnoſcunt *Suarez to. 2. de Relig. c. 6. num. 10. Card. de Lugo num. 134. Sporer num. 12.* & alii. Facilius poſſet à culpa excuſari ignorantia illius alterius orationis, quæ incipit *Salue Regina*, quæ eſt vna ex antiphonis, quibus Eccleſia vtitur; & licet ſolemnior ſit, & magis in caſu, non tamen ita antiqua, vel vniuerſalis, & ideò in ipſo officio Eccleſiaſtico media ferè anni parte omittitur, appoſitis eius loco aliis, pro temporum varietate diuerſis, *Card. de Lugo ſupra.*

17 *Ad honeſtè viuendum*: Nimirum in primis notitia, & fides theologica explicita decalogi eſt neceſſaria ſingulis ſub obligatione præcepti. Ita *Suarez de Fide d. 13. ſect. 4. n. 11. Bannez 2. 2. qu. 2. ar. 8. §. ſequitur præterea, Sanchez d. c. 3. num. 10, Card. de Lugo ſect. 5. n. 126. Madernus, Abellij*, & alij

com-

communiter. Ratio, quare debeant explicitè ſciri eſt, quia eorum obſeruatio eſt ad ſalutem neceſſaria, dicente Chriſto *Matthæi* 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Atqui ſeruari non poſſunt, ſi ignorentur; ergo &c. Ratio, verò, quare debent fide Diuina credi, eſt, quia quando Deus aliquid vniuerſaliter præcipit, atque hoc præceptum proponit, & reuelat, vt ſubditis omnibus conſtet, ipſa virtus fidei per ſe, & directè obligat ſubditos, non ſolum ad non diſſentiendum, ſed etiam ad credendum poſitiuè præceptum reuelatum, & ad attendendum, & audiendum illud; nam qui reuelat, & loquitur ea intentione determinata, vt audiatur, & fides ei adhibeatur exigit ab ijs, ad quos loquitur & fidem, & auditum, & attentionem; neque hæc poſſunt ei ſine irreuerentia negari. Atqui Deus de facto ad debellendas tenebras, & ignorantias, quas natura peccato corrupta humanæ menti paulatim induxerat, voluit expreſsè, & diſtinctè naturæ legem explicare, ſuoque præcepto denuo confirmare, & nobis omnibus intimare, pro vt per Moyſen Iudæis, & omnibus poſtea per Chriſtum intimauit. Ergo virtus fidei obligat ad ea præcepta diſtinctè cognoſcenda, & credenda ea nimirum diſtinctione, & explicatione, quam Deus nobis intimare intendit. Secundò: licet *Madernus* vbi ſupra *ar.* 3. *num.* 12. neget adeſſe omnibus obligationem ſciendi, & credendi explicitè opera miſericordiæ, quæ in Catechiſmo doctrinæ Chriſtianæ numerantur quatuordecim, ſeptem corporalia, & ſeptem ſpiritualia, de quibus nos ſupra; tamen affirmāt *Paulus Mari. Quarti ad Rubr. Miſſalis p.3.tit.*10.*dub.*5.*diffic.* 4.*concl.*3. & alij; quia quilibet debet ſcire in quibus caſibus ſit obligatio ea exequendi. Alij tamen dicunt ſufficere, ſi ſciat aliquis obligationem ſubueniendi in genere proximo neceſſitatem patienti. Ita *Sanchez* vbi ſupra *n.*10. & *Caſtropalaus ſupra num.*8. qui alios referunt. Tertiò adeſt obligatio ſciendi explicitè quinque præcepta Eccleſiæ, quæ in Catechiſmo Chriſtianæ doctrinæ continentur, cum ad omnes Fideles pertineat eorum obſeruatio. Ita Doctores communiter. Non tamen eſt obligatio ea credendi per Fidem: cum Deus non reuelauerit hæc præcepta ab Eccleſia impoſita eſſe, ſed poteſtatem ea imponendi: quod verò de facto ea impoſita ſint, non ex fide Diuina, ſed aliundè ſufficienter nobis conſtat. Ita *Card. de Lugo ſupra n.*128. *Madernus ſupra nu.*12. & alij. Quartò tenetur quilibet ſcire, quæ ad proprium ſtatum, & officium pertinent iuxtà legis Diuinæ, aut humanæ præceptum, at rectè, & ſine periculo erroris illud exercere valeant, ſic *Abellius, Salmant. Anerſa. Lucenſis*, & alij.

18 *Ad ſalutem conſequendam neceſſaria*. Nimirùm ſacramenta omnibus ad ſalutem conſequendam neceſſaria, videlicet Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia. Baptiſmum, ſicut omnes recipere debent, ita credere tenentur eius efficaciam, & neceſſitatem, vt illum debito modo petant, & recipiant. Nec obſtat, quod is, qui in infantia baptizatus eſt, iam non habet obligationem baptiſmi recipiendi: id enim per accidens eſt, & vt no-

notauit *Suarez ſupra n.* 12. is etiam, quando eſt adultus debet ſcire ſe iam præcepto ſatisfeciſſe, quo per ſe loquendo obligetur: & ideò debet habere notitiam Baptiſmi ſuſcepti, & eius effectus, & quam profeſſionem & obligationem ex eo contraxerit, & quomodo ratione illius eſt membrum Eccleſiæ, & capax recipiendi cætera Sacramenta, & ſub obedientia Romani Pontificis. *Card. de Lugo ſupra num.* 116. cum ſit etiam præceptum Chriſti vniuerſale recurrendi ad Sacramentum Pœnitentiæ cuilibet, qui poſt Baptiſmum habet conſcientiam, vel dubium de peccato mortali commiſſo, tenetur explicitè ſcire, Sacramentum Pœnitentiæ requirere, vt accedens ad illud ſuſcipiendum confiteatur omnia ſua peccata, prius conſcientia diligenter diſcuſſa; ac de illis doleat, proponatque firmiter numquam in illa recidere, Deo iuuante, ac credat Eccleſiæ miniſtrum poteſtatem habere ipſum ab eiſdem abſoluendi. Hæc autem notitia habenda eſt ab omnibus etiam antequam peccatum mortale poſt Baptiſmum committant; quia regulariter loquendo omnes habent neceſſitatem recurrendi ad hoc Sacramentum, ſaltem propter dubium peccati commiſſi. Ita cum communi *Card. de Lugo num.* 117. *qui num.* 118 aliud dicit de ritu Baptiſmi; non enim cenſet omnes debere ſcire formam Baptiſmi; quia Baptiſmi præceptum immediatè fertur ad ipſos baptizandos, vel etiam ad eorum parentes, vel qui ipſorum curam habent, vt offerant eos Eccleſiæ miniſtris, vt baptizentur: ad reliquos autem mediatè, & per accidens ex obligatione ſubueniendi indigenti in caſu neceſſitatis ex debito charitatis: qui caſus neceſſitatis non eſt ita frequens, vt eſt Pœnitentiæ. Neceſſaria eſt etiam Fides explicita Euchariſtiæ, cum ſimiliter præceptum ſit vniuerſale omnibus eam ſumendi: ad quod neceſſe eſt ſcire, & credere quid in eo Sacramento ſumatur. Et communiter docent, neceſſariam eſſe Fidem explicitam de toto Chriſto ſub ſingulis ſpeciebus contento. Ita alios referens *Card. de Lugo l. c. à num.* 20. qui addit, debere credere, ibi eſſe etiam animam, ſine qua non eſt Chriſtus præſens. Vnde *Coninch d.* 14. *dub.* 10. *num.* 191. dicit, teneri omnes explicitè ſcire, ſub Euchariſtia Chriſtum Deum, hominem verè, ac integrè contineri, & in eo adorandum eſſe, ac à communicantibus verè ſumi, omneſque fideles adultos obligari id ſuo tempore ſuſcipere, vt cibum animæ Spiritualem. Ratio eſt, quia cum certum ſit eſſe obligationem ſciendi, quid contineatur ſub Euchariſtia; non poteſt ignorari contentum quoad ſubſtantiam: multum autem variatur ſubſtantia contenti ex eo, quod contineatur ſolus Sanguis Chriſti: V. g. in aliquo loco, aut quod contineatur totus Chriſtus integer, & viuus, quem præſentem venerari, & alloqui poſſimus: oportet ergo ſcire, ibi contineri totum Chriſtum; ſicut eſt in cœlo, alioquin ignoramus contentum in eo Sacramento quoad ſubſtantiam contenti. Excuſatur tamen, ſi neſciret quid contineretur ex vi verborum, & quid per concomitantiam: præſertim cum aliqui dicant, quod non pertineat ad fidem per ſe

loquen-

Digitized by Google

loquendo, hæc diſtinctio continentiæ ex vi verborum, & per concomitantiam, prout tenent *Suarez to.3.in 3.par.d.51.ſect.3.& Ioannes Præpoſitus in 3.par.q.76.ar.2.dub.2.nu.9.* Addunt tamen *Suarez de Fide cit.ſect.4. num.12.& Card.Lugo nu.122.* debere omnes Fideles explicitè ſcire, quod hoc Sacramentum offeratur in Sacrificium in Miſſa. Et quidem de facto, poſito præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, videntur conſequenter obligari Fideles ad ſciendum quid ſit Miſſa. Nam obligari illos ad audiendam Miſſam, non eſt obligari ad actionem illam ſolùm materialem, & externam, ſed ad actionem Sacram, & per conſequens ad offerendum Sacrificium, cum Sacerdote, & medio illo vt per oblationem Sacrificij Deum colant: ad quod videtur neceſsè aliquo modo ſcire, quod in Miſſa offerant Sacrificium. De alijs verò quatuor Sacramentis, quidquid dicant *Lorca, Caſtropalaus, & Abellij*, communis aliorum Doctorum ſententia eſt, notitiam, & Fidem explicitam eorum non eſſe ex obligatione neceſſariam ſingulis Fidelibus, ſed ijs, qui ea ſuſcipere volunt. Ita *Bannez 2.2.q.2.ar.8.§.de Euchariſtia, Valen.de Fide 1.q.2.pu.5. Sanchez d.c.3.num.9. Suarez cit.ſect.4.nu.12. Turrianus, Granadus, Reginaldus, Marchant. Sporer.* & alij. Supponunt enim, non eſſe præceptum vniuerſale ſuſcipiendi Sacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis. Illi verò, qui volunt aliquod ex illis quatuor ſuſcipere, debent eius notitiam comparare, vt ſciant quod ſuſcipiunt; & quomodo illud ſuſcipere debeant.

19 Circa autem hæc dicta animaduertendum eſt, obligationem memoriter, & quoad ordinem tenendi, quæ ex præcepto ſingulis credenda, vel ſcienda ſunt, V.g.Symbolum, Orationem Dominicam, præcepta Decalogi, &c. non eſſe ſub mortali, ſi aliquis ſubſtantiam ſciat, ita vt interrogatus poſſit reſpondere. Ita contra *Paludanum, Suarez de Fide d.13. ſect.5.num.8.Sanchez d.c.3.n.16.& 19.Coninch.* vbi ſupra *num.194.Caſtropal. pu.10.num.9. Granadus, Layman, Sporer,* & alii, qui ſolum concedunt culpam venialem craſſam, quando ob negligentiam in addiſcendo non mandantur memoriæ. *Card.de Lugo ſupra num.136. Arriaga tom.5. d.14. ſect.4.num.21.* Ratio autem eſt, quia, quod principaliter requiritur eſt, quod rei ſubſtantia intelligatur, & ſciatur. Ordo autem verborum, & rerum ſolum exigitur ſecundariò, & ad melius conſeruandam vniformitatem Fidei, quam omnes eiſdem verbis profitentur: & quia ſic melius rerum memoria conſeruatur, dum perſeuerat etiam memoria verborum, quibus ſuo ordine res illæ ſignificantur, & melius diſpoſitus eſt homo ad fidem ſuam profitendam, quando oportuerit. Nullo tamen modo quis ſatisfacit huic obligationi, ſi Symbolum, & alia ſimilia lingua latina memoriter recitet, cuius linguæ ſenſum, & ſignificationem ipſe non intelligat. Ita *Sanchez d.n.16. Suarez ſect.4. n.15. Card. de Lugo n.137.Coninch, Caſtropalaus, & Arriaga locis relatis,* Maior autē diligentia adhibenda eſt,

Digitized by Google

vt ſciatur, ſeu intelligatur ſubſtantia eorum, quæ ſcire, vel credere quis explicitè debet, quam vt ea memoria retineantur, cum illa ſit obligatio grauis, hæc leuis. *Card. de Lugo ſupra*. Addunt verò *Valen. Azorius, Caſtrop.* & alii, ſi aliquis ita hebeti, & rudi ingenio ſit, vt nequeat articulorum ſubſtantiam capere, excuſari ratione impotentiæ. Verum quod attinet ad neceſſitatem medii non eſt concedendum, quod ſit aliquis adeò hebes, & rudis, qui cum ſit capax peccandi mortaliter, non poſſit percipere explicitè articulos de exiſtentia vnius Dei, & remuneratoris, de quibus eſt neceſſitas medii, vt in *Comment. ad Propoſ. 22.* videbimus: nam ſine hac fide actuali explicita nemo poteſt dici in gratia iuſtificationis perſeuerare. Fidem verò Trinitatis, & Incarnationis explicitam dicemus 2. *p. in Comment. penult. Propoſ.* quod licet per ſe requiratur, poſſit per accidens aliquando deeſſe, nec ex eo defectu tunc impeditur iuſtificatio, & ſalus: quare non erit mirum, ſi ratione hebetudinis, & impotentiæ poſſit per accidens ruſticus aliquis iuſtificari, & ſaluari ſine memoria, aut fide explicita eorum myſteriorum, quæ tamen implicitè credit in aliis articulis clarioribus, quos explicitè credit. *Card. de Lugo ſupra num. 139* Similiter ſi ex debilitate memoriæ aliqui non poſſint ſcienda explicitè omninò retinere, non cogantur ad id: debebunt tamen hi frequentius petere ab aliis inſtructionem, & ita memoriam refricare, vt ſaltem interrogati de tali myſterio poſſint aliquo modo dicere quid de illo credant: & denique faciant quantum eſt in ipſis, vt retineant illud memoriæ. *Arriaga ſupra*, vbi aduertit, non præcipi immediatè memoriam, quæ non eſt actus liber, ſed diligentiam pro illa. Et adhuc memoria diſtinguenda eſt ab intelligentia. Equidem memoria verborum, vel ordinis articulorum inter ſe, aut aliarum rerum, quæ ſciri debent, iam ex dictis non eſt ſub obligatione graui neceſſaria. Memoria autem rerum ipſarum ſecundum ſubſtantiam non minus eſt ſub obligatione, quàm earum intelligentia; quare non minor diligentia adhibenda eſt ad hanc, quàm ad illam. Ita *Suar. d. ſect. 4. num. 15. & Card. de Lugo num. 139.* Denique: aliud eſt explicitè credere, aliud diſtinctè. Vtique Fideles communiter non tenentur credere, & intelligere myſteria etiam præcipua Fidei conceptibus diſtinctis, ſecundum proprias, & diſtinctas rationes terminorum, in quibus etiam doctiſſimi laborant, & ſudant, ſed ſatis eſt ſcire notitia quadam rudi, & craſſa, ac vulgari. Vnde *S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 6. ad* 2. monet, quod ſimplices non ſunt examinandi de ſubtilitatibus Fidei, niſi quando habetur ſuſpicio, quod ſint ab Hæreticis deprauati. Quare ſufficit ſcire, Deum eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & non eſſe plures Deos: licet non intelligatur diſtinctè vnitas in natura, & diſtinctio in perſonis. Sufficit credere, Deum eſſe vnum, & omnipotentem, & creaſſe Cęlum, & Terram; in iis enim implicitè continetur, quod creauerit omnia, quæ vtrobique continentur: de Chriſto autem ſatis creditur explicitè eſſe Filium

lium Dei vnicum, per quem ſatis explicatur, eſſe filium naturalem, qui ſolus eſt propriè, & ſine addito filius. Maiores verò, & eruditi in Eccleſia tenentur ſub mortali plura, & diſtinctius ſcire, & credere, quam inferiores, & ſimplices, V.g. Epiſcopus (per ſe loquendo) plus, quam Parochus: Theologus, Prædicator, Confeſſarius, plus quam ſimplex Sacerdos, Clericus, Laicus, &c. vti ſignificat Saluator in Parabola talentorum varie diſtributorum, & vario lucro exacto: *Cum enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum,* ait *Greg. Mag. ibid. hom. 9. Sporer ſupra §. 3. &* 4. Sed de hoc plenius in *Hieroclerologia*.

20 Dico 4. Satis non eſt actum Fidei ſemel in vita elicere. Et contraria aſſertio eſt *Propoſitio 17.* hoc Decreto proſtrata, vt minimum tamquam in praxi pernicioſa.

Probatur 1. Si ſatis eſſet actum Fidei ſemel elicere in vita, & nihil aliud à nobis poſtularetur, licitè differri poſſet vſque ad mortem talis præcepti exequutio, quia ad credendum ſemel id eſt ſatis, & cætera arbitrio noſtro in eo caſu relinquuntur. Conſequens autem eſſe valdè abſurdum meritò dixit *Suarez d. 13. de Fide ſect. 5. n. 4.* & oppoſitum certiſſimum vocat ex omnium mente *Leander à Sacram. p. 1. in Decal. tr. 2. de Fide d. 2. qu. 38.* quia eſſet contra inſtitutionem rectam vitæ Chriſtianæ eius initium, ac baſim differre vſque ad illud tempus, in quo iam deficit locus ad exercitia virtutum: Ergo, &c.

Probatur 2. & petitur, ad quid ſit ſatis ſemel crediſſe in vita? an ad non peccandum omiſſione noui actus credendi? Id vtique ſonat Propoſitio, ſed certiſſimum eſt, omittendo opera Fidei frequenter delinqui grauiter, ſaltem contra alia præcepta, quæ non poſſunt obſeruari abſque eiuſdem Fidei ductu. An ad non peccandum aduerſus præceptum proprium, ac ſpeciale Fidei? Sed id diſcerni debebat, & theſi proſcriptæ adiungi. Nam illa, vt iacet, non loquitur de præceptis obligantibus ad Fidem; ſed de actibus, neque diſtinguit inter obligationem credendi per ſe, aut per accidens: ſed abſolutè pronunciat, vnicum dumtaxat Fidei actum ſatis eſſe in tota vita.

Probatur 3. Obligatio Fidei exercendæ, vt in tertia prænotione, alia eſt per ſe, alia per accidens, ſeu ratione alterius finis poſtulantis vſum eius. Atqui alterutro ex his modis nos ad exercitium Fidei non ſemel, ſed ſæpè ſæpius decurſu vitæ obligamur: Ergo, &c. Minor quoad obligationem per accidens eſt indubitata. Neque enim adultis ſufficit in vita ſemel oraſſe, ſemel ſperaſſe, ſemel dilexiſſe, aut ſemel coluiſſe Deum; ſed pro variis occurrentiis oportet frequenter hos ipſos actus, & Chriſtianos mores exercere. Atqui iſtiuſmodi virtutum exercitium abſque vſu Fidei non datur, atque adeò illa ipſa præcepta affirmatiua, quibus ad ipſum conſtringimur, etiam obligant ad Fidem exercendam. Hinc facilè eſt probare alteram partem de obligatione credendi per ſe, ac ratione ip-

ſiuſmet Fidei, nempè illam non finiri vnico actu; ſed in diuturna vita ſæpius frequentandam eſſe propter excellentiam ſuam. Nam ſi ſatis non eſt, ſemel oraſſe, ſemel ſperaſſe, aut ſemel amaſſe Deum; ſed præcepta ſpecialia harum virtutum pernicioſam iſtam negligentiam remouent, & obligant ad ſuos actus frequentandos, quin patiantur eorum vſum multo tempore differri; cur, quæſo, aliter ſentire audebimus de eximia virtute Fidei, cuius actus omnes alias præire debent? Quod autem adſit ſpecialis obligatio diligendi Deum pluſquam ſemel, & non ſatisfieri, quamuis ſingulis quinquenniis dilectio repetatur, oſtenſum eſt in *Comment. ad Propoſ. 5. & ſeqq.* fauente hoc Pontificio Decreto. Idem ſeruata proportione accommodari debet præcepto Fidei, ſicut & Spei, diximus in *Lapide-Lydio Theol. in Comment. ad Propoſ. 1. Neque enim Deus de ſola nobis dilectione mandauit, vt alia non requiramus*, ait ſapienter *S. Auguſt. tr. 83. in Ioannem* in hæc immediatè ſcribens: *Tria certè commendat Apoſtolus dicens: Manent autem Fides, Spes, & Charitas, tria hæc: maior autem horum Charitas. Et ſi in charitate, hoc eſt in dilectione, concluduntur duo illa præcepta; maior tamen dicta eſt eſſe, non ſola. De Fide igitur nobis quam multa mandata ſunt, quam multa de Spe, quis poteſt cuncta colligere, quis enumerando ſufficere?*

21 Dico 5. Præceptum affirmatiuum ſciendi res Fidei incipit obligare ab eo tempore, quo incipit obligatio credendi res Fidei, nempe ab inſtanti morali vſus rationis. Ita Theologi communiter. Et patet ex iam dictis.

22 Dico 6. Præceptum de eliciendo actu Fidei, obligat per ſe in principio vſus rationis, in fine vitæ, & faltem ſemel in anno. Ita *Petrus Ledeſma in ſumma to.2.c.8. concluſ.4. Petrus Hurtadus d. 93. de fide num.5. & Bannez*, quem referunt, & ſequuntur *Salmant. de fide d.6. dub.2. num. 107. Didacus Hurtadus hic diſſert.9. num.23. & 25. Pratelius to.3.c.1.§.6. nu. 241. Briſicenſis* mox citādus *n.243.* Et loquendo de primo actu Fidei initio vſus rationis, & ſemel in anno, *Corella hic num.60. & Torrecilla tr.8. ſub concluſ. 2.*

Et quidem circa primum eius actum, aut nullo, aut valdè exiguo tempore differri poſſe; cum Fides ſufficienter proponitur, conſtat; quia id tempus eſſe opportuniſſimum omnium ad inchoandam nouam vitam, iaciendumque fundamentum, ſine quo non eſt poſſibile Deo placere, ſatis patet ex ipſis rerum naturis; idque prudenti, à cordato Theologorum iudicio adeo receptum eſt, vt ſolum controuertatur, vtrum vrgeat ea obligatio in eo inſtanti metaphyſico, quo Fides ſufficienter proponitur, vel potius in morali, permittente ſcilicet aliquam morulam, ſed adeò breuem, vt moraliter loquendo dici poſſit illum ſtatim credidiſſe. Et licèt aliqui Doctores ſint pro inſtanti methaphyſico; probabilius eſt, quod pueri, & adulti non tenentur ad eliciendos actus Fidei in eodem

in-

inſtanti metaphyſico, in quo myſteria ſunt eis ſufficienter propoſita; ſed in eodem inſtanti morali, hoc eſt poſt quandam moralem durationem breuem. Quia omnia præcepta poſitiua ex communi Teologorum ſententia, obligare incipiunt cum aliqua temporis latitudine, & non in primo indiuiſibili inſtanti metapyſico: atqui hoc præceptum credendi res Fidei eſt poſitiuum: Ergo &c. Ita *Oviedus*, & alij quos ſequitur *Leander à Sacram. tr. 2. d. 2. qu. 44. Arriaga*, & alij. Aduertunt, etiam Doctores, quos ſequitur *Briſacenſis to. 4. tr. 4. d. 2. q. 4. nu. 239.* non eſſe ſcrupuloſe agendum cum pueris, eo quod ipſi rarò aduertant ad hanc obligationem.

Quod obliget ſaltem ſemel in anno, etiam conſtat: Quia Eccleſia tantumdem ſpatij præſcripſit ad implenda præcepta Diuina confeſſionis, atque Communionis: & in ordine ad præceptum diligendi Deum communior Theologorũ opinio idemmet annuale ſpatiũ per ſe aſſignare cõſueuit; neque reſpectu orationis maiorem dilationem patitur. Non videtur autem permittenda per ſe protractior dilatio credendi, quã deprecãdi, ſiue dignitas ipſorum actuum attendetur, ſiue ſpecialis vtilitas, ſiue communis neceſſitas exercendi ipſos ad componendos mores noſtros iuxta exigentiam Catholicæ Religionis, quam per modum ſtatus profitemur. Nam iuſtus ex fide viuit, & abſque illa multo minus poteſt à morte ſuſcitari iniuſtus. Hinc non eſt admittenda ſententia *Gabrielis à S. V.* qui putat obligationem ad eſſe tertio, vel quarto quoque anno: hanc enim dilationem nimiam eſſe communiter fatentur. Ex alia parte frequentiorem vſum quam anni vt obligatorium admittunt *Petrus de Tapia to. 2. catenæ moralis l. 1. q. 2. ar. 2. num. 6. & Ioannes de Cardenas hic ar. 2. & ſeqq.* Et ſemel in menſe ad ad minus expoſcit *Auguſt. Lucenſis l. 1. c. 1. nu. 12. Scotus*, omnibus diebus Feſtis, & *Piſanus hic num. 3.* diebus Feſtis, quibus celebrantur myſteria Fidei. Verum pro praxi obſerua ex *Suario cit. d. 13. ſect. 5. num. 6.* ante finem, *Ioanne à S. Thoma q. 1. de Fide d. 4. ar. 2. verſ. circa tempus, Lucenſi Salmant. Corella, & Briſacenſi* locis relatis, *Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 4. diſt. 2. q. 4. n. 35. Sporer*, & alijs, non eſſe cur ſint Fideles ad modum ſcrupuloſi, aut ſoliciti circa determinatum, ac præciſum tempus, vltra quod differri nequit exercitium actuum Fidei ſemel habitæ. Quia regulariter omnes illud præueniunt, & non iam ſemel in anno, ſed multoties intra ipſum illos repetere ſolent, ſiue orando Deũ in ſuis tribulationibus, ſiue Miſſam audiendo, feſtaq; colendo, ſiue recitando Symbolum Apoſtolorũ, ſiue actus ſpei exercendo, ſiue reſiſtendo tentationibus, ſiue eliciendo attritionem, aut actum contritionis de peccatis, ſiue frequentando Sacramenta, ſiue ſe diſponendo in periculo mortis, aut articulo ad ea ritè ſuſcipienda, & ad moriendum in gratia. Hæc namque omnia, atque alia id genus, quæ in vita occurrent, abſque vſu Fidei actualis regulariter non fiunt, ſed actum eius ſupponunt, & quædam aliter non poſſunt fieri. Fiunt autem ſæpè ſæpius omnia, vel aliqua illorum intra annum à quocumque adulto, qui ſe Chriſtianum

...anum
agno-

agnoſcit, & non eſt penitus immemor alterius vitæ, & ſtatus, religioniſque, quam profitetur. Vbi autem opera Fidei abſque magna interruptione exercentur, iam ceſſat determinata, ac præciſa huius præcepti obligatio, eique ſatisfactum creditur anticipata exhibitione actus iniuncti, & ex tunc incipit computari annus, E.g ad non differendum illum.

Pro articulo, vel periculo mortis, quamuis negent *Sporer*, & alij, tamen eadem obligatio per ſe conſtat ex dictis de Spe, & Charitate. Vnde ſicut infantes, quando inſtruuntur pro confeſſione, vel pro prima abſolutione, ordinariè ad actum Fidei, & Spei, ac Charitatis excitari debent, ita etiam moribundi, &c. *Briſacenſis nu.* 241.

23 Dico 7. Actus Fidei, vt neceſſarius eſt neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem, per ſe non debetur tot vicibus, quot debetur quatenus eſt neceſſarius ſola neceſſitate præcepti. Ita *Hurtadus De la Fuente ſupra nu.* 25. & alij.

Probatur. Quia neceſſitate ſola præcepti proprij, aut alterius virtutis, vt conſtat ex antea dictis, frequentiſſimè debetur. At verò neceſſitate medij, atque præcepti ſimul ſolùm debetur, cum vrget obligatio procurandi finem ipſum iuſtificationis, ac ſalutis, cuius obtinendi intuitu requiritur, & mandatur ſub præcepto. Hinc infert præcitatus Auctor, quod Iuſtus, qui per multos annos non eſt ſibi conſcius vllius peccati mortalis, non tenetur repetere actum Fidei, E.g. Erga Deum vt remuneratorem, conſiderando eum actum remedium recuperandæ ſalutis: nam remedia non ſunt neceſſaria, vbi deficit infirmitas: & neceſſitas mediorum, prout præcisè media ſunt, ex neceſſitate finis menſurari debet.

24 Dico 8. Præceptum affirmatiuum credendi obligat per accidens, dum eſt ſuſcipiendum aliquod Sacramentum, dum vincenda eſt grauis tentatio contra Fidem, & opus eſt mentem contra illam firmiter munire: & quando inſtat occaſio profitendi exterius Fidem, & exercendi quoſdam externos, vel internos actus, qui ſecum ferunt interiorem quoque actum Fidei. Sic *Auerſa de Fide q.* 2. *ſect.* 8. & alij, qui aduertunt hanc obligationem poſſe contingere etiam circa actus Fidei neceſſarios neceſſitate medij.

Aſſertio eſt clara, nec indiget probatione; ſed ſolùm, animaduertendo 1. Quod obligatio eliciendi actum Fidei, dum eſt vincenda grauis tentatio circa ipſam; potius videtur ſpectare ad præceptum negatiuum incluſum in poſitiuo, vt notat *Hurtadus De la Fuente ſupra nu.* 20. Et quod obliget directè, & per ſe hoc præceptum Fidei, quando graui tentatione contra Fidem quis vrgetur, docent etiam *Reiffenſtuel nu.* 33. *Briſacenſis nu.* 240 qui addit, quod ſi oriretur talis tentatio ex ſcrupulo, vtilius eſſet cogitationem aliò diuertere. 2. quod quis tenetur elicere actum Fidei ex conſequenti, per accidens; & ratione alterius, ſi omittatur id, ratione cuius erat præceptus, etiam ex conſequenti actus Fidei, vnum committitur peccatum, non duo. V.g. relinquitur ſuſceptio Sacramenti tempore

præ-

præcepti, peccatur contra omiſſionem Sacramenti, non propter omiſſionem actus Fidei. Sic *Sanchez*, *Auerſa*, *Salmant.* *Lucenſis*, *Reiffenſtuel*, & alij.

25 Dico vltimo. Præceptum Diuinum negatiuum Fidei, ſeu non diſſentiendi à rebus Fidei obligat ſemper, & pro ſemper. Patet ex communi Theologorum proloquio.

PROPOSITIO XVIII.

Si à Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & Fidei glorioſum conſulo: tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.

1 DEſumpta eſt hæc Propoſitio ad litteram ex thæſibus Antuerpiæ defenſis die 19. Aprilis 1674. præſide *P. Arnoldo Marchant. Minorita*, pro vt refert *Vuihelmus Sandæus* in confutatione trium virorum *fol.* 162.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Adeſt non ſolum ad internum actum Fidei, ſed etiam ad externum præceptum affirmatiuum, & negatiuum.*

3 *Ex præcepto negatiuo ſub mortali, nullo vnquam caſu, vel periculo licèt Fidem negare, ſiue expreſsè, ſiue interpretatiuè, nimirum verbo, ſigno, vel facto aliam falſam ſectam ſimulando, etiamſi quis Fidem veram interius teneat.*

4 *Quando quis expreſsè, explicitè, ac poſitiuè Fidem negat. Quando interpretatiuè, ſeu implicitè? Ablegantur verba ambigua, & explicatur differentia exiſtens inter diſſimulare verum, & ſimulare falſum.*

5 *Quæ Verba, ſigna, facta, ac actiones ex præcepto negatiuo vitare quis debeat?*

6 *Quando quis, neget exterius interpretatiuè verbis Fidem?*

7 *Quando verò negat interpretatiuè ſignis?*

8 *Quando denique factis, & actionibus?*

9 *Is, qui quoquo modo negauit Fidem exteriùs, cum graui detrimento Religionis, vel ſcandalo, tenetur, ſi poteſt, & prodeſſe videtur, ad reuocationem verbo, vel ſcripto ſub mortali.*

§. II.

10 *Per ſe criminoſum eſt, tacere, & non profiteri Fidem, dum à Poteſtate pu-*

blica

blica Fidelis de ſua Fide interrogatur, quicumque ille ſit, qui interrogat. Et oppoſitum ſubit damnationem huius Propoſitionis.

11 *Hæc veritas oſtenditur, ex praxi, & vſu primitiuæ Eccleſiæ, martyrum hiſtorijs comprobato, multiplici teſtimonio ſcripturæ, & Patrum, ac duplici ratione.*

12 *Silentium coram Poteſtate publica per ſe eſt ſignum erubeſcentiæ, (ſecus reſpectu priuatæ perſonæ) Et in quibuſdam caſibus eſt ſignum negatæ Fidei.*

13 *Si tamen tacendo videtur quis contemnere Tyrannum, aut in ſua Fide eſſe conſtans, illa eſt virtualis confeſſio, & reſponſio. Afferuntur exempla, in quibus qui tacet, virtualiter confitetur Fidem.*

14 *Præcepto iſto Diuino tenetur Fidelis Fidem exterius confiteri, quoties ita exigit honor Deo, vel Chriſto debitus, Fidei confirmatio, propria, vel proximi ſalus.*

15 *Explicatur, quando exteriùs confiteri exigit honor Dei, & Chriſti.*

16 *Et ſimiliter quando Fidei firmitas, & auctoritas Catholicæ Eccleſiæ periclitatur.*

17 *Quando item exigit propria ſalus.*

18 *Et denique quando exigit ſalus proximi.*

19 *Non ſubiacet damnationi huius Decreti, qui impetrat à Iudice non reſpondere, niſi adſit ſcandalum, vel opinio inconſtantiæ, aut defectus in Fide tenenda.*

20 *Nec ſubit damnationem opinio docens, quod cum Poteſtate publica per edictum Fideles vocantur, vt coram Tribunali declarent ſuam Fidem, non teneantur ire ad eam declarandam.*

21 *Sic etiam iubente Tyranno, vt omnes Chriſtiani ſe prodant, non eſt obligatio ſe manifeſtandi.*

22 *Longè eſt ab hac damnatione ſententia docens, eſſe licitum Catholico, ſe occultare, & fugere, vt Iudex Tyrannus non interroget ipſum de Fide.*

23 *Probatur multipliciter.*

24 *Aliundè tamen ratione perſonæ, vel officij ſæpè non licebit fugere.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 NOtandum eſt 1. Præceptum quartum Fidei pertinens ad actum externum, eſſe affirmatiuum, quo iubemur in aliquo caſu confiteri res Fidei, vt conſtat ex *Paulo ad Rom.* 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Scilicet tamquam neceſſaria neceſſitate præcepto. Quintum denique negatiuum, quo prohibemur numquam eas damnare, Videatur *comment. ad Propoſ.* 1. proſcriptam decreto *Alex. VII.*

VII. *Confeſſio* autem externa Fidei eſt: *Manifeſtatio Fidei interna ſigno aliquo externo ad hoc ſpecialiter ordinato, & comprobato*. Vtpotè, vel apertis verbis (& dicitur confeſſio formalis) vel ſignis, & actionibus ex ſpeciali ordinatione ſignificantibus, exprimentibus, & diſtinguentibus Fidem: & hæc dicitur materialis; videatur *Suarez. de fide d. 14. ſect. 2.* Et quamuis in cõfeſſione Fidei Chriſtianę contra Paganos ſufficiat fateri ſe Chriſtianum, recitare Symbolum Apoſtolorum, &c. tamen ad confeſſionem Fidei Catholicæ, contra ſectarios, de facto non ſufficit vti verbis, ſignis, vel actionibus communibus Fidei Catholicæ cum alijs ſectis, vt dicere, ſe Chriſtianum eſſe, Symbolum Apoſtolorum, vel Orationem Dominicam recitare: Sacram Scripturam profiteri; ſed oportet vti verbis, ſignis, vel actionibus diſtinctè ſignificantibus, & diſtinguentibus Fidem Catholicam ab alijs ſectis, vtpotè dicendo ſe eſſe Catholicum Romanæ Fidei, ſe Cruce ſignare, Catholico more ſacrum facere, communicare, ieiunare, &c.

3 Notandum eſt 2. Ex præcepto Fidei Diuinæ negatiuo ſub mortali nullo vnquam caſu, vel periculo, etiam mortis, licere Fidem negare, ſiue expreſſè, ſiue interpretatiuè, nimirum verbo, ſigno, vel facto aliam falſam ſectam ſimulando, etiam ſi quis Fidem illibatam intus in corde retineat. Ita Orthodoxi, & Theologi cum *D. Thoma 2. 2. q. 3.* & omnium, quos vidi, optimè latiſſimèque. *Valent.* eadem *q. 3. pu. 2.* expreſſè hoc probat, & docet Chriſtus *Matthæi 10. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt*. Et *Lucæ 9. num. 26. Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & SS. Angelorum.* Vbi notanter dicit primo: *Qui me erubuerit*; quod non tantum negationem expreſſam, ſed etiam diſſimulationem, vel iniquam ſimulationem ſignificat. Secundò: *Me, & ſermones meos*: Erubeſcens ſcilicet confiteri non tantum Chriſtum, ſed etiam doctrinam Chriſti, & Fidem. Tertiò: *Erubeſcet*, ſeu vt eſt apud *Matthæum negabo eum, &c.* quod ſine dubio pœnam peccati mortalis ſignificat: Ratio autem eſt eadem, quæ in aſſertione prima ſequentis §. à fortiori, cum longè plus ſit Fidem exterius negare, quàm ſolum occultare, diſſimulare, & non confiteri exterius, cum opus eſſet. Deinde, aut aliquis ſerio, & ex animo Chriſtum, vel veram fidem abnegat, falſamque ſectam profitetur: & tunc vere, & propriè committit peccatum infidelitatis mortale grauiſſimum, exterius quoque conſummatum, aut ficto animo, in corde verò veram Fidem retinendo, ſolùm exterius verbo, ſigno, vel facto ſimulat ſe veram Fidem negare, & falſam amplecti; & tunc licet non peccet peccato interno infidelitatis, nec hæreticus, vel apoſtata formalis fiat vt ex communi Doctorum benè probat *Sanchez l. 2. ſum. c. 7 num. 8.* & nos plenè in *comm. ad Propoſ. 4.* peccat tamen peccato externo infidelitatis contra præceptum negatiuum de non negando Chriſtum, & veram Fidem, quod & ad ſemper, & pro ſemper, ſeu pro omni temporis differentia obligat,

gat, vt cum cómuni *Reiffenſtuel Theol.mor. tr.4. diſt.2.q.4.n.42.* Et quia in re grauiſſima, vtique ſub mortali, ſimulq; mentitur pernicioſè in re grauiſſima, vtpotè contra veritatem Diuinam nobis reuelatam, & agnitam. Etenim ſicut virtus veritatis generatim obligat nos affirmatiuè, vt cum opus eſt, & circumſtantiæ id requirant, verum non celemus, ſed ſincerè aperiamus; negatiuè verò vt nullo vnquam tempore falſum verbo, vel facto mentiamus, vel ſimulemus: ita virtus Fidei Diuinæ multò adhuc grauius & ſtrictius, obligat, affirmatiuè quidem, vt veritates Diuinas nobis reuelatas, cum opus eſt, & circumſtantiæ exigunt: iuxta dicenda *§.ſeq.* palam profiteamur: negatiuè verò ne oppoſitam Fidei veritatem vllo vnquam tempore, ſeù verbo, ſeù facto mentiamur, vel ſimulemus negata, vel diſſimulata vera Fide. Damnabilis ergo, & damnatiſſima eſt ſententia antiquorum hæreticorum, ac etiam noſtri temporis politicorum, ac libertinorum, quorum velut axioma eſt: Licere Fidem ſuam negare, & alienæ Religionis cuiuſuis quælibet exercitia facere, modò quis Fidem ſuam in corde fixam, firmamque conſeruet.

4 Notandum eſt. 3. Quod expreſsè, explicitè, ac poſitiuè Fidem negat, & mortaliter peccat, quiſquis apertis verbis, ſiue feriò, ſiue fictè negat, ſe Chriſtianum, Catholicum, Pontificium, ſeù Papiſtam eſſe, talem articulum Fidei credere, &c. aut aſſerit, ſe eſſe alterius Sectæ, Turcam, Caluiniſtam, Luteranum, &c. vel credere talem articulum contra veram Fidem, V.g. Chriſtum non eſſe in Euchariſtia, nullum eſſe Purgatorium, &c. Quod ſi ſeriò, & ex animo fiat, verè eſt infidelis, & hæreticus formalis: ſi fictè, etſi verus infidelis, & hæreticus non ſit, tamen mortaliter peccat, iuxta nuper dicta. Et non poteſt vti verbis ambiguis, aut reſtrictione mentali, puta interrogatus an ſit Papiſta, dicere: Non ſum, intelligendo, vt tibi dicam. *Auguſt. Lucenſis in caut. confeſſ. l.2.c.12.num.6.* Sed de verbis ambiguis infra fuſiùs. Interpretatiuè, ſeù implicitè negat Fidem, & mortaliter peccat, quiſquis aut Fidem veram, quando obligat præceptum confeſſionis externæ, iuxta *§. ſeqq.* dicenda diſſimulat, aut verbo, ſigno, vel facto falſam ſectam aliquam ſimulat. Differunt quammaximè diſſimulare verum, & ſimulare falſum. Diſſimulare verum ob certas cauſas quandoque licitum eſt, quando nimirum interroganti non teneris reſpondere, & iuſtam celandi cauſam habes: ſic in propoſito, extra caſus, quibus obligat præceptum confeſſionis Fidei, ſemper licet celare, & diſſimulare Fidem, ſiue ſilentio, vel verbis ambiguis, vel ſignis, veſtibus, &c. vt infra exemplificabitur: ſimularè verò falſum numquam licet, cum id ſit mendacium intrinſecè malum, vt docet communiſſima Doctorum cum *D. Thoma* ab omnibus recepto *2.2.qu.111.ar.1.* Vnde quandò vilis, & plebeius homo ab aliquo Fidei confeſſionem exigit, ſciſcitando, an ſit Catholicus, Pontificius, &c. grauiter quidem peccat contra confeſſionem ex-

ter-

ternam Fidei, ſi negat eſſe Catholicum, aut dicat, vel ſimulet, ſe eſſe hæreticum, Lutheranum, &c. At verò non peccat, ſi diſſimulet verum, vel tacendo, vel eludendo, v.g. dicendo: *Quid tua intereſt? Quid tu me interrogare habes, &c.* Quia tunc nulla Fidem confitendi neceſſitas cogit, vt ex communi, ante hoc decretum docuerunt *Bannez*, *Azorius*, *Sanchez*, *Nau. Becanus*, *Layman*, *Leander à Sacram.*, & alij, & poſt hoc decretum *Lumbier*, *Filguera*, *Hozes*, *Corella*, *Sporer*, *Briſacenſis*, *Ioannes de Cardenas*, & alij; & ſic hæc ſententia non ſubiacet damnationi huius Propoſitionis. Ita Doctores citati.

5 Notandum eſt 4. cum *Tambur. l. 2. Decal. c. 1. §. 3. n. 2. Sporer tr. 2. c. 2. ſect. 4. n. 30.* & alijs. Omnia illa verba, ſigna, & facta, vel actiones ex hoc præcepto negatiuo nos vitare debere, quæ ex ſe, & ex circumſtantijs ſuis ſunt ſignificatiuæ internæ abnegationis Fidei, V.g. dicere. Non ſum Catholicus, communicare cœnæ Lutheranæ. Quæ verò per accidens, & indirectè tantùm ſunt ſignificatiuæ negationis Fidei, V g. geſtare veſtem Turcicam, &c. per ſe quidem vitanda ſunt, ne demus cauſam alijs credendi nos Fidem negare; attamen ob iuſtam cauſam neceſſitatis illi deceptioni præponderantis, licita fiunt. Quæ verò planè non ſignificant abnegationem Fidei, V.g. dicere. Non ſum Romanus, non ſum Sacerdos, Monachus, non audiui Sacrum, comedi carnes die Veneris, &c. per ſe, ſecluſo ſcandalo, huic præcepto non aduerſantur: his enim non negatur Fides vllo modo, ſed aliquid aliud. Verùm charitatis gratia percurramus ſingillatim incipiendo à verbis.

6 Fidem negat interpretatiue, & mortaliter peccat, qui, quando obligat præceptum Confeſſionis Fidei, vtpotè à Magiſtratu, vel publice interrogatus de Fide cum intentione Religionis explorandæ, reſpondet verbis ambiguis, & æquiuocis, vt iuxta mentem, & ſenſum interrogantis præſumatur, & interrogantur Fidem ſuam negare. V.g. qui interrogatus à Magiſtratu hæretico, an ſit Euangelicus? Reſponderet, quod ſic: intelligendo per Euangelium, non Religionem illam nouam, vt intendit interrogans, ſed veram Religionem ſuam, iuxta verum Euangelicum ſenſum, Item qui interrogatus in Anglia, an ſit Fidei Regiæ? Reſpondet quod ſic, intelligendo non modernam Fidem Regum hæreticorum, ſed antiquam Catholicorum Regum: & ſimiles infiniti modi æquiuocandi adferri poſſent, &c. Peccat, inquam, mortaliter; quia iuxta ſenſum, & mentem interrogantis verè publice præſumitur Fidem ſuam negare, & falſam profiteri cum detrimento honoris Dei, & veræ Fidei: ſecus eſſet, ſi priuatus quiſquam priuatim interrogaſſet, & ſcandalum abeſſet. Cæterum qui interrogatus, etiam publica authoritate, vel tacet, vel obſcurè, & ambigue reſpondet, vel dicit, ſe non teneri, vel non velle reſpondere, & dicere alijs cuius Fidei ſit, vel quod ipſe credat; aut dicit moderna multorum phraſi, ſe eſſe eius Fidei, in qua confidat

fidat ſe ſaluandum: aut alio ſimili modo tergiuerſatus, is quidem Fidem non negat contra hoc præceptum negatiuum non negandi Fidem, atque adeo non peccat contra hoc præceptum negatiuum, niſi in caſu, quo ipſum tacere, vel diſſimulare idem eſſet, ac negare: vt ſi plures interrogentur, an velint negare Fidem? alijs dicentibus, quod non, tu taceas vtique interpretatiue negares. Talis tamen publica auctoritate interrogatus adhuc peccaret contra præceptum Fidei affirmatiuum de Fide Chriſti exteriùs confitenda, iuxta §. ſequenti dicenda.

7 Fidem negat interpretatiuè, & mortaliter peccat quiſquis, etiam ſi non obliget præceptum confeſſionis Fidei, vtitur ſigno aliquo directè, vel indirectè manifeſtatiuo hæreſis, vel infidelitatis: talis enim eo ipſo cenſetur exteriùs confiteri, vel conſentire in hæreſim, vel infidelitatem, vel falſam ſectam tali ſigno manifeſtatiuo ſignificatam. Eiuſmodi ſigna conſiſtunt potiſſimum in veſtibus, vel ornatu, & poſſunt eſſe quadruplicis generis. Primi generis ſunt ſigna aliqua, vel veſtimenta ſolum diſtinctiua Gentis, & non ſectæ. Sic veſtis oblonga Turcarum, & pileus faſcia circumuolutus, vulgò *Turbante*, diſtinguit Turcam ab alijs nationionibus materialiter tantùm, non autem formaliter quoad eorum ſectam: nam & ſi omnes conuerterentur ad Fidem Chriſtianam, adhuc talis veſtitus perſeueraret. Idem eſt de veſtibus proprijs certæ nationis hæreticæ. Et hic conſentit maior pars Theologorum, Chriſtianum, atque Catholicum poſſe licitè vti eiuſmodi veſtitu ad occultandū ſuam Fidem. Licet quippe Chriſtiano eunti per Turciā, vel Mauritaniā vti veſte Turcica, vel Mauritana: Eunti in Angliā incedere veſte Anglicana pro vſu vſurpata, hoc enim non eſt negare ſuam Fidem & eorū ſectā profiteri, ſed eſt ſolùm diſſimulare, vel occultare ſuam Fidem, & ad ſummū ſimulare ſe eſſe talis nationis: eſtò alij inde decipiantur, putantes eum eſſe talis Sectæ Turcicæ, Anglicanæ, &c. Ita contra *Leandrum à Sacrament. & Lucenſem* contrarium dicentes, de dicto Pileo Turcico docent *Sporer num. 33. Reiffenſtuel q. 4. nu. 51. Diana*, & alij communiter. Dummodò adſit aliqua iuſta, & rationabilis cauſa præponderans illi deceptioni. V. g. ad ſecuritatem itineris, ad euadendum periculum vitæ, vel bonorum temporalium. Non enim ſine ſufficiente, & proportionata cauſa poſſumus permittere deceptionem proximi, præſertim in re tanti momenti, vt nos iudicent falſæ ſectæ cultores. Vt cum *Sanchez, Diana*, & alijs rectè monet *Card. de Lugo de Fide d. 14. ſect. 5. num. 70.* Simili modo Sacerdos, vel Religioſus interagens per terras hæreticorum, ob pericula euidentia, induit ſe veſte ſæculari, non vtique intentione, vt ſe ſimulet laicum, ſed vt Religioſum, vel Sacerdotem eſſe diſſimulet, & celet, cum non teneatur ſtatum ſuum veſtimento prodere, ſed ius occultandi habeat, permittendo interim alios falli, exiſtimantes ipſum eſſe Laicum ſæcularem, quod minus malum eſt, quàm periculum, quod rationabiliter timere debet. Signa ſecundi

ge-

generis ſunt diſtinctiua quidẽ, ſectæ à ſecta, at non proteſtatiua talis ſectæ: non enim ſunt inſtituta ad profitendam talem ſectam, ſed ad alium finem politicum, nimirũ, vel vt dignoſcatur, quinam ſint talis ſectæ, vel Religionis, vt eſt Iudæorũ flauus pileus Romæ, vel annulus flauus in pallio Francofurti, vel ſolummodo ad ſignificandũ eminẽtiorem ſtatum in tali ſecta, vt eſt byretum, & ſagum multiplicatile Prædicantium in Germania, quibus non intendunt profiteri ſuam ſectam, ſed ſolũ oſtendere ſuũ ſtatum. Et ego quidem non diſcedo à ſententia *Caietani, Toleti, Becani*, aliorumq; æſtimantiũ ſemper eſſe mortale, ſed omittere nequeo, deeſſe Doctores cẽſentes ob grauiſſimam cauſam, V. g. ad euadendam mortẽ, aliudue graue malum, & ſecluſo ſcandalo, & quando non obligat præceptum confeſſionis Fidei, licere Chriſtiano, vel Catholico vti eiuſmodi ſigno, vel veſtitu ad occultandam Fidem ſuam. Ita *Sanchez, Suarez, Coninch, Laym. & Card. de Lugo*, quorum ſententiam, vt communiorem, & veriorem amplectitur *Sporer num. 34.* Et mouentur: Quia licèt ea ſigna ſignificent V. g. Iudæum, vel hæreticum, adeoquæ ijs vti, ſit aliqua ſimulatio, & quidem longè maior (vnde & maiorem, & grauiorem cauſam excuſantem requirunt) quam in caſu præcedenti: non tamen ſunt ſigna proteſtatiua talis ſectæ, vel hæreſis, ita vt iis vtens, à noſcentibus hominem ſtatim debeat cenſeri talem ſectam, vel hæreſim profiteri: ſicut ſi Prædicans occultet ſe, & fugiat in habitu monachi, non ideo cenſeretur à noſcentibus ipſum acceptare, vel profiteri Religionem, vel ſtatum monaſticum in his circumſtantijs. Signa tertij generis ſunt non tantum diſtinctiua ſectæ à ſecta, ſed etiam ex inſtitutione, vel conſuetudine manifeſtatiua, & proteſtatiua talis ſectæ Turcicæ: Similiter Hæretici ſæpe certis ſignis vtuntur pro conteſtatione ſuæ ſectæ, vt ſcilicet omnis tale ſignum geſtans, vel exhibens, intelligatur ſe manifeſtare, ac profiteri talis ſectæ aſſecla, ſiue eiuſmodi ſigna conſiſtant in veſtitu, ſiue in certis verbis, veſtibus, &c. Et tali ſigno nullo vnquam caſu, vel periculo licere vti citra peccatum mortale interpretatiuæ ſaltem negationis Fidei, docent Doctores communiter cum *Sanchez l. 2. c. 4. num. 20.* Signa denique quarti generis ſunt non tantum proteſtatiua falſæ ſectæ, ſed etiam continentia actualem cultum auctoris illius ſectæ; vt imago Idoli Apollinis, Mahometis, Hæreſiarchæ Lutheri, Caluini, &c. geſtata in collo, clypeo, &c. Quorum vſum vllo vnquam tempore, aut caſu licere negant Doctores communiſſimè. Admittunt tamen licere Chriſtianis contra hæreticos, aut Turcas affigere ſuis vexillis ſigna, quæ in ſuis ipſi geſtare ſolent, modo non ſint alicuius falſi Dei, vel Mahometis imagines. Sic *Sanchez*, & alij, quos ſequitur *Leander à Sacram. qu. 31. Baſſæus V. Fides nu. 6. Lucenſis l. c. nu. 12.* Vt etiam licitum putant, in triremibus, & nauibus portare ſigna Turcarum, vt eos aggrediantur ſecurius, & fugiant tutius: vt & exploratoribus vulgò *Spie* vti lingua, & habitu infidelium ad ſcrutanda illorum

ſecre-

ſecreta poſteá detegenda Principibus Chriſtianis , vt eſt vſus omnium Fidelium. Ita cum *Caſtropalao* , & alijs *Leander à Sacram. q. 34. & 35. Lucenſis* ſupra. At ſi aliquis Princeps Infidelis , V.g. Turca mandet omnibus exiſtentibus in ſuo Regno , cuiuſcumque ſectæ prius fuerint , vt aſſumant tale ſignum V.g. Turcicum , ad proteſtationem , quod iam ſint Mahometani , non poſſunt Chriſtiani illo vti ad euadendam mortem . Quia verè proteſtarentur illo ſigno , ſe eſſe Mahometanos , quod non licet etiam ad mortem euadendam. Ita *Leander à Sacram. q. 36. Baſſæus V. Fides 2. nu. 6. Lucenſis nu. 11. Reiffe. ſtuel, nu. 52.* alijque , idem dicentes de ſimili mandato facto à Principe hæretico.

8 Fidem interpretatiue negat , & grauiſſimè peccat , quiſquis voluntariè exercet opus , vel actionem , quæ ex natura ſua , ex inſtitutione , aut certè ex circumſtantijs loci, temporis , perſonarum, falſam Fidem, ſectam, hæreſim manifeſtant , vel ſignificant . Sic flectere genu coram Idolo , thus adolere, Sacrificare , ſi voluntariè fiant abſque violentia phyſica, etiam ex quocumque metu , vel periculo mali cuiuſcumque , peccatum mortale eſt. Hæ enim actiones ex natura , & inſtitutione ſua exhibitæ coram Idolo cultum Idolatriæ deſignant. Eſt perpetuus ſenſus Eccleſiæ , & illuſtriſſima exempla Martyrum, & in defectu S. Marcellini Papæ. Neque obſtat exemplum Naaman Syri 4. *Reg.* 5. Qui ab Eliſeo ſanatus , & ad veram fidem , cultumque veri Dei conuerſus petijt , vt liceret ſibi ex officio cum Rege ſuo intrare templum Idoli , & cum eo genuflectere inquiens : *Et illo innitante ſuper manum meam , ſi adorauero & in templo Remmon , adorante eo in eodem loco , vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re ; qui dixit ei , vade in pace.* Non enim ibi permiſit Eliſeus , vt Idolum adoraret ; neque actio illa , ſeù genuflexio fuit ſignum proteſtatiuum , ſeù actus idolatriæ , ſed ſolùm fuit actus politicus , & ceremonia aulica exhibita Regi Syriæ, cuius mos fuit in adoratione Idoli ſuſtentari manum primi Principis aulæ , qui proinde neceſſario cum Rege genuflectente , & ipſe genuflectere debeat, quod officium , ſeù famulatus aulicus tunc ad illum Naaman Syrum ſpectabat. Ita communis Doctorum. & interpretum. Similiter ſine dubio mortaliter peccat contra profeſſionem Fidei , quiſquis profanæ Hæreticorum cœnæ communicat : intellige tamen formaliter , quatenus Sacra eorum cœna habetur : nam ex circumſtantijs cæremoniarum determinatur ea cæna ad profitendum cultum Religionis. Ceterùm ceſſante ſcandalo , nemine vidente maxime , eos panes comedere, vel vinum epotare materialiter tantùm , res eſſet indifferens : vt ex communi notat *Layman l. 2. tr. 1. c. 11. num. 4.* Itemque mortale eſt hæreticorum exercitijs cooperando aſſiſtere , miniſterium aliquod ad eorum ſectam ſpectans exercere : hæretico miniſtro paruulum ſolemniter baptizandum offerre : coram hæretico Miniſtro matrimonium contrahere, &c. Hæc enim omnia ex natura , vel inſtitutione ſua profeſſionem , & ap-

& approbationem falſæ ſectæ, adeoque abnegationem veræ Fidei præſeferunt. Ita Theologi communiter, attamen in Germania, vbi hæretici tolerati cum Catholicis permixti ſunt, ſubinde audire conciones hæreticorum aſſiſtere Baptiſmo eorum pro Patrino, in nuptijs paranympphum agere, funus eorum comitari, etiam in lugubri habitu, immò vbi non adeſt Parochus Catholicus, ita permittente, vel diſſimulante Ordinario, etiam paruulos baptizandos Miniſtro hæretico offerre, non habetur pro ſigno proteſtatiuo falſæ Fidei, & ſecluſo ſcandalo, vel periculo ſubuerſionis, licitè fiunt. *Sporer num.38.* & alii, de quo plura mox. Pariter ſine dubio mortaliter peccat, & Fidem implicitè negare cenſetur quilquis ordinariè, & ſine legitima cauſa hæreticorum templa, conuentus, conciones frequentat, vt meritò intuentibus videatur vnus ex illis Quod adeò verum eſt, vt etiam ſi Rex, Princeps, vel Magiſtratus hæreticus publico edicto ſub grauiſſima pœna præcipiat ſubditis, vt omnes ad hæreticorum conuentum, & exercitium accedant, peccat mortaliter Catholicus accedens: vt bina reſponſione declarauit Paulus V. ad Anglicos Catholicos apud *Sanchez d.l.2.c.4.num.27.* Cum enim tale edictum directè, & ex propoſito tendat ad augmentum Religionis hæreticæ, & Catholicæ deſtructionem, atque vt inter Chatholicos, & Hæreticos diſtinctio appareat, certum omnino eſt, Catholicum non poſſe obedire abſque peccato contra profeſſionem externam Fidei, & apertę ſimulationis hæreſis; & quidem in re grauiſſima, vnde & Religionis vilipenſio, & ſcandalum proximorum pendet: vbi maximè obligat præceptum externæ confeſſionis Fidei, vt §. ſequenti oſtendetur. Quod verò aliqui aſſerant, tale ſcandalum, & peccatum euitari poſſe, ſi quis publicè proteſtetur ſe ad eorum conuentum, & exercitium accedere, non vt eorum Religionem profiteatur, ſed ſolum vt magiſtratui politicè obediat, inſufficiens eſt: nam talis proteſtatio inutilis erit ad pœnam euadendam, neque omne ſcandalum, & periculum propriè ſalutis auferet, vt latè proſequitur, & declarat *Sanchez l.c.* Dixi autem *ordinariè, & ſine legitima cauſa.* Qui enim ſemel, aut iterum ex curioſitate intereſſet: aut ex rationabili cauſa, vtpotè, vt errores Prædicantis annotet, & confutet, vel confutandos alteri referat, aut vt dominum ſuum ex officio comitetur, vt Naaman ille Syrus ſupra, vel alia ſimili ratione, aut venialiter tantum, aut nullo modo peccabit. *Sporer num.39.* & alii: quamuis curioſitatem ſolam eſſe peccatum mortale putent *Leander à Sacram. qu.42.* & *Lucenſis num.13.* qui idem docet de famulis, quando ex illorum aſſiſtentia deberet prudenter iudicari, quod communicarent etiam in cœremoniis, & cultu: quod præſumi prudenter poſſet, cum dominus non eſſet valde ſenex, aut grauiter infirmus, & propterea non egens aſſiſtentia ſerui, & alium poſſet commodè habere, quam Catholicum. Denique certiſſimum eſt, non licere comedere carnes die prohibito, quando co-

meſtio carnis habetur pro ſigno proteſtatiuo ſectæ falſæ: vt ſi hæretici die ieiunii cum Catholicis in hoſpitio conſidentes, vel conuiuantes, ad eorum Fidem explorandam dicant; qui Euangelicus, vel Papæ inimicus eſt, ex hoc ferculo carnium, ex hoc capone, anſere, &c comedam, (idem eſt ſi Catholico propinanti in ſanitatem hoſtium Papæ, & Religionis Catholicæ, iſque reſpondeat) peccabit mortaliter comedens nulla vſus proteſtatione contraria, vtpote, hoc non oportere, eſſe ſignum explorandæ Religionis, cum etiam Catholicis diebus ieiunii ob certas cauſas carnes edere liceat: alioquin enim comedens vere interpretatiuè Fidem negaret. Tranſiens verò per loca Infidelium, vel Hæreticorum, poteſt diebus ieiunii veſci carnibus, metu mortis, carceris, vel amiſſionis bonorum: alioquin ſi deprehenderetur, incurrendæ: quia etiam vſus carnium ex ſe eſt indifferens, neque abſtinentia illa eſt introducta ab Eccleſia ad diſcernendos Catholicos ab hæreticis; nec vrget præceptum ieiunii Eccleſiaſtici cum tanto periculo mortis, aut huiuſmodi. Et idem eſt de ſimilibus. Niſi Princeps infidelis, aut hæreticus talia præciperet in contemptum Fidei, vel ad profitendam falſam ſectam ſuam; quia tunc talia non licerent, cum cederent in contemptum Fidei, aut legis Eccleſiaſticæ: vnde potius cuidam moriendum eſſet, quam in his circumſtantiis comedere carnes. Ita Doctores communiter; qui monent etiam, quod ſi Catholicus ſit apud Hæreticos in hoſpitio, apud quos nullum graue periculum, ſed ſolum irriſio, & iocus timeri poſſet, ſi quis inter eos à carnibus abſtineat, tali caſu abſtinendum eſſe, & legem Eccleſiaſticam ſeruandam.

9 Ex dictis denique ſequitur, eum, qui quoquo modo negauit Fidem cum graui detrimento Religionis, vel ſcandalo teneri, ſi poteſt, & prodeſſe videtur, ad reuocationem verbo, vel ſcripto ſub mortali; quia qui cauſam mali dedit, tenetur eam tollere, quantum poteſt. His prænotatis, ſit:

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum.

10 Dico I. Per ſe peccaminoſum eſt tacere, & non profiteri Fidem dum à poteſtate publica Fidelis de ſua Fide interrogatus, ſiue ille ſit Rex, ſiue Tyrannus, ſiue Hæreticus, ſiue Gentilis, ſiue quicumque alius Catholicæ Religionis perſequutor. Contrarium hoc decreto meritò vt minimum tamquam in praxi pernicioſum ablegatur. Et ante decretum aſſertio noſtra extra controuerſiæ aleam videbatur, vt eximiè prænotauit *Suarez l.6, contra Regem Angliæ c.9. nu.25*, vbi de iſtiuſmodi

aſſer-

aſſertione ſic ſcribit: Communis eſt Theologorum cum *D. Thoma 2.2.q. 3.ar 2.* vbi *Caietanus*, & omnes Moderni expoſitores non ſolum conſentiunt, ſed etiam tanquam certum dogma illud tradunt.

11 Probatur 1. hæc veritas ex praxi, ac vſu primitiuæ Eccleſiæ, Martyrum hiſtorijs comprobato.

Probatur 2. ex Sacra Scriptura, & Patribus: *Lucæ* enim *9. v.26.* inquit ipſa veritas: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua.* Neque erubeſcentiæ nomine (vt rectè obſeruat *Auerſa 2.2. qu.3. art.2. ſect.1.* & alii) cum illam ſibi ipſi tribuat, aliud denotare voluit, quam nolle agnoſcere palam, quod in hominibus præ tumore accidit; in Chriſto autem præ iuſtitia, quam non vult in ijs gloriari, qui gloriati non ſunt in Fide ipſius. Ac profectò, niſi Martyres iſta regula vſi fuiſſent, cum de Fide illorum quæſtio mouebatur, ſed pertinaci ſilentio occultaſſent gloriam Chriſti, in maximum vilipendium diuini honoris ceſſiſſet, & medium apprimè aptum ad propagandam Eccleſiam, ipſi Eccleſiæ eſſet ſubtractum. Patres autem Silentiarios iſtos vehementer exagitant, & ſpeciatim *S. Auguſtinus in c. quiſquis 80. ij q.3.* ibi: *Quiſquis metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem, quam Deum.* Et poſt pauca: *Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. S. Ciprianus in lib. de lapſis bis præter cætera:* Chriſtus in præceptis ſuis dicit: *Qui confeſſus me fuerit coram hominibus, confitebitur eum Filius hominis. Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur?* Latè, & optimè *Chryſoſtomus hom.25. Imperfecti in Matthæum*, Vnde excerpo pauca iſta: *Sicut Sacerdos debitor eſt, vt veritatem, quam audiuit à Deo liberè prædicet: ſic laicus debitor eſt, vt veritatem, quam audiuit quidem à Sacerdotibus probatam in ſcripturis, defendat iudicialiter. Quod ſi non fecerit, proditor eſt veritatis. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ac demum *S. Iſidorus l.2. ſent. c.2.* ibi: *Sicut nihil proficit Fides, quæ ore tenetur, & corde non creditur, ita nihil eſt profutura Fides, quæ corde tenetur, ſi ore non proferatur.*

Probatur 3. ratione: Quia omnis homo Chriſtianus Chriſto in Baptiſmo nomen dedit, & ſe obligauit ad eius Fidem tuendam, & confitendam, etiam ſua morte, & ſanguine, ſi opus fuerit, velut iuramento implicito. De quo *D. Hieronymus epiſt. ad Heliodor. Recordare tyrocinij tui diem, quo Chriſto in baptismate ſepultus; in Sacramento iuraſti.* Et *Apoſtol. 1. ad Tim.6. Certa bonum certamen Fidei, apprehende vitam æternam in qua vocatus es, & confeſſus confeſſionem bonam coram multis teſtibus.* Et *ad Hebr. 3.* vocat Chriſtum *Pontificem confeſſionis noſtræ.* Ergo, ſicut qui ſe Regi cuidam iuramento Fidelitatis in militia, vel alio obſequio obſtrinxit, tenetur illud ſeruare ſub pœna mortis, vel quauis alia, vbi nimirum aliqua

neceſſitas id exigit; ita & Fidelis, &c.

Probatur 4. Quia vtique negari nequit, Apoſtolis incubuiſſe præciſam obligationem profitendi Fidem Chriſti, cum ad Præſides, ac Reges traherentur: ad id enim ex officio tenebantur: idque Chriſtus eis præcepit, & aduerſus metum mortis, quam propterea erant paſſuri, ſpe præmij, ac metu pœnæ æternæ, alijſque argumentis illos confortauit *Matthæi* 10. *verſ*. 17. & deinceps. Atqui in ea occaſione eadem eſt ratio de reliquis; nam omnes æque tangit affirmatiuum præceptum credendi corde ad iuſtitiam, & ore confitendi ad ſalutem. Quod verò nullum ſit tempus, in quo certius hæc confeſſio debeatur, quã tempore perſequutionis, & factæ interrogationis à Poteſtatibus publicis, inde conſtat, quia ipſe Chriſtus eamdem regulam, quam Apoſtolis, præſcripſerat, extendit ad vniuerſum cœtum fidelium; imò id intulit per particulam Ergo, ex eo, quod diſcipulis mandauerat: ita enim concludit *verſ*. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Cuius illationis ratio apta nulla reddi poteſt, niſi apud Reges, & Præſides eadem obligatio incumbat omnibus Fidem ſuam declarandi.

12 Itaque iuxta ſenſum huius damnationis id ſilentium coram poteſtate publica per ſe eſt ſignum erubeſcentiæ de confitenda Fide; quia non attribueretur contemptui perſonæ interrogantis: (neque enim Tyranno poſſet reſponderi, ſicut priuatæ perſonæ. *Quid ad te? Qui es tu, vt me iudicare velis?*) Præterea, quia tacere, quando inſtat timor pœnæ, omnes id attribuunt timori pœnæ: Ergo id ſilentium coram tyranno interrogante eſt ſignum non confitendi propter timorem pœnæ, ſiue erubeſcentiæ de illa confitenda ob metum. Imò quandoque eſt ſignum negatæ Fidei: quando enim multi ſimul de neganda Fide rogati à Iudice, multiſque eorum annuentibus aliqui tacerent, id ſilentium iam tunc videretur conſenſus interpretatiuus cum multis, vt ſupra oſtenſum eſt. Item ſi per errorem ij, qui tacent, putarentur & ipſi reſpondiſſe, & Fidem negaſſe, ideoque referrentur in eorum catalogum, qui parati eſſent ad negandam Fidem, ipſis interim videntibus, & non contradicentibus. Similiter: ſi te tacere, alius reſpondeat, te Fidem negare, cui tamen ob verecundiam non contradicas: quod quidem etiam apud priuatos non liceret, multò minùs in publico iudicio. *Card. de Lugo de Fide d.* 14. *ſect.* 2. *num.* 40.

13 Cæterùm hæc res non phyſicè, ſed moraliter ſpectanda eſt: nam ſi quis tacendo videatur contemnere Tyrannum, aut in ſua Fide eſſe conſtans, illa eſt virtualis confeſſio, & reſponſio, & ita accidebat in exemplis Chriſti, & Sanctorum, qui interrogati tacuerunt. Sic *Suarez ſupra ſect.* 3. *num.* 7. Vnde iuxta hunc ſapientiſſimum Auctorem coram Tyranno debet reſpondere Fidelis, vel expreſse, vel virtualiter. Et quando quis tacet, debet ſilentium eſſe veſtitum talibus circumſtantijs, vt opere confitea-

fiteatur; ita vt conſtet Tyranno illum eſſe fidelem catholicum. Et ſic accidit in exemplis *Ioannis de Cardenas hic c. 2. a num. 15.* nempe in eo, qui interrogatus à Tyranno tacet ore, at oſculatur Crucifixum, quem præ manibus habet: vel tacens iugulum extendit, vt demonſtret ſe paratum mori pro Fide. Similiter, ſi duo ſocij fideles couenianrur, coram Tyranno, qui eos interrogat, dicens, *Num quid vos Catholici eſtis?* Et principalis eorum reſpondet, *Ambo Fidem Catholicam profitemur*; alter vero ſocius taceat, ſed læto vultu annuat. Denique idem eſt in caſu, in quo Tyrannus dicat Petro: *Certò ſcio, te eſſe profeſſorem Fidei Catholicæ, ideo dabis mihi acerbiſſimas pœnas:* Et Petrus taceat, & rideat ſpernens minas. Iſti itaque caſus procul ſunt à damnatione. Ita cum *Cardenas Felix à Panormo to. 2. Exam. d. 4. p. 2. c. 1. nu. 172.* & alijque.

14 Dico 2. Præcepto iſto diuino tenetur fidelis Fidem exterius confiteri, quoties ita exigit honor Deo, vel Chriſto debitus, Fidei confirmatio, propria, vel proximi ſalus. Seù (quod idem eſt) & regula generalis eſto. Quoteſcumque ex taciturnitate, vel diſſimulatione Fidei oritur detrimentum honoris Dei, Fidei, & Religionis Catholicæ, ſalutis propriç, & proximorum, quod profeſſione Fidei impediri poteſt, tenetur omnis fidelis ad hoc idoneus ſub mortali Fidem ſuam profiteri, & defendere etiam cum periculo mortis, aut cuiuſque boni temporalis detrimento. Ita omnes cum *D. Thoma 2. 2. q. 3. ar. 2.*

Probatur, & explicatur ſingilatim. Fides in primis confitenda eſt, quando ſic exigit, & alioquin notabiliter diminueretur honor Dei, & Chriſti; idque maxime, quando quis à Magiſtratu, vel Iudice abſolutè ad Fidem probandam, ſiue, vt ſciatur, cuius Fidei ſit, autoritate publica interrogatus, an ſit Catholicus, vel quid de aliquo Fidei articulo ſentiat? ſiue id fiat publicè, ſiue priuatim, ſiue ad finem bonum, vt inter Catholicos: ſiue ad finem malum, vt ſi interrogetur apud Hæreticos, vel Infideles, tenetur ſub mortali Fidem ſuam confiteri, & profiteri poſitiue, & explicite, ſine ambiguitate, ſeù æquiuocatione verborum, etiam cum mortis periculo, ob rationem datam. Nam alioquin Deo, & Chriſto magnus honor detraheretur. Verè enim eſt magnus honor Dei, & Chriſti, Principis, & Capitis Fidei noſtræ, quod Chriſtianus coram Principibus, & Magiſtratibus huius ſæculi contrà oblatrantibus, & perſequentibus, Fidem ſuam fateatur. Præterea dum mortis, & periculorum minis in publico Iudicio Fides nequaquam cedit, mirum in modum eius veritas confirmatur, atque in Regnis radices agit: Quare ſi vnquam eius confeſſio vrget, tunc certe maxime vrgere rationabile eſt: atque is ſemper fuit ſenſus Eccleſiæ: quæ ſe in huiuſmodi caſu obligatam eſſe ad confitendam Fidem ſemper exiſtimauit. Sic Petrus, & Ioannes Fidem, & virtutem Chriſti nominis confeſſi ſunt contra Tribunalia Iudçorum, *Actor. 4.* Et cum eis comminarentur, audacter reſpon-

 derunt.

Digitized by Google

derunt. *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate.* Vnde contrarium aſſertum eſt hoc Decreto proſtratum. At verò ſi priuatus quiſdam infidelis, vel hæreticus interrogat, nullus, per ſe loquendo, tenebitur fateri, ſed vel tacendo, vel alio modo eludere poteſt. Cum enim talis publicam auctoritatem non gerat, nullus inde honor Chriſti periclitabitur: ſic contingit, quod multis nauigantibus in naui hæretica quidam hæreticus ſtricto gladio diſcurrens quæreret, quinam ex iſtis ſint Papiſtæ, minatus eos omnes velle obtruncare, aderant multi Catholici, ſed nemo Fidem ſuam faſſus eſt. Recteque factum reſpondent *Sanchez, Tamburinus*, & alij; quia ſcurra ille, cum publicam auctoritatem nullam gereret, adeoque nullus inde honor Chriſti periclitaretur, explodendus potius fuit, quàm audiendus. Dixi autem, *per ſe loquendo*; rectè enim monet *D.Thomas*: Quod ſi vir admodum grauis interrogaretur etiam à priuatis hæreticis de ſua Fide, ipſe autem ſi taceat, vel diſſimulet, magnum aliquod ſcandalum oriri rationabiliter timeat, tacere ſane non poſſet: quia in illis circumſtantijs magnus Dei honor, aut ſaltem ſalus proximorum externam eius Fidei confeſſionem exigit.

16 Secundò Quotieſcumque doctrina, Fidei firmitas, vel auctoritas Catholicæ Eccleſię periclitatur, præſens, & aduertens, ſi prodeſſe poſſit, tenebitur Fidem profiteri: V.g. Interuenit quis, vel intereſt colloquio, vel diſputationi Catholicorum, cum hæreticis; aduertit ob illorum ruditatem, Doctrinam Fidei, & Eccelſiæ, irritationi, & blaſphemiis exponi: ſi ſe ſufficienter, & prodeſſe poſſe putet, tenetur ſub mortali, etiam cum periculo vitæ, pro veritate decertare, Fidem ſuam profiteri, ac defendere. Hoc enim fidelitas erga Chriſtum, & eius Verbum poſtulat; ſcilicet, vt ait Apoſtolus ad *Titum* 2. *Vt non blaſphemetur Verbum Dei.* Et 2.*Petri* 2.*Ne via veritatis blaſphemetur*. Eadem eſt ratio de tuenda veritate Eccleſiæ, de qua *Dionyſius Alexandr.epiſt. ad Nouat. Non eſt inferior gloria ſuſtinere martyrium pro eo, ne ſcindatur Eccleſia, quam eſt illa, ne Idolis immoletur. Immò ſecundum meam ſententiam maius hoc puto martyrium; ibi enim vnuſquiſque pro ſua tantum anima, in hoc verò pro omni Eccleſia martyrium ſuſtinet*. Similiter, ſi videas Infidelem, vel hæreticum V.g. Sanctam Euchariſtiam, Sacras Imagines, Reliquias, Virgines Sacras violare, ſi poſſis, teneris illos cohibere, & te Chriſtianum, & Catholicum manifeſtare, etiam cum periculo vitæ. Quia ità expoſcit, & Dei honor, & veræ Fidei indemnitas. Si potes, inquam ſemper: nam ſi tuus conatus nihil profuturus præuidetur, non erit ratio, vnde obligeris. Ita *Sanchez, Valen. Rodriquez, Fillincius, Baſſæus*, & alii.

17 Tertiò. Fides confitenda eſt, quandocumque exigit propria ſalus, quæ aliàs periclitaretur: Vtpote ſi tacens, & diſſimulans, eo ipſo periculum ſubeas, ac Fidem abneges, iuſta dicta *§.præcedenti.* Item ſi Fidem tuam diſſimules, cogeris multa agere contra conſcientiam, & legem Dei,

Dei, & vt plurimum grauiſſima peccata mortalia. V.g. ſeruus Catholicus Domino hæretico, ſi ſe Catholicum eſſe diſſimulet, cogetur profana conuenticula hæreticorum adire cum Domino, conciones hæreticas audire, nefandæ cænæ communicare, alijſque actibus hæreticis, &c. tenetur ſub mortali profiteri ſuam Fidem, aut ſi nihil proficiat profeſſio Fidei, recedere à Domino hæretico quocumque periculo, vel damno imminente, cum detrimentum animæ cuicumque damno temporali præponderare debeat. Ita Doctores communiter.

18 Quartò. Fides confitenda eſt quotieſcumque ita exigit ſalus proximi, quæ alias periclitaretur: vtpote ſi proximorum ſcandalum, vel ruina ſpiritualis imminet, & tua profeſſione Fidei impedire potes. E.g. Petrus Theologus adeſt conuiuio, & colloquio multorum Catholicorum, & hæreticorum, miſcentur profani ſermones, irriſiones &c. contra Fidem, & Religionem Catholicam, comeduntur carnes die vetito, videt, & aduertit, ſi taceat, corrideat, comedat carnes, ſcandalizandos Catholicos, eoſque labefactandos in Fide, Fidei ſuæ incertitudinem ſuſpicaturos; & contra hæreticos in ſua ſecta confirmandos, & defectum Fidei ex ſua taciturnitate præſumpturos; talis omnino, ſub mortali tenetur Fidem ſuam profiteri, falſis dictis, & fannis contradicere, ab eſu carnium abſtinere: tum ex generali regula charitatis, tum ex ſpeciali præcepto confeſſionis Fidei. Ita Doctores communiter, idem dicentes, quoties infidelis ob alterius confeſſionem inducetur ad Fidem, nec extet aliud medium quo ad eam inducatur.

19 Dico 3. Non damnatur hoc decreto, qui impetrat à Iudice non reſpondere, puta reducendo Iudici in mentem veterem amicitiam, vel fortaſſe cognationem: niſi in iis circumſtantiis, in quibus talis impetratio ſcandalum generaret, vel opinionem inconſtantiæ, aut defectus in Fide tenenda. Ita *Card.de Lugo ſupra ſect.2. nu.48.*

20 Dico 4. Non ſubiacet huic damnationi opinio *Suarez*, & aliorum docens, quod cum poteſtate publica per edictum Fideles vocantur, vt coram Tribunali declarent ſuam Fidem, non tenentur ire ad eam declarandam. Ita *Cardenas ſupra ar.3. nu.34.*

Probatur: Quia cenſura Pontificia loquitur de eo, qui tacet interrogatus.

21 Sic etiam iubente Tyranno, vt omnes Chriſtiani ſe prodant, non eſt obligatio ſe prodeundi. Vnde non tenetur quis cum graui periculo vti veſte, vel ſigno à Principe inſtituto, vt Chriſtiani eo ſigno ab aliis dignoſcantur. Ita *Suarez, Coninch, Sanchez, Card.de Lugo, Leander à Sacram.* & alii: contradicentibus *Caietano*, & aliis; quia nemo non particulariter, ſeu perſonaliter interrogatus tenetur Fidem ſuam confiteri.

22 Dico 5. Non ſubiacet huic damnationi ſententia docens, eſſe licitum Catholico ſe occultare, & fugere, vt Iudex tyrannus non interro-

get

Digitized by Google

get ipſum de Fide. Ita *Torrecilla, Corella, Hurt. De la Fuente*, & alii hic *Lucenſis nu. 14.*

Probatur. Tum quia Propoſitio proſcripta loquitur ſuppoſita iam interrogatione. Et fuga eſt ſufficiens confeſſio quod ſit Chriſtianus, aliàs non fugeret. Tum ex Scriptura: *Cum perſequentur vos in vna ciuitate, fugite in aliam.* Quod & Chriſtus exemplo docuit, fugiens impiorum perſecutiones. Et Sancti factis ſuis oſtenderunt. Lege præclaram homiliam, & Apologiam S. Athanaſii de fuga ſua.

14 Aliundè tamen ratione perſonæ, vel officii ſæpè non licebit fugere. Sic tempore perſecutionis Fidei non poteſt Epiſcopus, vel Paſtor fugere, ſi ex eius fuga immineat periculum gregi ſibi commiſſo.

PROPOSITIO XIX.

Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus Fidei ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

PROPOSITIO XX.

Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum; quem habebat ſupernaturalem.

1 Vtraque defenſa eſt Antuerpiæ die 16. Aprilis anno 1674. à *R. P. Arnoldo Marchant. Minorita, Theſi 11.* vbi ſcriptum inuenitur: *Iudicium credibilitatis, quo iudicamus de honeſtate Fidei, eiuſque neceſſitate, voluntati ſeruit, vt firmè, inuictèque aſſenſum imperet: non intellectui, vt certius, firmuſque aſſentiatur. Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* Poſterior itaque Propoſitio eſt præcedentis illatio: quæ vt poſſit firma ſubſiſtere, ad hanc formam debet reduci: voluntas nequit efficere vt aſſenſus Fidei ſupernaturalis ſit in ſeipſo magis firmus, quam mereatur grauitas, ſeu pondus rationum impellentium ad aſſenſum: ſed pondus harum rationum non meretur aſſenſum adeò firmum, vt prudenter nequeat repudiari. Ergo neque Fidei aſſenſus ſupernaturalis adeò firmus eſt in ſemetipſo, vt prudenter repudiari nequeat.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Actus Fidei formaliter ſumptus pertinet ad intellectum, eſtque in ſubſtantia ſua ſupernaturalis, & explicatur ſupernaturalitas ipſius.*

3 *Explicatur conſtitutiuum, & diſtinctiuum certitudinis ab opinione, à veritate, & neceſſitate aſſenſus, additumque ſupra illas, & quid ſit certitudo propriè, & impropriè talis.*

4 *Certitudo abſolutè, & propriè talis ſuam latitudinem habet: atque ideo datis duobus aſſenſibus certis fieri poteſt, quod vnus ſit certior alio.*

5 *Aſſenſum Fidei Theologicæ eſſe certum oſtenditur.*

6 *Et hæc certitudo Fidei Theologicæ excedit ſimpliciter certitudinem habituum intellectualium naturalium.*

7 *Ad aſſenſum Fidei requiritur prius affectus voluntatis mouentis, & captiuantis intellectum in obſequium Chriſti: qui eſt in ſua entitate ſupernaturalis, eliciturque à Charitate in Iuſtis; ſed ab auxilio tranſeunte in peccatoribus.*

8 *Ex tribus actibus, quibus conſummatur Fides, præcipuus, in quo formaliter conſiſtit, eſt actus intellectus: hunc præcedit pia affectio voluntatis; & hanc alius actus intellectus, nempè iudicium de credibilitate obiectorum, in ſua entitate ſupernaturale.*

9 *Actus Fidei quædam ſibi vendicat propria lineæ intellectiuæ, vt certitudinem infallibilem: quædam verò participat propria lineæ voluntatis, vt libertatem, & bonitatem, quem valde deprimunt negantes neceſſitatem motionis voluntatis ad credendum.*

§. II.

10 *Voluntas poteſt efficere, & re ipſa efficit, vt aſſenſus Fidei re ipſa ſit magis firmus, quàm meretur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Et aſſertum contrarium pernicioſi, imò & maiori cenſuræ ſubditur.*

11 *Oſtenditur ex firmitate ratione ponderis auctoritatis Diuinæ, quam habet aſſenſus Fidei ex imperio voluntatis eiuſque motu.*

12 *Probatur 2. Quia qui crederet propter rationes humanas, & non propter reuelationem Diuinam, eſſet infidelis.*

13 *Et tertiò. Quia ſi prædicta Propoſitio eſſet vera, quilibet excuſaretur à non præſtando aſſenſu firmo rebus Fidei.*

14 *Ad quid deſeruit iudicium credibilitatis?*

15 *Quomodo intellectus mouetur a veritate, & quomodo à voluntate?*

16 *Non poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem. Et contrarium aſſertum cenſura inuritur.*

17 *Si repudiari poſſet prudenter aſſenſus Fidei, licitè quis apoſtatare poſſet à Fide iam voluntariè ſuſcepta.*

18 *Oſten-*

Digitized by Google

18 *Oſtenditur etiam ex eo, quod qui credit habet teſtimonium Dei in ſe; & Fides eſt fundamentum, & petra fortis, & inuicta. Vnde caſus* Hurtadi *non obſtat.*

19 *Item ex eo, quod aſſenſum Fidei neceſſariò debet præire iudicium credibilitatis.*

20 *Et ex maioritate in certitudine ſupra aſſenſum cauſatum ex naturali demonſtratione.*

21 *Et ex ratione meriti; quam rationem non tollit doctrina Thomiſtarum negans poſſe eſſe ſimul ſcientiam, & Fidem de eodem obiecto.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia vtriuſque Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. Actum Fidei formaliter ſumptum pertinere ad intellectum: eſtque ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalem, vt docent communiter Theologi cum *D. Thoma*: Contra *Scotum*, *Ocham*, & *Durandum*, putantes eſſe naturalem ſecundum ſubſtantiam, & ſupernaturalem quoad modum. Ratio eſt; quia nomine ſupernaturalis intelligitur, id, quod excedit vires tum actiuas, tum paſſiuas cuiuſcumque naturæ creatæ, vel creabilis, ſumptæ cum ſolo auxilio generali Dei. Igitur id, quod abſolutè in nullo caſu poteſt poni per vires naturæ, eſt ſupernaturale abſolute, ſeu quoad ſubſtantiam, vt dici ſolet: id verò, quod poteſt poni abſolutè; non tamen in hoc caſu, aut cum hac circumſtantia, eſt ſupernaturale tantum quoad modum. V. g. oculus cæco reſtitutus, eſt ſupernaturalis tantum quoad modum; quia oculus ſecundum ſuam entitatem eſt oculus naturalis, & ſolum modus reſtituendi eſt ſupernaturalis. Atqui actus Fidei, vt fiat, exigit in principio habitum ſupernaturalem, & auxilium ſpeciale gratiæ, vt patet ad *Epheſ. 2. Gratia eſtis ſaluati per Fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt*. Tum etiam quia eſt ſupra vires tum actiuas, tum paſſiuas cuiuſcumque naturæ creatæ; ergo quotieſcumque elicitur ab intellectu adiuto auxilio ſupernaturali ſibi indebito, ſiue hoc ſit auxilium Dei extrinſecum ſolum, ſiue intrinſecum, ſcilicet habitus Fidei, ſemper erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. De facto tamen actus Fidei ſemper elicitur ab habitu; quia connaturalius eſt potentię operari per aliquid intrinſecum, quam per extrinſecum.

3 Notandum eſt 2. Certitudinem ſimpliciter ſumptam, ex *D. Thoma in 3. d. 23. qu. 2. art. 2. quæſ. 26. & d. 26. qu. 2. art. 4.* conſiſtere in firma adhæſione intellectus ad verum, ſeu in immobili cum obiecto verò coniunctione. Hinc patet differentia aſſenſus certi ab opinatiuo, & formidoloſo: hic enim conſtituitur in eſſe talis per carentiam illius immobilis deter-

ter-

terminationis, ſeù adhæſionis, ac coniunctionis. Conſtat etiam, certitudinem diſtingui formaliter à veritate, & neceſſitate aſſenſus, & addere ſupra illas: quoniam ſtat benè, quod aſſenſus ſit verus, & tamen non ſit certus: nam ad illud prius ſufficit conformitas aſſenſus cum obiecto, quæ conſiſtere valet abſque firma adhæſione ad illud, vt accidit in aſſenſu vero opinatiuo. Et ſimiliter conſiſtere valet neceſſitas veritatis in aſſenſu abſque certitudine, vt cum aſſentimur neceſſarijs per media probabilia: nam ille aſſenſus eſt neceſſariò verus ob conformitatem ad obiectum neceſſarium, ſed caret certitudine ob debilitatem medii, per quod procedit. Certitudo ſecundum quid, ſeù moralis, eſt de iis, quæ vt plurimum ita ſunt, licet poſſint aliquando deficere. Loquimur hic de certitudine ſimpliciter, & propriè tali, quæ nimirum procedit ex motiuo, cui innititur aſſenſus, vt accidit in notitia ſcientifica, & Fidei; ad differentiam certitudinis impropriè, & æquiuocè talis, quando videlicèt non oritur ex vi motiui, & rationis determinantis intellectum ad verum, ſed ex firma quadam voluntatis applicatione excedente merita obiecti, vt accidit in hæreticis, qui ſumma contumacia inhærent ſuis erroribus, quia volunt: Propriè verò, & rigoroſæ certitudinis conceptum non exuit aſſenſus, licèt proueniat etiam ex applicatione voluntatis, quando huiuſmodi applicatio non excedit merita motiui, ſed ipſi potius debetur. Fieri enim valet, quod motiuum ſit ex ſe efficaciſſimum, atque infallibiliter coniunctum cum obiecti veritate; & nihilominus illam euidenter non manifeſtet: in quo euentu ingreditur motio, & imperium voluntatis ſupplens defectum manifeſtationis, quod proinde nihil imminuit de certitudine tam motiui, quam aſſenſus ei innitentis; ſed potius magis firmat intellectum in adhæſione ad verum.

4 Hæc autem certitudo ſuam latitudinem habet; atque ideo datis duobus aſſenſibus certis fieri poteſt, quod vnus ſit certior alio. Id quod communiter docent Dialectici cum *Ariſtotele 1. Poſter. c.2.* Et facile ſuadetur. Tum quia intellectus certificatur de concluſione propter aſſenſum datum principiis: Ergo aſſenſus principiorum certior eſt, iuxta illud Philoſophi: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Tum quia ex parte obiecti datur inæqualitas in certitudine ob inæqualitatem in ſua determinatione; magis enim neceſſarium eſt, V.g. hominem eſſe rationalem, quam hominem eſſe admiratiuum: Ergo idem proportionabiliter dicendum eſt de certitudine. Tum denique, nam licèt certitudo ſoleat explicari per carentiam formidinis, in qua non videtur dari magis, & minus: nihilominus formaliter conſiſtit in perfectione poſitiua fundante prædictam carentiam: quæ perfectio latitudinem habet, & poteſt creſcere ob acceſſum ad cauſas magis immobilitatas; ſicut etiam ſpiritualitas habet ſuos gradus, licèt ſoleat explicari per negationem materiæ, quæ non videtur latitudinem habere. Aliud eſt de veritate; nam hæc con-

T 2 ſiſtit

Digitized by Google

ſiſtit in ſola adæquatione cum obiecto, quæ adæquatio relatio eſt conſiſtens in indiuiſibili; atque ideò fieri non poteſt, quod vna propoſitio ſit verior altera. Certitudo autem conſiſtit in firma adhæſione, quæ creſcere valet, accedentibus motiuis vrgentibus adhærendi. Cuius diuerſitatis ſignum ſatis liquet, quod ex repetitione propoſitionis veræ non intenditur veritas, nec intellectus fit conformior obiecto, quam antea erat; ex frequentatione autem actus certi, vt puta ſcientifici intenditur certitudo ſicut & ſcientia, atque intellectus firmior, ac immobilior redditur circa verum.

5 Porrò, actum Fidei Theologicæ eſſe certum, in primis ſatis apertè docent ſacræ literę, vt *Tobiæ 3. Pro certo habeat omnis, qui credit in te.* Vnde frequenter nomen ſcientiæ attribuunt Fidei Diuinæ, vt denotent eius firmitatem, quam inter eminentis obiecti obſcuritates eidem indiuulſa ſtabilitate cohæret, *vt 2. Petri 1. Habemus firmiorem propheticam ſermonem, cui bené facitis attendentes, ſicut lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Actorum 2. Certiſſimè ſciat domus Iſrael, quia et dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Deinde ita docent communiter SS. Patres, quos infra dabimus, ex quibus *Dionyſ. c. 7. de Diu. nomin.* ait: *Diuina Fides eſt ſtabilis credentium ſedes, quæ hos in veritate locat in preſuaſibilitatem certam, & ſimplicem veritatis notionem.* Denique, quia certitudo aſſenſus præcipuè deriuatur ex motiuo cui innititur: motiuum autem, cui innititur aſſenſus Fidei Theologicæ certiſſimum eſt, atque aptiſſimum ad firmandum intellectum: conſiſtit enim in teſtimonio Diuino, quod ſuperat omnem aliam certitudinem. Et licet Fideles ſoleant pati aliquas dubitationes ſaltem indeliberatas circa myſteria Fidei: tamen certitudo non deficit: quia illi motus non proueniunt ex ſuo motiuo Fidei, cum potiùs illud captiuet intellectum, ſed proueniunt ex ipſa conditione intellectus, qui non quieſcit perfectè, niſi in obiecto viſo; & ita mouetur, & agitatur circa obiectum non viſum, quale eſt obiectum Fidei, quamuis illi certiſſimè, & perfectiſſimè inhæreat. Cæterum hæc debilitas, quam intellectus circa obiectum non viſum nequit perfectè in ſe extinguere, ſatis ſuperque comperitur ex motione Spiritus Sancti inclinantis voluntatem, vt imperet aſſenſum firmum, & prædictos anxietatis motus excludat. Cuius ſignum eſt, quod Fideles, licet prædictas dubitationes indeliberatas patiantur, nihil tamen adeo firmiter tenent, quam myſteria Fidei, iuxta illud *Richardi de S. Victor. de Trin. c. 2. Quotquot veraciter Fideles ſumus, nihil certius tenemus, quam quod Fide credimus. Et Auguſt. l. 7. conf. ſſ. c. 10.* ait: *Faciliùs dubitarem* (vtique cum deliberatione) *viuere me, quam eſſe vera, quæ audiui.*

6 An autem Fidei Theologicę certitudo excedat ſimpliciter, certitudinem habituum intellectualium naturalium, negant *D. Bonau. & Alenſis.* Affirmant communiſſimè, & verè alij cum *D. Thoma q. 4. ar. 8. & Scoto in*

4. d. 14.

4.d.14.q.3. Hocque ſatis apertè ſignificat Sacra Scriptura, tum locis ſupra relatis; tum alijs pluribus; nam *Matthæi 16.* dicitur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Vnde firmitas, & certitudo Fidei Catholicæ aſſeritur ſuperior omni impugnatione dæmonum, qui ſcientia naturali maximè pollent. Et in eodẽ ſenſu dixit Apoſtolus *2.adCor.10. Arma iuſtitiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Non poſſet autem Fides hanc victoriam conſequi conterendo cuncta aduerſantia conſilia, & captiuando omnes intellectus argumentationes, niſi firmior, ac certior eſſet omni ſcientia naturali. Quod expreſſius ad huc ſignificauit idem Apoſtolus ad *Gal. 1.* illis verbis: *Licèt nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Vult enim, quod Fides noſtra præualeat, & firma ſtet contra omnem perſuaſionem etiam ſi fiat ab Angelo de Cęlo, qui præditus eſt omni ſcientia naturali. Imò D. Petrus certitudinem hanc prætulit viſioni, quæ inter cognitiones videtur certiſſima, nam *epiſt.2. c.1.* poſtquam retulit manifeſtationem gloriæ Chriſti in Monte Tabor, & dixit: *Speculatores facti illius magnitudinis;* nihilominus adiecit: *Et firmiorem habemus propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Idem enim apertè docent SS. Patres. *D. Baſilius ad Pſalm.115.* inquit: *Fides præeat, ac ſermones ducat de Deo; Fides ſupra rationales methodos animum ad aſſenſum trahens. D. Chryſoſt. hom.21. in epiſt. ad Hebr. Nec Fides dici poteſt, niſi circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit. D. Auguſtinus, & Richardus à S. Victore ſupra. D. Hieronymus, D. Ambroſius, D. Bernardus, Origenes,* & alij relati à *Valen. de Fide d.6. q.4. pu.8.* Conuincitque ratio *D. Thomæ:* quoniam illa certitudo eſt ſimpliciter maior, quæ prouenit ex cauſis ſimpliciter certioribus, & magis aptis ad firmandum intellectum circa verum: Cauſæ autem ex quibus prouenit certitudo Fidei noſtræ ſunt ſimpliciter certiores, & magis aptæ ad firmandum intellectum circa verum quam omnes cauſę ex quibus prouenit certitudo naturalis. Etenim, ſi attendamus ad obiectũ QVOD Fidei firmiorem cauſam habet Fides, quam omnis notitia naturalis, ſiquidem obiectum *Quod* Fidei eſt ipſe Deus in ſe ipſo, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio,* vt dicitur *Iacobi 1.* Si verò conſideremus *obiectum Quo,* ſiue motiuum, quod ſe habet ad inſtar cauſæ formalis, firmior etiam cauſa apparet in aſſenſu Fidei: ſiquidem vindicat pro motiuo teſtimonium Dei, ſeù reuelatio, ac verbum Dei aliquid nobis teſtificantis: quod verbum longè ſuperat cuncta motiua naturalia, quæ naturali certitudini correſpondent, iuxtà illud Chriſti Domini *Lucæ 21. Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea, non præteribunt:* ideſt,

Digitized by Google

potius, & prius deficiat veritas, & certitudo cunctarum rerum, quàm infallibilitas verbi mei.

7 Notandum eſt 4. Ad aſſenſum Fidei requiri pium affectum voluntatis mouentis, & captiuantis intellectum in obſequium Chriſti. Ita communiter Theologi cum *D. Thoma* 2.2.*qu.*1.*ar.*4. & alibi. Oſtenditur, tum auctoritate Scripturæ Sacræ: nam ad *Rom.*10. dicitur: *Corde creditur ad iuſtitiam*, ideſt voluntate mouente, & applicante ad credendum, vt explicat *D. Thomas* ibidem; Et *Ioannis* 12. infidelitas Iudæorum attribuitur duritiei *cordis*, ideſt obſtinationi voluntatis. Nam ſecundum omnes Interpretes nomine cordis voluntas ſignificatur in Scriptura. Sunt etiam alia plura loca, in quibus voluntati tribuitur vel Fides, vel Infidelitas: niſi autem voluntas contribueret ad Fidem per ſuam piam motionem, neutrum ipſi attribueretur, vt conſtat: Tum auctoritate Conciliorum. Nam in *Concilio Arauſicano* 2. *can.*5. aſſeritur: *Initium Fidei eſſe ipſum credulitatis affectum; eumque ineſſe nobis per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad Fidem.* Vbi per affectum credulitatis intelligunt Doctores illam motionem piam, per quam voluntas noſtra afficitur ad credulitatem myſteriorum Fidei. *Conc.* etiam *Trident. ſeſſ.*6.*c.*4. loquens de illis, qui iuſtificantur, ait: *Liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ Diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt.* Tum auctoritate SS Patrum. Et inſignis eſt illa *D. Auguſtini tr.*16. *in Ioannem* dicentis: *Intrare quiſquis in Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad Altare poteſt nolens, ſed credere non poteſt, niſi volens.* Vbi liberæ voluntati tribuitur, quod aliquis credat myſteria Fidei: ſi autem voluntas non contribueret ad Fidem per ſuam piam motionem, & determinationem, Fides non dependeret ab ipſius libertate, vt liquet. Tum ratione; quia actus Fidei eſt aſſenſus obſcurus, at certus excludens omnem formidinem. Atqui intellectus ſecundum ſe, aut ex motiuis, quæ illi proponuntur, remanet indifferens, & quodammodo ſuſpenſus: clarè enim illi obiectum non proponitur: Ergo ad hoc vt determinetur, requiritur pius affectus voluntatis mouentis, & captiuantis intellectum in obſequium Chriſti. Poteſt quidem Deus ſupplere in genere cauſæ efficientis hunc affectum voluntatis, & ſe ſolo determinare intellectum; at actus elicitus ab intellectu moto à Deo, non eſt actus Fidei, vt eſt in nobis, quia talis debet eſſe liber, vt patet ex Conciliis iam allegatis: huiuſmodi autem nullatenus eſſet liber; non enim in ſe, cum intellectus ſit potentia neceſſaria, neque in voluntate præſuppoſitiuè; quia voluntas non concurreret. Et licèt Dæmones, qui non habent hanc piam affectionem dicantur *Iacobi* 1. credere, & contremiſcere; nihilominus ipſi non habent actus Fidei certos ſuper omnia, ſine formidine, & ſupernaturales, ſicut nos habemus. Pius hic affectus voluntatis eſt in ſua entitate ſupernaturalis, & docent communiter Doctores, contra *Scotum*, Et patet tum ex *Conc. Arauſicano* 2. *can.*2. vbi habet,

bet: *Si quis ſicuti augmentum, ita et am initium Fidei ipſum credulitatis affe-ctum non per gratiæ donum, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dog-mati·us ad·erſatur.* Et elicitur à charitate in hominibus iuſtis, ſed ab auxi-lij c·anſeunte in peccatoribus. Ita Theologi magis communiter.

8 Notandum eſt 5. Quod tres actus requiruntur, & his tribus perfi-citur, & conſummatur actus Fidei. Præcipuus actus, in quo formaliter conſiſtit aſſenſus Fidei, eſt actus intellectus, quo aſſentimur propoſitio-ni reuelatæ hunc actum verò præcedit actus voluntatis, ſeu pia affectio. Verùm quia nihil volitum, quin præcognitum, antequam detur iſta pia affectio voluntatis, debet dari alius actus intellectus, à quo voluntas, quæ eſt potentia cæca, illuminetur, & moueatur. Et *Ocham, Almaynus, Gabriel, Suarez*, & alij aſſerunt dari hoc iudicium euidens, ſed naturale ſecundum ſubſtantiam, licet nunquam habeatur, niſi ex ſpeciali proui-dentia Dei, & eius gratia. Communior tamen ſententia, quam ſequimur, docet, hoc iudicium præcedens voluntatem credendi eſſe in ſua entita-te ſupernaturale, vt oſtenditur ex *Conc. Mileuitano can.* 4. vbi ſic habetur: *Donum Dei eſt ſcire quid facere debeamus.* Et clarius *D. Auguſtinus* explicans illud ad *Corinth.* 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis*, ſic ait: *Qui non videat, prius eſſe cogitare, quam credere; nullus enim credit, niſi prius cogitet eſſe credendum; & hoc vult Apoſtolus non eſſe ex nobis, ſed ex gratia.* Hinc elicitur ratio: Actus, ad quos efficiendos requiritur gra-tia Diuina, ſunt in ſua entitate ſupernaturales: ſed ad iudicium credibili-tatis ſecundum *Concilium Mileuitanum, Apoſtolum, & Auguſtinum*, re-quiritur gratia Dei: Ergo hoc iudicium eſt in ſua entitate ſupernaturale. Hoc autem iudicium eſt euidens: nihil enim aliud eſt, quàm actus intel-lectus, quo iudicat res Fidei cum tot motiuis propoſitis eſſe credibiles. Dantur autem in via actus ſupernaturales euidentes. Habitus verò ſuper-naturalis iuuans ad tale iudicium; vel eſt habitus Fidei, qui ad hoc etiam ſe extendit, vel eſt Prudentia; nam prudentis eſt credere, quando cre-debilia ſunt motiua. Alij verò negant requiri ad hoc habitum. Vnde *Ioan. à S. Thom.* 2.2.q.1.d.3. ar.3. inquit, id quod iuuat ad tale iudicium eſſe gratiam actualem, & intellectus illuſtrationem à Deo immiſſam; vt colli-gitur ex Actibus Apoſtolorum: quod *Deus aperuit cor Lydiæ, vt intende-ret his, quæ dicebantur à Paulo.*

9 Notandum eſt 6. Quod cum credere ſit actus intellectus moti à vo-luntate, quædam ſibi vendicat propria lineæ intellectiuæ, vt certitudi-nem infallibilem; quædam verò participat propria lineæ voluntatis, vt libertatem, & bonitatem. Eſt autem aſſenſus Fidei nedum quoad exerci-tium, ſed etiam quoad ſpeciem. Ita Theologi communiter cum *D. Thoma* 2.2.qu.1.ar.4. & q.3.ar.7. & q.4. ar.5. Et quidem teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum ſupra relata abſolutè ſignificant actum Fidei eſſe liberum; & eius libertatem non reſtringunt ad ſolum exercitium; imò ve-

rò

Digitized by Google

rò ſatis apertè ſupponunt, quod credens poſſit non ſolum poſitis omnibus requiſitis ad credendum, nempe propoſitione obiecti, Diuino teſtimonio, & lumine Fidei, non aſſentire eliciendo actum contrarium. Quod adhuc apertiùs ſignificatur *Actor.* 22. vbi dicitur, quod cum Paulus Athenienſibus prædicaſſet futuram hominum reſurrectionem, *Quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum: quidam verò viri adhærentes ei crediderunt*. Ex quo euentu conſtat, quod propoſita credulitate alicuius myſterij, ita ei homines credunt, quod poſſunt vel ſuſpendere aſſenſum, quod pertinet ad libertatem exercitij; vel irridere, & diſcredere, quod pertinet ad libertatem quoad ſpeciem. Hoc autem prouenit, quia poſitis omnibus requiſitis ad credendum, adhuc obiectum credendum non conuincit intellectum, ſiquidem manet in ſe obſcurum: Ergo intellectus ita elicit actum Fidei, quod poteſt, & ſuſpendere, & etiam diſcredere amplectendo contrarium, ſubindeque peccando per actus hæreſis, idolatriæ, aut Iudaiſmi, qui non ſunt mera omiſſio actus debiti, ſed etiam actus Fidei contrarij. Eſt etiam aſſenſus Fidei elicitus ab exiſtente in gratia actus meritorius vitæ æternæ, vt docet *D. Thomas cit. q. 2. ar. 9.* & cum eo Theologi. Patetque tum ex ſcriptura, nam vt optime inquit *D. Thomas in argum. Sed contra*. Dicitur ad *Hebr.* 11. quod *Sancti per Fidem adepti ſunt repromiſſiones*, quod non eſſet, niſi credendo mererentur. Et *Lucæ* 1. *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur, ea quæ dicta ſunt tibi à Domino*. Quibus verbis ſignificatur, B. Virginem credendo meruiſſe adimpletionem promiſſionis Diuinæ. Tum ratione, quia ratio meriti conſequitur bonitatem moralem: vnde omnis actus, qua ratione eſt moraliter bonus, eſt etiam meritorius, vt etiam docet *D. Thomas* 1. 2. *q.* 21. *ar.* 3. Sed aſſenſus Fidei ex ſpecie ſua eſt actus moraliter bonus, vt patet ex *Apoſt. ad Rom.* 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, & ad *Hebr.* 11. totus eſt in celebrando Fidei excellentias: Ergo aſſenſus Fidei eſt meritorius. Hinc *Holcot, Mirandulanus, & Franciſcus de Marchia* negantes neceſſitatem motionis voluntatis ad credendum, cum nimis videntur exaggerare certitudinem noſtræ Fidei, & euidentiam motiuorum eius, plurimum illam deprimunt, & maxima laude priuant. Si enim aſſenſus Fidei non dependet à pia voluntatis motione, planè ſequitur, illum non eſſe liberum, atque ideo nec eſſe moraliter bonum, nec meritorium, aut præmio dignum. Quod quàm apertè Sacræ Scripturæ aduerſetur, ſatis liquet ex dictis. His prænotatis, ſit.

§. SE-

Digitized by Google

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

I DIco I. Voluntas poteſt efficere, & re ipſa efficit, vt aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Et contrarium aſſertum eſt hoc decreto vt minimum, tanquam ſcandaloſum perculſum, & acriorem cenſuram meretur; nam hic inter alios Manichæorum errores ab *Auguſtino* refellitur toto libro de vtilitate credendi, tanquam dogma valdè perniciosum, & infallibilitati Fidei noſtræ multum derogans.

II Probatur 1. Voluntas poteſt facere, vt intellectus credat Deo loquenti ea firmitate, quam meretur ſummum pondus Diuinæ auctoritatis: facit enim, vt credamus propter ipſam, tanquam ob formale obiectum, & non propter argumenta, aut rationes merè humanas. Atqui dignitas, & pondus auctoritatis Diuinæ longè maius eſt auctoritate, ac pondere cuiuſcumque alterius rationis impellentis ad credendum: Ergo facere poteſt voluntas, vt intellectus aſſentiat longe maiori firmitate, & adhæſione, quam rationes impulſiuæ mereantur. Confirmatur; quia ad credendum Fide ſalutari neceſſe eſt, putare abſque dubitatione, & formidine, partis oppoſitæ, rem, quam credimus, eſſe certiſſimam, & eidem toto corde, & ſuper omnia credibilia appretiatiuè adhærere: vt apertis teſtimoniis Sacræ Scripturæ, & Conciliorum euincunt Theologi. Sed hic modus credendi à voluntate imperatur intellectui iuxta meritum, & capacitatem motiui intellectualis ſibi ad aſſenſum propoſiti: Ergo datur motiuum formale aſſenſus imperati in ſe certiſſimum rationabilis formidinis, ac dubietatis expers, & ſuper omnia credibile. Atqui rationes merè humanæ impellentes ad aſſenſum has proprietates non habent; ſed ſola Diuini teſtis ſuprema, & maxima auctoritas: Ergo voluntas imperans huiuſmodi aſſenſum neceſſariò debet poſſe efficere, & re ipſa efficere, vt aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium: quod efficit, imperando aſſenſum propter auctoritatem Diuinam loquentem. Maior patet; aliàs aſſenſus Fidei eſſet opinio. Vnde peccaminoſum, & nefas exiſtimatur, nedum poſitiuè credere contrarium Fidei, ſed etiam negatiuè: ſcilicet ſentiendo, quod aliquis articulus Fidei non conſtet teneri à Fide. Et hoc dupliciter; vel ſimpliciter non credendo; vel ſub dubio vacillando. Et hoc adhuc tripliciter poteſt contingere, ſecundum triplicem modum dubii, ſcilicet opinionis, ſuſpicionis, & neutralitatis. Et quicumque horum modorum cum conſenſu voluntatis eſt peccatum Infidelitatis; vt optime ait *Caieta-*

nus

nus 2.2.*qu.* 10. *art.*2. Minor etiam liquet; ſi enim eſſet vltra meritum, neque eſſet aſſenſus Fidei theologicæ, ac ſalutaris cum careat motiuo tantæ adhæſionis, neque affectus illum imperans erit pius, ac honeſtus, ſed pertinax, obſtinatus, & imprudens, qualem habent erga ſectas ſuas Turcæ, & hæretici, & erga mores aliorum, qui de illis iudicant temere. Cætera conſtant. Et hinc bene *D. Thomas* 2.2.*qu.*2.*ar.*1.*ad* 3. ait: *Intellectus credentis determinatur ad vnum, non per rationem, ſed per voluntatem: & ideo aſſenſus hic accipitur pro actu intellectus, ſecundum quod à voluntate determinatur ad vnum.*

12 Probatur 2. Si aliquis credens dogmata Fidei, taliter eſſet diſpoſitus, vt nihil eſſet crediturus, niſi haberet rationes probabiles, & humana teſtimonia, hic eſſet infidelis, quia cenſetur habere errorem in intellectu, quod non eſſet credendum, niſi propter tales rationes, & non propter Diuinam reuelationem. Sed in Propoſitione, quam impugnamus, virtualiter continetur hoc iudicium: Ergo ea practicè vtens eſſet infidelis. Probatur minor; quia ſicut ille non crederet: niſi, &c. Sed firmitas aſſenſus eſt ita eſſentialis actui credendi, vt non ſit credere, ſi deſit firma adhæſio, Ergo qui non firmiter adhæreret, niſi propter rationes humanas, idem eſt, ac ſi non crederet, niſi propter eaſdem. Similiter qui doceret, non eſſe credendum, niſi propter rationes humanas, vel niſi rationes humanæ conuincerent intellectum ad aſſentiendum, hæreſim doceret, vel doctrinam hæreticalem: cum doceat implicitè non eſſe credendum ob ſolam Diuinam reuelationem, ſed qui docet, non eſſe firmiter adhærendum, & aſſentiendum, niſi propter rationes humanas, doceret implicitè non eſſe credendum, niſi propter eaſdem: nam de eſſentiali conceptu actus credendi eſt firma adhæſio, & aſſenſus: Ergo etiam iſte doctrinam hæreticalem doceret. At in prædicta Propoſitione docetur hoc, nam idem eſt, non poſſe eſſe firmum aſſenſum, niſi quantum meretur pondus rationum, ac dicere, non eſſe firmiter adhærendum, niſi, &c. immò maius: cum in illo negetur poſſe, hic verò actus: & ex negatione potentiæ optime arguitur ad negationem actus, & ad negationem debiti: nemo enim tenetur ad id, quod non poteſt.

13 Probatur vltimò. Si prædicta Propoſitio eſſet vera; quilibet excuſaretur à non præſtando aſſenſu firmo myſterijs Fidei, & à dubitatione, & vacillatione in credendo. Atqui hoc eſt abſurdum: Ergo &c. Probatur ſequela; quia peccatum non eſt, niſi ſit voluntarium: ſed illa dubitatio, & vacillatio non eſſet voluntaria; quia voluntas non poteſt illam tollere: non aliter namque poſſet illam tollere, niſi faciendo quòd aſſenſus ſit firmus: & ex alio capite excuſaretur, quia rationes, vtpotè probabiles neque valent intellectum determinare ad firmum aſſenſum; Ergo &c.

14 Hinc

14 Hinc iudicium credibilitatis non tantùm deſeruit voluntati, vt imperet Fidei aſſenſum imperio inuicto; ac conſtanti; ſed etiam ad imperandum prudenter intellectui; vt exequatur aſſenſum in ſe certum, ac firmiſſimū: deſeruiendo autem voluntati immediatè ad hunc effectum, conſequenter deſeruit intellectui, vt mediante tali imperio certius, firmiuſque aſſentiatur, quàm alioqui aſſentiretur; deficiente illo iudicio, vel conſiderando ſolum rationes ad aſſenſum veri inclinantes.

15 Dum autem dicitur. Intellectus non mouetur, niſi à veritate obiecti, diſtinguitur, obiectiue, conceditur: determinatiuè, & per modum impellentis, negatur. Vnde conceditur, non poſſe augere veritatem obiecti: poteſt tamen determinare intellectum ad vnam partem: quemadmodum enim ipſa cum ſit libera, ſi ei proponatur & ratio boni, & ratio mali, poteſt ſe determinare ad quam partem velit, ità ſi intellectui proponatur aliqua ratio veri, ſed cum obſcuritate, vt aſſentiatur, poteſt determinari à voluntate.

16 Dico 2. Non poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem. Et contrarium aſſertum eſt hoc decreto, vt minimùm tanquam pernicioſum detruſum; quod abſurdiſſimum eſſe docuit *Suarez d. 4. de Fide, ſect. 2. num. 5.* & abſque vlla exceptione reiiciendum.

17 Probatur 1. Si repudiari poteſt prudenter, atque adeo licitè aſſenſus Fidei iam habitæ, prudenter, atque adeo licitè, quis apoſtatare poterit à Fide iam voluntariè ſuſcepta; quia apoſtaſia in eo receſſu conſiſtit, quem vox repudij præſefert, & perinde eſt repudiare aſſenſum Fidei iam habitum, atque recedere, ſeù alienari ab illo. Quod ſi homo iuſtus id faceret, cùm abſque culpa contingat, habitum gratiæ retineret, & habitum Fidei amitteret, qui conſeruari non poteſt cum actu abijciente Fidem. Vel, ſi fortè contendas, Fidei habitum adhuc in eo caſu retineri, quia demeritoriè tantum poteſt, ac debet excludi, ſaltem ſequetur, poſſe Apoſtatam eſſe fidelem, ac iuſtum, quamuis ab illis diſcedat, quæ ſecluſo errore quouis, aut ignorantia inuincibili, prius, vt certa erat amplexus, & toto corde crediderat.

18 Probatur 2. Nam qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe, ex *Ioanne epiſt. 1. c. 5. verſ.* 10. Sed qui teſtimonium Dei habet in ſe, ac pro ſe illud repellere nequit, abſque grauiſſima culpa, cùm ſit teſtis omni exceptione maioris. Confirmatur. Nam Fides eſt fundamentum, quo ad inſtar petræ innititur tota moles ędificij ſpiritualis erigendi in corde noſtro, vt permaneat ſtabiliter: Ergo ex ſe, ac ratione ſui debet eſſe fortis, ac inuicta, ſicut petra, nullis ſcilicet ceſſura contrariis, quantumuis validè oppugnent conſiſtentiam eius; ſed omnibus reſiſtitura immobiliter. Quippe ædificium, quod nititur fundamento parum ſtabili, ruinoſum eſt, & infirmum. Fundamentum autem Fidei ideo petræ aſſimilatur,

quia vim prævalendi habet aduerſus quæcumque obſtantia, & ſemper firma conſiſtit. Vnde Chriſtus ita expoſuit *Matthæi 5. v. 24.* vtriuſque ſimilitudinem in hæc loquens: *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram.* Et hinc in caſu propoſito à *Petro Hurtado d. 14. de Fide §. 57.* de eo, qui in Hiſpania edoctus à ſuo Parocho, aut Epiſcopo de veritate Baptiſmi ab hæreticis collati, migraſſet in Africam, ibique vidiſſet Cyprianum, & alios plures Epiſcopos Sanctitate, atque doctrina percelebres contrarium prædicare, ac practicare; ille enim, ſi Fide ſupernaturali, ac theologica: ſeu propter auctoritatem, ac reuelationem Diuinam credidiſset Hiſpania veritatem illius Baptiſmi, in Africa non potuiſſet prudenter repudiare talem aſſenſum: qui enim verè credit, pro vt oportet ad ſalutem, adeo firmiter adhæret auctoritati Dei teſtificantis, vt neque Apoſtolo ipſi, neque Angelis de Cælo (ſi fieri poſſit) contrarium aſſeuerantibus fidem licitè adhibere poſſit, aut retrocedere à Fide ſemel habita, vt docebat *Paulus ad Gala. 1. verſ. 6.* atque deinceps: aſſenſus enim ſalutaris in ſe ipſo eſt infallibilis, & vt talis prudentiſſimè ab intellectu acceptatur adhærendo obiecto illius toto corde, & ſuper omnia: nemo autem licitè, aut prudenter repudiare valet aſſenſum; cuius obiecto tanquam omnino infallibili adeo firmiter adhæſit, niſi voluntariè decipiatur circa naturam illius, vt putet ſe ita aſſentiendo temerè, ac imprudenter egiſſe.

19 Probatur 3. Aſſenſum Fidei infuſæ neceſſariò præire debet iudicium credibilitatis euidenter proponens myſterium, & reuelationem eius eſſe prudenter credibilem, non vtcumque, ſed abſque vlla rationabili dubitatione, aut formidine. Hinc ergo euidentiæ repugnabit, qui repudiare voluerit aſſenſum Fidei iam habitum, niſi omninò ſit oblitus eius. Sed nemo poteſt prudenter recedere, aut repudiare eum aſſenſum, quem euidenter agnoſcit non niſi temerè poſſe retractari, aut elici cum formidine partis oppoſitæ. Nemo ergo poteſt elicere illum aſſenſum ſupernaturalem Fidei, quem antea ſemel habuerat. Confirmatur. Vt poſſit quis prudenter eum aſſenſum velle repudiare, neceſſarium eſt præuium iudicium prudentis repudiabilitatis, & conſequenter iuſtum, graueque motiuum ad repudiandum inducens. Atqui hoc motiuum in eo inueniri non poteſt, qui meminit ſe euidenter iudicaſſe aſſenſum talis obiecti prudenter potuiſſe haberi abſque vlla errandi formidine. Ergo. Patet minor. Nam motiuum, ex vi cuius poſſumus prudenter aliquem aſſenſum repudiare, etiam ſufficit, ad diſſentiendum prudenter obiecto illius: & à fortiori ad dubitandum de eius veritate, aut certitudine. Nec fieri poteſt vt quiſquam prudenter exuat intellectualem formidinem, & toto corde ac ſuper omnia aſſentiatur illi obiecto, quod prænoſcit poſſe optimo iure,

Digitized by Google

vt falſum, aut incertum improbari, & ratione graui, atque prudenti obnoxium eſſe formidini.

20 Probatur 4. Maiorem certitudinem, licèt obſcuram, habet aſſenſus ille ſupernaturalis, quam habet aſſenſus cauſatus ex demonſtratione naturali, licèt ſit euidens: ſed imprudenter agit, qui maiorem certitudinem repudiat propter minorem: Ergo &c. Maior docetur à *D. Thoma 1. p. q. 1. ar. 1.* vbi loquens de veritatibus de Deo cognoſcibilibus lumine naturalis aſſerit de his quoque neceſſarium fuiſſe (licet neceſſitate ſecundum quid, & ad melius eſſe) hominem inſtrui per Diuinam reuelationem, & rationem aſſignat dicens: *Quia veritas de Deo per rationem inueſtigata à paucis, & per longum tempus, & cum admiſtione multorum errorum homini proueniret.* Et inde concludit: *Vt igitur ſalus hominibus conuenientiùs, & certiùs proueniat, neceſſarium fuit, quod de Diuinis per Diuinam reuelationem inſtruantur.* Et etiam ratione patet; quia aſſenſus ſupernaturalis innititur teſtimonio Dei, quod eſt omnino infallibile, & omnem certitudinem ſuperat: ratio verò naturalis ſubeſt defectibilitati.

21 Probatur 5. Quia per aſſenſum ſupernaturalem meretur, non verò per aſſenſum naturalem: ſed imprudens exiſtimandus eſt, qui repudiat actum meritorium propter non meritorium: Ergo &c. Porrò ex doctrina ſatis probabili Thomiſtarum docentium non poſſe eſſe ſimul Fidem, & ſcientiam de eadem veritate, non infertur, quod poſſit quis prudenter repudiare aſſenſum ſupernaturalem Fidei; nam repudiare eſt reſpuere, aſpernari aliquid: Thomiſtæ autem non dicunt, quod qui habuit actum Fidei de exiſtentia Dei, ſi poſtea acquirat ſcientiam, poſſit repudiare, ac veluti apoſtatare ab actu Fidei ſupernaturali; ſed tantum nequit elicere actum Fidei primarium, qui nititur tantùm teſtimonio Diuino, non autem reſpuit, imò retinet in præparatione animi, ſi deeſſet ſcientia, in quo habet meritum; & actualiter habet etiam actum Fidei ſecundarium de exiſtentia Dei. Audi *Ludou. Bancel de Fide qu. 1. ar. 5.* in fine dicentem: *Philoſophus iſte præbet aſſenſum huic veritati exiſtentiæ Dei nedum propter ſuam ſcientiam, ſed etiam propter auctoritatem Dei hoc reuelanti, in Scriptura; & ex parte ſcientiæ melioris eſt conditionis, quam ruſticus ignarus, vt per ſe conſtat: ex parte verò iſtius aſſenſus eſt æqualis conditionis cum ruſtico: æqualem enim habet Fidei certitudinem, quia aſſentitur propter auctoritatem Dei, ex qua ſumitur tota certitudo Fidei: æqualis etiam meriti, quia eſt in ea præparatione animi, vt ſi non haberet ſcientiam de hac exiſtentia, haberet Fidem de ipſa: iſte autem aſſenſus eſt ſupernaturalis, & elicitur ab ipſa Fide non tanquam actus primarius, ſed tanquam ſecundarius.* Conſonat *Madernus tr. 9. q. 1. ar. 4. nu. 7.* dicens: *Quando dicimus actum ſcientiæ, & actum Fidei eiuſdem obiecti non poſſe eſſe ſimul, non negamus poſſe eſſe ſimul duos actus: nos enim libentiſſimè concedimus vnum naturalem, certum evidentia naturali, & ſcientificum; alterum ſupernaturalem, & certum certitudine orta ex Diuina*

reuelatione, & veritate Dei: quæ reuelatio apta erat dare illi actui non tantum entitatem certam ſupernaturalem; ſed etiam obſcuritatem. Cum autem obſcuritatem non poſſit dare, cum ſubiectum habens euidentiam ſit incapax illius, hinc eſt quod dici non poteſt, nec eſt actus Fidei formaliter; licet ſit certus, & ſupernaturalis, vt eſt actus Fidei.

PROPOSITIO XXI.

Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & vtilis, ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis, immò cum formidine, qua quis formidet, an ſit locutus Deus.

1 HAnc *Lumbier. to. 3. ſum. num. 1773.* aſſerit; damnatam eſſe propter quoſdam Recentiores, ſuppreſſis nominibus relatos, aſſerentes, vt quis eliciat actum Fidei ſupernaturalis circa obiectum aliquod ſingulare, ſufficit, ſi illud ſingulare, probabiliter contineatur ſub reuelatione certa Vniuerſali: V. g. ſuppoſita reuelatione de auxilio efficaci, quia probabile eſt, ſub auxilio efficaci contineri præmotionem phyſicam, poſse actum Fidei ſupernaturalis terminari ad talem præmotionem.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Fidei Diuinæ obiectum formale, ſeu ratio formalis credendi adæquatè eſt prima ſumma Dei veritas in dicendo.*

3 *Obiectum formale principale, & vltimatum eſt prima veritas, & auctoritas Dei, obiectum verò formale proximum, immediatum, & non vltimatum eſt ipſa Diuina reuelatio, ſeu verbum Dei formale.*

4 *Dei prima veritas, ſeu indefectibilis auctoritas in dicendo (obiectum formale principale Fidei) duas perfectiones Diuinas includit, & connotat. Primò infallibilitatem Diuini intellectus in cognoſcendo verum. Secundò indefectibilitatem Diuinæ voluntatis in volendo dicere, & reuelare verum.*

5 *Duplex eſt certitudo, obiectiua, & ſubiectiua. Illa eſt connexionis cum obiecto. Iſta eſt firmitas adhæſionis ad obiectum. Supponitur, primam eſſe de conceptu Fidei ſupernaturalis. Iuxta hoc decretum determinatur, an certitudo adhæſionis ad obiectum ſit etiam de conceptu eſſentiali actus Fidei.*

§. II.

Digitized by Google

§. II.

6 *Actus Fidei ſupernaturalis ita firmiter adhærere debet reuelationi, vt cum tali actu non ſit compoſſibilis mera probabilitas, aut formido Diuinæ reuelationis. Contrario cenſuræ huius decreti ſubiecto.*

7 *Prima probatio eliciur ex eo, quod per Propoſitionem proſcriptam deſtruitur certitudo aſſenſus Fidei, & reducitur ad ſolam probabilitatem, immò dubitationem.*

8 *Secundà ex eo quod non ſolum credi debet myſterium Eucbariſtiæ E.g. verum etiam illud eſſe à Deo reuelatum.*

9 *Tertia ex* Conc. Trid. ſeſſ *6.c.9. vbi ex formidine colligitur ſtatum gratiæ non cognoſci ab hominibus certa Fide.*

10 *Quarta ex eo, quod Fides fertur in omnia obiecta credenda ſub vnica ratione formali Diuinæ reuelationis.*

11 *Quinta, ex eo, quod Fides cum formidine, vel ſola probabilitate Diuinæ reuelationis non ſufficit in tota Eccleſia.*

12 *Sexta ex eo quod Apoſtolus exigit intellectum captiuatum in obſequium Chriſti, id eſt ligatum, & determinatum, non ſolutum, & liberum.*

13 *Opinio aſſerens poſſe terminari aſſenſum Fidei ſupernaturalis ad ea obiecta, quæ probabiliter continetur ſub vera reuelatione vniuerſali, eſt falſa, & ſubiecta cenſuræ huius decreti.*

14 *Falſitas eius oſtenditur ex eo, quod de conceptu eſſentiali Fidei Diuinæ eſt certitudo.*

15 *Quod ſubeat damnationem conuincitur ex eo, quod re vera propugnat Propoſitionem proſcriptam.*

16 *Soluitur obiectioni, quæ fieri ſolet de Hoſtia conſecrata.*

17 *Quandoque poteſt quis credere aſſenſu Fidei aliquod obiectum, quod ſibi certum eſt contineri ſub reuelatione vniuerſali: non tamen cæteri Fideles quibus non conſtat certò id obiectum contineri ſub reuelatione vniuerſali.*

18 *Quando datur certitudo moralis in gradu ſupremo, quod obiectum ſingulare continetur in vniuerſali reuelato, poteſt actus Fidei ſupernaturalis terminari ad obiectum ſingulare.*

19 *Secus ſi certitudo moralis non ſit in gradu ſupremo.*

20 *Eo ipſo, quod Theologi cenſent eſſe de Fide aliquod obiectum, poſſunt, & debent id credere per aſſenſum Fidei ſupernaturalis, abſque vlla formidine. Quod ſi formidant, non poſſunt id credere Fide ſupernaturali.*

PRO-

Digitized by Google

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. Quod ſicuti Fidei humanæ fallibilis obiectum, & motiuum formale, ſeu formalis ratio aſſentiendi, eſt veritas & auctoritas hominis dicentis, & ſi fallibilis: ità omninò Fidei Diuinæ infallibilis obiectum, & motiuum formale, ac ratio formalis aſſentiendi eſt ipſa prima, & ſumma Veritas Dei in dicendo, ſeu auctoritas infallibilis Dei reuelantis aliquid obſcurè; quia ſecundùm, & propter primam veritatem Dei in dicendo, ſeu infallibilem actoritatem Dei reuelãtis aliquid; Fidelis firmiter, certò, & infallibiliter aſſentitur veritatibus Fidei, cuique nititur infallibiis certitudo aſſenſus Fidei. Vndè Sacra Scriptura paſſim pro motiuis, & ratione aſſenſus Fidei aſſignat Diuinam reuelationem, veritatem, & auctoritatem infallibilem. *Matth. 16. Beatus es Simon Baronia, quia Caro, & Sanguis non reuelauit tibi, Sed Pater meus, qui in Cælis eſt. 1. Io. 1. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo: qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe, ad Theſſal. 2. Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, & verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis:* & alijs locis multis.

3 Notandum eſt 2. Quod obiectum hoc formale adæquatum, ſcilicèt prima veritas Dei reuelantis, duo includit, ipſam primam veritatem Dei, & ipſam reuelationem, ſeu locutionem Dei, nimirum verbum Dei formale: ita nimirum (vt ex communi rectè notat *Tannerus to. 3. d. 1. q. 1. dub. 3. nu. 34.*) vt obiectum formale: principale, & vltimatum ſit dicta prima veritas, & auctoritas Dei, obiectum verò formale proximum, immediatum, & non vltimatum ſit ipſa Diuina reuelatio, ſeu verbum Dei formale. Etenim Fidelis quiſpiam rogatus, Cur credat talem propoſitionem V. g. Deum eſſe vnum, & trinum, Verbum carnē factum, &c. immediatè, & rectè reſpondet; quia Deus reuelauit: rogatus vlterius, cur credat Deo reuelanti, ſeu Verbo Dei? Reſpondet; quia ipſe eſt prima, & ſumma veritas, & infallibilis auctoritatis in dicendo. Et hic eſt ſtatus; nam quærens vlterius, cur credat primæ veritati, ſtultè quærit, nec eſt reſponſione dignus, vt bene notat *Caiet. 2. 2. qu. 1. ar. 1.*

4 Notandum eſt 3. Dei primam veritatem, ſeu infallibilem auctoritatem in dicendo (obiectum formale principale Fidei) duas perfectiones Diuinas includere, & connotare. Primò Infallibilitatem Diuini intellectus in cognoſcendo vero: Secundò Indefectibilitatem Diuinæ voluntatis

in

in volendo dicere, & reuelare verum; adeoque vt vtrique repugnat Deo, & in intellectu poſſe falli cognoſcendo aliquod falſum, & in voluntate poſſe fallere volendo dicere, vel reuelare aliquod falſum, & verbo poſſe mentiri. Vt late demonſtrant Theologi communiſſimè. Et hinc ſicut omnia à Deo reuelata, ſunt infallibilis veritatis, vt repugnet eis ſubeſſe falſum: ita actus, vel aſſenſus Fidei ob id ſortitur infallibilem certitudinem, & ſi obſcurus ſit, vt plenè §. ſequenti oſtendetur. Ipſa quoque reuelatio Diuina, ſeu verbum Diuinum formale ſimiliter duo includit. Primo locutionem Dei internam, hoc eſt ipſum conceptum diuinæ mentis de veritate aliqua credenda. Secundò locutionem Dei externam, ſeu manifeſtationem talis veritatis, vt potè per inſpirationem, per voces, per ſcripturas, vti nunc maximè ex Scriptura Sacra, quibus omnibus veluti inſtrumentis Deus hominibus ſuos conceptus manifeſtat, atque reuelatio, ſeu verbum Dei, prout vtrumque includit, eſt obiectum formale proximum Fidei.

5 Notandum eſt 4. cum *Suarez de Fide d.6. ſect.5. num.7.* & alij, duplicem eſſe certitudinem, obiectiuam, & ſubiectiuam. Illa eſt connexionis cum obiecto, quatenus impoſſibile eſt dari actum, quin etiam tale ſit obiectum, quale repræſentatur per actum. Subiectiua eſt firmitas adhæſionis ad obiectum, quatenus actus ita firmiter tendit in obiectum, vt nullam ſecum compatiatur dubitationem, aut formidinem. Dicitur, autem *ſubiectiua*; quia eſt adhæſio ſubiecti ad obiectum. Itaque hæ duæ formalitates diuerſæ ſunt: & quod myſterium Incarnationis, V.g. ſit certum, vt non poſſit eſſe aliter, quam repræſentatur per actum Fidei (quod in Commentario præcedenti vocauimus verum) & quod actus Fidei habeat firmiſſimam tendentiam in Myſterium Incarnationis, ita vt de eo nequeat intellectus dubitare, aut formidare. Hic ſupponitur, certitudinem obiectiuam, ſiue connexionem cum eo, quod obiectum ita ſit, eſſe de conceptu Fidei ſupernaturalis, & ideo Fidem ſupernaturalem non poſſe inniti reuelationi falsò exiſtimatæ. Quod optime probat *Suar.d.3. de Fide ſeſſ.13. ex Conc.Trident.* & ex S. Scripturæ teſtimonijs. Nec deeſt ratio à priori. Nam lumen intellectuale Diuinum, & ſupernaturale, ad Fidem ſupernaturalem requiſitum, ex natura ſua eſt determinatum ad aſſentiendũ Diuino teſtimonio, vere, & realiter teſtificanti; quia eſt velut inſtrumentum Spiritus Sancti, per quod mouet intellectum ad aſſentiendum: & ideo debet eſſe proportionatum veritati Spiritus Santi. Remanet ergo pro elucidatione damnationis huius Propoſitionis determinare, an certitudo adhæſionis ad obiectum ſit etiam de conceptu eſſentiali actus Fidei: Et ſit,

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum.

6 DIco 1. Actus Fidei ſupernaturalis ita firmiter adhærere debet reuelationi, vt cum tali actu non ſit compoſſibilis mera probabilitas, aut formido Diuinæ reuelationis. Et contrarium cenſuræ huius decreti ſubijcitur.

7 Probatur 1. Per propoſitionem proſcriptam deſtruitur certitudo aſſenſus Fidei, & reducitur ad ſolam probabilitatem, immò ad dubitationem: Ergo meritò decreti huius cenſuræ ſubjcitur. Probatur antecedens. Si probabiliter tantum cognoſcitur reuelatio Diuina, probabiliter tantùm cognoſci poſſunt veritates reuelatæ, quæ non alia ratione cognoſci poſſunt per Fidem, niſi quatenus à Deo reuelatæ; & ſi de reuelatione dubitatur, dubitari neceſſe eſt de veritate reuelata: Ergo, &c. Antecedens patet ex naturalibus: ſi enim probabiliter tantum cognoſcitur aliquod eſſe colorem, vel de hoc dubitatur, probabiliter tantum cognoſcitur eſſe viſibile, & de ipſa viſibilitate dubitatur: ſed ita reuelatio Diuina eſt ratio, cur aſſentiamur veritatibus reuelatis, ſicut ratio coloris eſt ratio viſibilitatis: Ergo, &c. Propterea credens dictis Petri, dum dubitat, an aliquid ab eo dictum ſit, dubitat quoque an credat: ſed cum dubio non ſtat fides; immo *dubius in Fide infidelis eſt*, vt dicitur in *c. dubio, de hæreticis*, & nos ſuo loco: & certè qui dubitat, an credat, non dum credit: Ergo, &c.

8. Probatur 2. Non ſolum credi debet myſterium Euchariſtiæ, V. g. verùm etiam illud eſſe à Deo reuelatum: quapropter non tantum myſtica, ſed Diuina etiam teſtimonia credibilia facta ſunt nimis, Regio Pſalte id atteſtante, & cum Angelico Doctore, *Capreolo, Caietano, Valentia*, & aliis communiter, ex profeſſo *Suar. d. 3. de Fide ſect. 12.* maxime à *n. 7.* etenim non tantum reuelat myſterium, ſed etiam dicit ſe id dicere, & ſe eſſe, qui nobis loquitur. Vtrumque itaque eſt de Fide, & vtrumque neceſſarium ad credendum prout oportet: & abſque dubio eſſet hæreticus, qui quodlibet ex iſtis pertinaciter negaret, aut in dubium reuocare auderet: ideò Hæretici communiter non ideò decrerant Fidem, quia de Dei veracitate in loquendo, & cognoſcendo formidant; ſed quia timent, nè fortè non ſit locutus Deus, quod ab Eccleſia proponitur, vt ab ipſo reuelatum: Ergo ſicut fieri nequit, vt probabiliter iudicet, fortaſſe non eſſe verum myſterium, qui illud credit Fide ſalutari, ita etiam fieri non poteſt, vt de ipſius reuelationis exiſtentia, ac veritate probabiliter formidet, qui eiuſmodi aſſenſum habet. Nam credendo Fide ſalutari, atque adeo certa, & prudenti, reuelationem exiſtere, circa ipſam exerceret

ret

ret Fidem ſupernaturalem; formidando verò, ac iudicando, illam fortè non exiſtere, circa eamdem reuelationem, Fidem ſibi ſufficienter propoſitam, & acceptatam, pertinaciter erraret: & (quod hinc ſequitur, & contradictionem implicat) circa vnum & idem ſub eadem ratione ſumptum ſimul foret hæreticus, & fidelis.

9 Probatur 3. *Concilium Trid.ſeſſ.6.c.9.* ex formidine, qua meritò homines timere poſſunt, nè non ſint in ſtatu gratiæ, colligebat eumdem ſtatum non cognoſci ab ipſis certa fide: Ergo ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis eadem euidentia inferri poteſt id, quod certà fide creditur, ſiue ſit reuelatio, ſiue aliud, non credi cum actuali contrariæ partis formidine.

10 Probatur 4 Fides fertur in omnia obiecta credenda ſub vnica ratione formali reuelationis Diuinæ: ſi ergo Fides eſt notitia certa rei cuiuſcumque reuelatæ, eſt etiam ipſius reuelationis, & ſi probabiliter non poteſt ferri in veritatem reuelatã, nec in ipſã reuelationem, ſubindeq; &c.

11 Probatur 5. Fides cum formidine, vel ſola probabilitate reuelationis Diuinæ non ſufficit in tota Eccleſia: Ergo neque in ſingulo fideli. Conſequentia patet; quia aliter Eccleſia eſſet veluti ſecta Academicorum nihil habentium pro certo, & de omnibus dubitantium: & cum fundamentum Eccleſiæ ſit Fides, ipſum erit labile, non ſtabile, ſupra quod firmum ædificium fundari non poteſt.

12 Probatur 6. In aſſenſu Fidei requiritur captiuitas intellectus: ſed in notitia probabili, ac formidoloſa reuelationis non adeſt iſta captiuitas: iſte enim formidans non habet captiuatum intellectum in obſequium Chriſti, vt loquitur Apoſtolus 2.*Cor.*10. ideſt ligatum, & determinatum; ſed ſolutum, & liberum, ſeù indifferens: Ergo, &c.

13 Dico 2. Opinio aſſerens, poſſe terminari actum Fidei ſupernaturalis ad ea obiecta, quæ probabiliter continentur ſub vera reuelatione vniuerſali, eſt falſa, & ſubiicitur huic damnationi.

14 Quod ſit falſa, & reiicienda, docent *Suarez d.3. de Fide ſect.13. num.9. Petrus Hurtadus d.11.de Fide ſect.4.Card.de Lugo de Fide d.1. ſect. 13.§ 4. num.322.* aliique. Et probatur. Quia de conceptu eſſentiali Fidei Diuinæ eſt certitudo: ſed aſſenſus, qui terminatur ad ea obiecta, quæ probabiliter continentur in reuelatione, caret certitudine. Ergo non eſt aſſenſus Fidei Diuinæ. Probatur minor; nam cum ſolum ſit probabile, reuelationem extendi ad illud obiectum, poteſt dari formido in oppoſitum: formido autem, & certitudo ſe mutuo excludunt. Confirmatur. Si poſſet credi Fide Diuina obiectum probabiliter contentum in reuelatione; poſſet homo, qui confeſſus eſt ſua peccata cum contritione, & propoſito non peccandi de cætero, credere Fide Diuina ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Atqui hoc repugnat definitioni *Conc. Trid.* ſupra relatæ: Ergo obiectum probabiliter contentum in reuelatione non poteſt credi actu

Digitized by Google

Fidei Diuinæ. Maior patet; nam qui taliter confeſſus eſt omnia ſua peccata probabiliter cenſet, ſe ritè confeſſum eſſe, atque ideò contineri ſub eo obiecto vniuerſali reuelato: *Omnis fidelis, qui ritè co fitetur omnia ſua peccata, eſt in ſtatu gratiæ*: Ergo actu Fidei Diuinæ poſſet credere, ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

15 Quod verò ea opinio ſubiiciatur huic damnationi, exprimunt *Lumbier tom.3.ſum.num.*1773. *Cardenas diſſert.*14.*c.*2. *num.*13. aliique. Et manifeſtè ſic oſtenditur. Huic damnationi ſubiicitur propoſitio, quæ propugnat, actum Fidei Diuinæ ſtare cum notitia ſolum probabili reuelationis, aut cum formidine de exiſtentia reuelationis: ſed aſſenſus, qui terminatur ad obiectum ſingulare probabiliter contentum ſub reuelatione vniuerſali, ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis, & cum formidine de exiſtentia reuelationis: ergo talis opinio huic damnationi ſubijcitur. Maior patet ex ipſo tenore decreti. Minor probatur. Nam, qui dicit, ſe credere Fide Diuina ſenſum probabiliter contentum textu Sacræ Scripturæ: vel id credit, quia talis ſenſus eſt reuelatus à Deo, & contentus in reuelatione Dei; vel non credit propter hoc motiuum, aut determinatiuum: Si hoc ſecundum dicas: quomodo poteſt eſſe actus Fidei Diuinæ, ſi id non credit, quia Deus dixit? Eſt enim de eſſentia actus Fidei Diuinæ credere, quia Deus dixit. Si verò primum dicas. Senſus probabiliter contentus in textu ſcripturæ, ſolum eſt probabiliter reuelatus: Ergo ille actus ſtat cum notitia probabili de tali ſenſu reuelato, & cum formidine, nè reuelatus à Deo fuerit. Similiter, ſi quis crederet præmotionem phyſicam contineri probabiliter in auxilio efficaci reuelato à Deo ſolum haberet notitiam probabilem, quod prænotio phyſica reuelata eſſet à Deo: Ergo aſſenſus ille Fidei ſtaret cum probabilitate de reuelatione facta à Deo circa præmotionem, & cum formidine de reuelatione facta à Deo.

16 Ad obiectionem, quæ fieri ſolet de Hoſtia conſecrata, ita reſpondet *Granadus controu.*1.*de Fide tr.*1. *d.*6.*ſect.*2.*num.*15. *Reſpondet S. Thomas ar.*3. *ad* 4. *Fidem non inclinare ad credendum, Chriſtum Dominum determinatè eſſe in hac numero Hoſtia, vel illa: ſed in ea, quæ fuerit ritè conſecrata: & ita numquam exponitur Fides falſitati. Nec propterea cum aliquis hanc, vel illam Hoſtiam adorat, appoſiturus eſt conditionem, ſi nimirum ſit ritè conſecrata: hoc enim reprehenſione dignum eſſet, & deuotionem multum imminueret; ſed ſat eſt implicita conditio, qua iam ſupponunt Fideles ſe credere, & adorare ſub illis ſpeciebus Chriſtum Dominum ſuppoſita vera conſecratione, & non aliter*. Hucuſque *Granadus*. Iuxta quam reſponſionem, actum Fidei ſupernaturalis eliciunt fideles, dum credunt, ſub ea conditione, licet non expreſſa, ſed implicita. Quo pacto aſſenſus ita implicitè conditionatus eſt verus actus Fidei ſupernaturalis. Neque enim creditur aſſenſu Fidei ſupernaturalis, hanc Hoſtiam eſſe ritè conſecratam; quia de hoc eſt ſola

pro-

Digitized by Google

probabilitas, & ſtat cum formidine de vera conſecratione, ſed ſub conditione implicita; quod hæc Hoſtia ſit ritè conſecrata, elicitur aſſenſus Fidei Diuinæ ad credendum, ibi eſſe Chriſtum realiter præſentem. Sicut etiam eſt de Fide, quod ſi is ſenſus eſt verè contentus in illo textu Sacræ Scripturæ, eſt abſolutè verus, & conſequenter, qui ſub illa conditione aſſenſum præſtat illi ſenſui, elicit actum ſupernaturalis Fidei; quia ille aſſenſus conditionatus non nititur reuelationi probabiliter cognitæ, neque formidat de reuelatione ita conditionatè apprehenſa. Porrò actus Fidei terminatus ad hanc numero Hoſtiam, includit eam tacitam conditionem: at actus adorationis non eſt neceſſe, quod illam includat. Nam adorationi præcedunt duo actus, alius Fidei ſupernaturalis, qui includit illam tacitam conditionem: & alius Prudentiæ, qui innititur fundamento moraliter certo, quod hic eſt verus Sacerdos, & habens intentionem conſecrandi: qui actus purificat illam conditionem: atque adeo adoratio procedit abſolutè, & ſine conditione.

17 Præterea adnotandum eſt, quod aliquando poteſt quis credere aſſenſu Fidei ſupernaturalis aliquod obiectum, quod ſibi certum eſt, contineri ſub reuelatione vniuerſali, nec in hoc decipitur: cum tamen reliquis fidelibus non conſtet certò, id obiectum contineri ſub reuelatione vniuerſali. Tunc enim non dicitur eſſe abſolutè de Fide illud obiectum ſingulare, quamuis ille, cui certò conſtat, illud contineri ſub reuelatione vniuerſali, poſſit credere illud Fide Diuina. Sic abſolutè non eſt de Fide, ſub hac numero Hoſtia conſecrata à Summo Pontifice contineri præſentiam realem Chriſti Domini, vt notauit *Card. de Lugo d. 1. de Fide ſect. 13. §. 5. num. 320.* aſſerens, non debere nos id de Fide credere, niſi ſub conditione expreſſa, vel tacita, aut præſuppoſita: quia licet ſit de Fide eum eſſe ſupremum Sacerdotem, poſſumus dubitare, aut formidare, an habuerit intentionem conſecrandi. Ipſe verò Pontifex, qui certo ſcit, ſe habuiſſet intentionem conſecrandi, poteſt credere Fide Diuina in ea numero Hoſtia eſſe realiter præſentem Chriſtum Dominum. Quia ex reuelatione vniuerſali, quod in Hoſtia ritè conſecrata eſt realiter præſens Chriſtus Dominus, certò ſcit contineri hanc Hoſtiam ritè à ſe conſecratam, cum aliunde Fide Diuina credat, ſe eſſe Supremum Sacerdotem, vt notauit *Petrus Hurtadus d. 11. de Fide ſect. 2. num. 21.* Et idem eſt de baptizante infantem, qui certus eſt de ſua recta intentione, & de materia, & forma, poteſt credere aſſenſu Fidei, hunc infantem accepiſſe gratiam: quia ei certò conſtat, hoc ſingulare eſſe contentum ſub reuelatione vniuerſali, quod *Omnis infans ritè baptizatus accipit gratiam iuſtificationis*, vt notauit *Card. de Lugo cit. ſect. 13. §. 3. num. 304.* in hæc verba: *Poſtquam baptizanti conſtat de baptiſmo ritè collato, iam incipit ei eſſe de Fide, quia ei iam conſtat, Deum de hoc paruulo loquutum fuiſſe.* Non tamen rectè dicitur, eſſe de Fide, illum paruulum accepiſſe gratiam baptiſmi: quia, vt

ipſemet *Card. de Lugo* ait *num. 302. Aliud eſt, propoſitionem aliquam ſecundum ſe eſſe de Fide, aliud verò, eſſe nobis de Fide. Ad primum enim ſufficit, quod ſit verè à Deo reuelata; ad ſecundum verò requiritur, quod reuelationis ſenſus, & ſignificatio nobis ſufficienter conſtet.*

18 Dico 3. Quando datur certitudo moralis (certitudo, inquam in gradu ſupremo) quod obiectum ſingulare continetur in vniuerſali reuelato, poteſt actus Fidei ſupernaturalis terminari ad obiectum ſingulare; ideòque obiectum ſingulare credi debet Fide Diuina. Ita *Suarez d. 3. de Fide ſect. 11. num. 6.* qui quamuis non vtatur terminis certitudinis moralis, tamen exempla, quæ affert, illam important. *Petrus Hurtadus d. 11. de Fide ſect. 3.* citans *Bellarm. to. 1 l. 2. de auctor. Concil. c. 9. Item Card. de Lugo d. 1. de Fide ſect. 13. §. 5. nu. 313.*

Probatur. Quia obiectum Propoſitionis vniuerſalis non diſtinguitur ab ipſis ſingularibus: & ita, quando Deus reuelat, ſe velle, omnem hominem ſaluum fieri; reuelat, ſe velle, Petrum, Paulum, Ioannem, &c. ſaluos fieri. Atqui certitudo moralis eſt illa, quæ omnem prudentem ita reddit certiorem de obiecto, vt non poſſit de illo formidare: Ergo quando hoc genere certitudinis conſtat, ſingulare contineri ſub reuelatione vniuerſali; certum manet, quod Deus id reuelauit, vtpote certè incluſum in tali reuelatione vniuerſali. Sic enim non conſtat nobis euidentia phyſica, aut methaphyſica, quod extiterit Concilium Tridentinum, ſed ſola euidentia morali; & tamen, quia Deus reuelauit, omne Concilium legitimè congregatum non poſſe errare in doctrina Fidei, & morali euidentia ſcimus, Tridentinum extitiſſe legitimè congregatum; Fide Diuina credimus, Tridentinum non poſſe errare in doctrina Fidei.

19 Cæterum, cum certitudo recipiat magis, & minus, ea, qua quis dicitur certus de continentia huius indiuidui in reuelatione, debet eſſe maxima, & ſuprema. Vnde pro re præſenti poſſumus diſtinguere tres gradus certitudinis moralis, ſupremum, medium, & infimum. Et vt ab hoc incipiamus. Infimus eſt, quando prudentes habent aliquid pro certo, ex eo quod communiter accidit, quamuis in raris caſibus oppoſitum acciderit. Sic dicitur certum, quod plenè probatum, eſt in iudicio. Sic etiam habemus pro certo, quod infans baptizatus à Parocho in Eccleſia, ſit rectè, & validè baptizatus: non enim eſt prudenter credibile, quod Parocho defecerit intentio ritè, & rectè baptizandi. Supremus gradus certitudinis eſt, quando tanta, tamque vrgentia motiua credibilitatis concurrunt, vt impoſſibile ſit, hominem prudentem, qui illa percipit, poſſe dubitare, aut formidare. V. g. quod exiſtat Roma; quod Concilium Tridentinum fuerit ritè congregatum, & ſimilia. Gradus medius dicendus eſt, quando pro certitudine concurrunt multò plura, & maiora motiua, quam in gradu infimo: quæ tamen non perueniunt ad illam impoſſibilitatem formidandi, quæ reperitur in ſupremo. Hæc ergo aſſertio intelli-

ligitur ſolum de certitudine morali in gradu ſupremo. Et ſic non obſtat dicere; quod eſt certum moraliter, phyſicè poſſe, aut ſaltem metaphyſicè non implicare aliter eſſe. Negatur enim: id, quod eſt certum moraliter in ſupremo gradu ex ſuppoſitione talis certitudinis, & veritatis ad illam præſuppoſitæ, poſſe aliter eſſe. Cætera videas apud *Petrum Hurtadum,& Card.de Lugo.*

20 Dico 4. Eo ipſo, quod Theologi cenſeant, eſſe de Fide aliquod obiectum, poſſunt, & debent id credere per aſſenſum Fidei ſupernaturalis abſque vlla formidine. Quod ſi non poſſunt id credere per aſſenſum Fidei ſupernaturalis abſque formidine: non poſſunt aſſerere, id obiectum eſſe de Fide.

Probatur prima pars. Eo ipſo, quod Theologi cenſent, id obiectum eſſe de Fide, conſequenter cenſent à principiis intrinſecis ſuam ſententiam eſſe certam, & oppoſitam non eſſe probabilem, quamuis dicatur probabilis ab extrinſeco, ſcilicet ex auctoritate aliorum Doctorum: Ergo abſque vlla formidine cenſent eſſe de Fide: Ergo nulla in eis datur formido, quominus eliciant aſſenſum Fidei ſupernaturalis circa tale obiectum, quod cenſent à Deo reuelatum.

Probatur ſecunda pars: De conceptu eſſentiali aſſenſus Fidei eſt vtraque certitudo, nempè connexionis cum obiecto, & adhæſionis ad obiectum, vt ſupra probatum eſt: ſed Auctores affirmantes probabiliter, aliquod obiectum eſſe de Fide, atque adeò credi debere Fide ſupernaturali, non habent certitudinem adhæſionis ad obiectum. Ergo circa obiectum non habent aſſenſum ſupernaturalem Fidei. Probatur minor; quia formido de certitudine eſt formido de reuelatione: Atqui afferentes probabiliter certitudinem reuelationis, illam aſſerunt cum formidine: Ergo cum incertitudine adhæſionis ad obiectum: Ergo ſine certitudine talis adhæſionis.

Maneat ergo firmum, quod Theologi affirmantes abſolutè, aliquod obiectum eſſe de Fide, V.g.hunc hominem, ſeù SS.Clementem XI.eſſe verum Pontificem maximum, eo ipſo id affirmare non probabiliter, ſed certò certitudine connexionis cum obiecto, & adhæſionis ad obiectum. Cum ergo affirment (& ego cum illis) illud obiectum eſſe certum de Fide, illi à principiis intrinſecis certi ſunt de veritate obiecti, & quod à principiis intrinſecis ſibi ſufficienter propoſita eſt reuelatio. Illis verò, qui non afferunt id eſſe de Fide (ea eſt ingeniorum varietas) non eſt ſufficienter propoſita ea veritas fortaſſe, quia non penetrant motiua credibilitatis.

§. SE-

Digitized by Google

PROPOSITIO XXII.

Non niſi Fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

1 HÆc communiter tribuitur *Arriagæ tom.5.d.12. ſect.4.* & alijs quibuſdam. Verum iſti videntur loqui non vniuerſaliter, ſed in aliquibus caſibus, ſed eorum opinio etiam limitata ſubiacet damnationi, & patebit.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Sermo eſt in hac Propoſitione de iuſtificatione adultorum, qui proprijs actibus ſe ad eam diſponunt.*

3 *Et intelligitur diſquiſitio hæc de neceſſitate medij Fidei Dei remuneratoris, de præſenti inſtitutione, ac prouidentia.*

4 *Articulus Fidei neceſſarius neceſſitate medij de exiſtentia Dei, eſt de exiſtentia Dei ſupernaturalis, ſeu vt auctoris ſupernaturalis.*

§. II.

5 *Non ſolum Fides explicita exiſtentiæ vnius Dei, ſed etiam vt remuneratoris neceſſaria eſt neceſſitate medij.*

6 *Probatur ex celebri loco* Apoſtoli ad Hebr.11. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit, *adiuncta probatione elicita ex Fide Henoch.*

7 *Nomine Remuneratoris intelligitur Numen, quod habet prouidentiam de rebus humanis, remunerando non ſolum remuneratione naturali, ſed etiam ſupernaturali, præmiatiua bonorum, & punitiua malorum: & in hac, & potiſſimum in altera vita.*

8 *Oſtenditur ex eodem loco Apoſtoli, ac ex* Trid.ſeſſ.6.c.6.

9 *Opinio quorumdam aſſerentium, Fidem requiſitam ad iuſtificationem eſſe de Deo, vt remunerante ex bonis temporalibus, & naturalibus huius vitæ, incurrit hanc damnationem.*

10 *Fides explicita Dei vt remuneratoris eſt neceſſaria neceſſitate medij etiam ad primam iuſtificationem, non ſolum regulariter loquendo, & frequentius, ſed ſemper.*

11 *Suadetur ex teſtimonio ſæpè memorato* D.Pauli ad Hebr.11. *& ex* Trident.*multis in locis, præcipuè* ſeſs.6.c.7.

12 *Satisfit caſui adducto ab* Arriaga.

13 *Subit damnationem ſententia* Filgueræ *dicentis, poſſe iuſtificari hominem,* qui

Digitized by Google

qui nihil cogitans de Deo, vt remuneratore, & attendens ad Deum, vt amabilem ſuper omnia, eliceret actum charitatis.

14 *Oſtenditur ex* Trid.ſeſſ.6.c.7, *& ex eo, quia contradicit Decreto dicere id euenire, eo quod in actu charitatis, tamquam in forma perfectiori, & eminentiori continetur Fides de Deo, vt remuneratore.*

15 *Si non præcedat Fides Dei vt remuneratoris, non ſit actus ſupernaturalis dilectionis Dei ſuper omnia in præſenti prouidentia.*

16 *Subiacet damnationi ſententia* Ripaldæ, *&* Leandri *negantium hanc neceſſitatem in iuſtificatione peccatoris fidelis.*

17 *Probatur, tum ex loquutionibus vniuerſalibus Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, tum ſpecialiter ex* Trid.ſeſſ.6.c.8.

18 *Sufficit tamen Fidei explicitæ Remunerationis actus virtualiter permanens, ſeu retractatus pro ſequentibus iuſtificationibus.*

19 *Oſtenditur tripliciter.*

20 *Eadem neceſſitate medij eſt neceſſaria Fides explicita immortalitatis animi, liberi eius arbitrij, ac capacitatis ad beatitudinem: nec non indigentiæ auxilij Diuini, vt conſequatur præmia.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. In hac Propoſitione ſermonem eſſe de iuſtificatione adultorum, qui propriis actibus ſe ad gratiam diſponunt; nam paruulis, qui ante vſum rationis baptiſmum ſuſcipiunt, neque Fides vnius Dei ipſorum propria poteſt eſſe neceſſaria ad Fidem habitualem ſimul cum gratia obtinendam: hic autem actualis Fides & explicita Dei vt remuneratoris neceſſaria eſſe negatur neceſſaria medii eiſdem ipſis, quibus Fides vnius Dei eodem modo neceſſaria eſſe putatur.

3 Notandum eſt 2. de præſenti inſtitutione, ac prouidentia intelligendam eſſe diſquiſitionem de neceſſitate medij Fidei: nam de neceſſitate abſoluta haud dubium, quin poſſit Deus creaturæ vtenti ratione gratiam, aut gloriam conferre, quin ex parte illius præcedat vllus Fidei, aut charitatis actus. Immò non deſunt, qui affirment, tam Angelos, quam Adamum, in ſtatu innocentiæ de facto abſque vlla præuia diſpoſitione à Deo Sanctificatos fuiſſe, vt *Sotus l.1. de natura, & gratia c.5. & Molina 1. p. q.62. ar.3. ad* 1. neque id poſſibile negant, qui oppoſitum opinantur.

4 Notandum eſt 3. Aliquos Doctores docuiſſe, quod articulus Fidei neceſſarius neceſſitate medij de exiſtentia Dei, eſſe de exiſtentia eius naturali, ſeu quatenus credatur, quod Deus datur vt cauſa, & auctor naturalis omnium rerum, Ita *Suarez, Hurtadus, Card. de Lugo, Arriaga*, & alij,

alij. Sed hanc ſententiam non poſſe ſubſiſtere, docent alij; quia ſecus Philoſophus Catholicus, qui habet demonſtrationem de exiſtentia Dei, vt auctoris naturalis, careret medio neceſſario ad ſalutem; quia demonſtratum nequit eſſe Fidei creditum apud demonſtrantem. Sic *Salmant. tr. 17. d. 6. dub. 1. num. 73.* alijque. Et licèt poſſe in eodem intellectu dari ſcientiam, & Fidem de eadem veritate, docent probabiliter aliqui Doctores: tamen contrarium, quod eſt communius eſt etiam ſatis probabile; & iuxtà hanc ſententiam procedit argumentum factum. Niſi velimus dicere cum *Caietano 2. 2. q. 2. ar. 4. Gabr. a S. V. d. 2. de Fidei actu §. 3.* & alijs non eſſe neceſſarium Fidem exiſtentiæ Dei in ijs qui habent ſcientiam, quod Deus ſit: quod tenere non videtur tutum. Aſſerendum eſt ergo cum communiori ſententia, quod hic articulus Fidei eſt de exiſtentia Dei ſupernaturali, quatenus credatur, quod detur vnum Numen, omninò diſtinctum à creaturis, ab iiſque independens, & includens omnia credibilia de ipſo, qui ſit auctor omnium rerum, ſeù omnis boni. Ita *Salmant. Philippus a SS. Trinit. Madernus*, & alij cum *D. Thoma qu. 14. de verit. ar. 9. ad. 8.* dicente: *Veritas eſſentiæ talis, qualis ponitur à Fidelibus, ſcilicet cum omnipotentia, & omnium prouidentia, & alijs huiuſmodi, quæ probari non poſſunt, articulum conſtituunt.* Vnde in hoc articulo implicitè continentur omnes Dei perfectiones, ſcilicèt, quod ſit verax, ſapiens, iuſtus, miſericors, Omnipotens, &c. *Salmant.* vbi ſupra *nu. 74.* Et præcipuè continetur Æternitas vt docet *S. Thomas lect. 2.* in locum Apoſtoli ad *Hebr. 11.* ibi: *Oportet credere accedentem, quia eſt, quod dicit, propter eius Æternitatem Exodi 3. Qui eſt miſit me.* Non tamen neceſſario hac neceſſitate credi debet exiſtentia Dei ſub omni conceptu particulari explicito: aliàs nemo haberet illam Fidem explicitam; ſed ſub aliquo communi ipſi proprio; V. g. quod ſit primum principium omnium rerum, finis omnis creaturæ, & ſummè bonus, ita vt creaturæ rationales ipſum amare, & reuereri debeant. *Bayninus de Fide c. 3. q. 2. concl. 2.* De Fide explicita Dei remuneratoris hic agitur. Et quid ſit neceſſitas medij, quæque Fides explicita ſupponitur explicatum in *Comment. ad Propoſ. 16.* His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta decretum.

5 DIco 1. Non ſolum Fides explicita exiſtentiæ vnius Dei, ſed etiam vt Remuneratoris neceſſaria eſt neceſſitate medij. Ita communiter Theologi, cum *D. Thoma in 3. d. 25. q. 3. ar. 2. quæſt. 2.* Et contrarium hoc decreto ſub cenſura abijcitur.

6 Probatur ex Apoſtolo ad *Hebr. verſ. 6. Sine Fide autem impoſſibile eſt pla-*

placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Vbi verbum *oportet* applicatur pariformiter Fidei diuinæ exiſtentiæ, & Fidei remunerationis: Atqui reſpectu illius non congruitatem, ſed medij neceſſitatem ſignificat: ergo etiam reſpectu Fidei remunerationis. Tum quia exinde probat Apoſtolus, impoſſibile eſſe Deo placere ſine Fide: impoſſibile autem id non foret, ſi non eſſet medium neceſſarium placituris Dei Fides exiſtentiæ, & remunerationis Dei, ſed abſque illa poſſent homines obtinere iuſtitiam alijs actibus. Tum denique, quia ibi Apoſtolus ex eo, quod Henoch placuit Deo, (vt habetur *Gen. 5. verſ. 22. & 29.* vbi dicitur ambulaſse cum Deo: & Eccleſiaſtici *c. 44. v. 16.* vbi dicitur placuiſse Deo) probat habuiſse Fidem exiſtentiæ, & remunerationis diuinæ, quia ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo; quia accedentem ad Deum neceſse eſt credere, eum exiſtere, ac remunerari opera inquirentium ipſum: hic autem diſcurſus Apoſtoli impertinens eſset, ac infirmus in ſententia auctorum Propoſitionis damnatæ: Fides enim Dei, vt remuneratoris ex doctrina Aduerſariorum neceſſaria non eſt ad eum finem, ſed abſque illa poteſt obtineri tam iuſtitia, quam æterna ſalus, ſicut abſque Fide aliorum, quæ ſolum eſt neceſsaria neceſſitate præcepti.

7 Dico 2. Nomine Remuneratoris intelligitur Numen, quod habet prouidentiam de rebus humanis, remunerando non ſolum remuneratione naturali, in bonis ſcilicet naturalibus, & temporalibus, ſed etiam remuneratione ſupernaturali, præmiatiua bonos, & punitiua malos, ſeù decernens præmia Iuſtis ſupplicia Improbis: non tantum in hac vita, ſed potiſſimum æterna in futura. *D. Thomas in 3. d. 25. qu. 1. ar. 2. qu. 1. ad 1. & d. 14. de verit. ar. 11. Anton. à Spir. Sanct. p. 3. direct. Confeſſ. tr. 1. d. 1. nu. 10. Boyuinus ſupra, Sporer tr. 2. c. 2. ſect. 1. §. 2. n. 4. Abellius to. 1. Medullæ Theol. tr. 1. ſect. 4* qui etiam poſt verba illa Apoſtoli: *& quod inquirentibus ſe remunerator ſit,* addit: *qualis autem ſit iſta remuneratio, declarat Chriſtus Matthæi 25.* his verbis: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, Iuſti autem in vitã æternam.* Hinc qui credit hunc articulum, credit gratiam, & auxilia intrinſeca, & extrinſeca, &c. quæ Deus in prouidendo exequitur. *Salmant.* vbi ſupra. Sicut etiam credit, remiſſionem peccatorum eſse à Deo. *Madernus,* & alij.

8 Probatur ex eodem *cap.* Apoſtoli, qui ibi de ea Fide loquebatur, quam initio eiuſdem capitis hiſce verbis definierat: *Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Atqui ſubſtantia, ſeù radix, ac fundamentum ſperandi bona nobis ſalutaria, non eſt ſola Fides, qua credimus exiſtentiam Dei vnius vt auctoris ſupernaturalis; ſed etiam illa, qua credimus, Deum eſſe finem à nobis aſſequibilem, & aſſequendum de facto merito bonorum operum, dum eum, vt oportet, quærimus. Ergo vterque actus iuxta Apoſtolum pari expreſſione, atque neceſſitate requiritur ad iuſtitiam comparandam in illo, qui ad Deum accedit.

cedit. Nec ad bona merè naturalia coarctatur, ſed ad ſupernaturalia ab ipſo promiſſa extenditur. Hæc namque ſunt illa bona, quæ præcipuè ab ipſo ſperamus, & maximè ipſummet Deum: quæ iure optimo non apparentia, quaſi per antonomaſiam dicuntur. Et eo planè ſenſu, quo idemmet *Apoſtolus 1. ad Cor.2.v.9.* ſcribebat: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit per Spiritum Sanctum.* Satis præterea declaratur, vtrumque actum eſſe neceſſarium neceſſitate medij, dum æquiparantur ſubſtantiæ, ſeu radici, baſi, ac fundamento vitæ ſpiritualis. Nam hoc modo neceſſaria eſt ſubſtantia ad accidentia, radix ad arboris fructum, baſis ad erigendam columnam, & fundamentum ad molem ædificij ſuſtentandam. Id ipſum ſatis clarè colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ.6.c.6.* vbi idem locus Apoſtoli ad propoſitum expenditur, & ſpeciatim notatur loqui de diſpoſitione ad comparandam iuſtitiam. Præiuerat *S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 6.* his præter cætera: *Ad Fidem veram nos vocat & hodierna lectio, viamque nobis præparat, quomodo oporteat & nos placere Deo. Quando enim acceſſerit homo ad ſeruiendum Deo, non credens illum futurum remuneratorem?* Hæc ibi. Quibus *S. Thomas* concinit *lect. 2. littera B.* dicens, ad ſalutem neceſſario eſſe credendum, non ſolum quod Deus eſt, *ſed quod habeat prouidentiam de rebus. Aliter enim nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquam remunerationem ab illo.*

9 Hinc ſi opinio quorumdam apud *Petrum Hurtadum d. 43. de Fide ſect.533.* aſſerat Fidem requiſitam ad iuſtificationem eſſe de Deo, vt remunerante ex bonis temporalibus, & naturalibus huius vitæ, illa quidem incurrit hanc damnationem. Quia damnatio hæc procedit in eodem ſenſu, ac locus *D. Pauli*: Hic autem ex communi ſenſu Eccleſiæ agit de remuneratione ſuperiori ad bona temporalia huius vitæ, & de retributione vitæ æternæ, vt conſtat ex iam dictis, & præterea, quia ibidem agit etiam de Fide Noe, Abrahæ, & Saræ, & quamuis ibi mentionem faciat promiſſionum temporalium, declarat, quomodo hæc Fides, de qua loquitur, verſetur circa promiſſiones æternas, & cæleſtes. Ait enim *ver. 13. Iuxta Fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus. Sed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant, ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, ideſt cæleſtem.* Vbi vides, Fidem remunerationis, de qua loquitur Paulus, eſſe retributionis æternæ, precipuè cùm Paulus loquatur de remuneratione promiſſa, & reuelata à Deo. Quæ autem reuelata eſt, & promiſſa, non eſt alia, quam æterna beatitudo. Verum tamen eſt, quod remuneratio vitæ æternæ non apprehenditur communiter à Fidelibus tanquam ſupernaturalis, aut vt naturalis: non enim tenentur id diſtinguere: cum extra ſcholas ij termini *naturalis, & ſuper-*

ſupernaturalis ſint parum noti, vt conſtat ex *Petro Hurtado* defenſore illius ſententiæ quondamdam. Vnde poteſt dici cum *Ioanne da Cardenas hic diſſert.16.c.6.num.51.& Card.de Lugo d.12.de Fide ſect.5.n.130.* remunerationem æternam, de qua loquitur Apoſtolus, eſſe ſupernaturalem ſpecificatiuè, non verò reduplicatiuè, quatenus, vt talis formaliter non cognoſcitur, aut apprehenditur à Fidelibus communiter. Et hoc etiam aſſero circà primum articulum de exiſtentia Dei.

10 Dico 3. Fides explicita Dei vt remuneratoris eſt neceſſaria neceſſitate medii etiam ad primam iuſtificationem, non ſolum regulariter loquendo, & frequentius, ſed ſemper. Vndè opinio *Acacij de Valaſco, Arriagæ*, & aliorum docens oppoſitum in aliquo caſu raro, ſubiacet huic damnationi. Ita *Lumbier, Filguera, Cardenas, Hurt. De la Fuente*, & alij.

11 Probatur. Tum ex *cit. c.11. ad Hebr.* Nam Paulus ex eo, quod Henoch placuit Deo, infert, habuiſſe Fidem; quia ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo, & immediatè ſubiungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Vnde rectè inferunt Theologi, eam propoſitionem in ſenſu vniuerſaliſſimo intelligendam eſſe; quia alias non benè inferret Paulus, Henoch habuiſſe Fidem etiam remunerationis, ex eo, quod placuit Deo; facile enim poſſet occurri, afferendo, non conſtare, an Henoch fuerit ex illis, qui cum ſola vnius Dei Fide diuinam amicitiam ſunt adepti. Tum etiam ex *Conc. Trid.* multis locis, & præcipuè *ſeſſ.6. c.7.* vbi ſic ſtatuit: *Hanc Fidem ante baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Catechumeni ab Eccleſia petunt, cum petunt Fidem, vitam æternam præſtantem: quam ſine Spe, & Charitate Fides præſtare non poteſt.* Ex quibus concluditur, quod Fides, quæ eſt in Eccleſia præſtat vitam æternam, & quod illam non præſtat ſine ſpe vitæ æternæ: & cum ſpes vitæ æternæ haberi non poſſit ſine Fide explicita Dei, vt remuneratoris, fit manifeſtum, quod hæc Fides explicita eſt medium neceſſarium ad conſequendam vitam æternam. Et cum illæ propoſitiones Concilii vniuerſales ſint, conſtat meritò damnari propoſitionem, quæ dicit, Poſſe in aliquo caſu fieri primam iuſtificationem abſque tali Fide explicita.

12 Hinc ad caſum *Arriagæ num.27.* de puero baptizato, qui educaretur in ſiluis, itaut iam adultus non committat peccatum hæreſis, ſed alia peccata grauia, dico, ſi puer iam adultus in eo caſu inſtruatur tantum de ſupplicio æterno, & non de vita æterna, Deum non daturum auxilium ſupernaturale ad illam attritionem habendam, dum non habuerit Fidem explicitam Dei, vt remuneratoris præmiantis: daturum autem alia auxilia, ad operandum taliter, vt dignus fiat, qui ſpeciali Dei prouidentia inſtruatur de remuneratione vitæ æternæ. Rectè enim docet *Card. de Lugo d.12. de Fide ſect.5. num.130.* quod non ſufficit ad iuſtificationem Fides ſola de pœna æterna Inferni abſque vlla Fide remunerato-

Digitized by Google

ris præmiantis; quia, vt attritio ex metu gehennæ diſponat ſufficienter ad iuſtificationem in Sacramento, requiritur, quod ſit cum ſpe veniæ: hæc autem ſpes ſupponit ad minus Fidem de liberalitate Dei remunerantis merita congrua, & diſpoſitiones noſtras conceſſione veniæ. Vnde non contingit, aliquem habere Fidem de Inferno,& nõ de gloria cæleſti.

13 Dico 4. Subiacet damnationi huius Propoſitionis, etiam ſententia *Filguera* hic dicentis, poſſe iuſtificari hominem, qui nihil cogitans de Deo, vt remuneratore, & attendens ad Deum, vt amabilem ſuper omnia, eliceret actum charitatis. Ita *Ioan. de Cardenas ſupra c.5. num.41.* & alij: & ante hoc decretum illam ſententiam reiecerant *Gonetus, Madernus,* & alij.

14 Probatur. Tum ex *Trid. ſeſſ.6.c.7.* dicente: *Fidem, niſi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque vnire perfectè cum Chriſto, neque Corporis eius viuum membrum efficere.* Fit namque iuſtificatio adulti peccatoris, vt traditur etiam ibi: *Per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Hoc autem nequit contingere, niſi Spei actus tunc præcedat, aut moraliter maneat non retractatus. Nam & illa eſt immediata, & proxima diſpoſitio ad recipiendum ſuum habitum, etiam ante receptionem gratiæ,& tamquam intentio optimi finis, ſibi concupiti,& amati ſuper omnia concupiſcibilia optimè diſponit ad amandũ Deum propter ipsũ.Quippe amicabilia ad alterum, vt Philoſophus aiebat,ex amicabilibus ad ſe proficiſcuntur. Et attritio, quæ ex gehennæ metu,atq; pęnarũ metu concipitur, ſi peccandi voluntatem excludat,eſt quidẽ diſpoſitio ad gratiã cum Sacramento impetrandam, at cum ſpe veniæ, atque fiducia diuinæ miſericordiæ, quæ venia inſeparabilis eſt à ſtatu gratiæ, filiationiſque adoptiuæ conferentis ius ad gloriæ hæreditatem: vnde in ſpe illius impetrandæ continetur ſpes gratiæ, & gloriæ. Tum etiam. Quia ideò *Filguera* docet, poſſe iuſtificari hominem per actum charitatis, abſque Fide explicita remuneratoris, quia in actu charitatis, tamquam in forma perfectiori, & eminentiori continetur virtualiter Fides de Deo, vt remuneratore. Sed hoc contradicit Decreto Pontificio: Ergo, &c. Probatur minor. Hoc eius aſſertum non poſtulat, quod præceſſerit vmquam formalis actus eius Fidei explicitæ, cum ſolum detur ex eo, quod actus charitatis ſit forma perfectior, & eminentior: Atqui ſi dicatur, numquam præceſſiſſe actum formalem Fidei explicitæ de Deo, vt remuneratore, contradicitur cenſuræ Pontificiæ, immò & S.Paulo dicenti: *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ergo, &c.

15 Adde ex *Iacobo Pratelio tom.3.Theol.c.1.§.6.num.22.* & aliis,quod licet credens Deum eſſe ſummè bonum, abſolute, & phyſicè poſſit elicere actum ſupernaturalem amoris Dei ſuper omnia,quamuis neſciat ipſum

eſſe

eſſe remuneratorem, atque ita iuſtificari ſine explicita Fide Dei, vt remuneratoris; id tamen non poteſt ex hypotheſi præſentis prouidentiæ, qua Deus ſtatuit non dare auxilia ad actum proximè iuſtificatiuum, niſi mediante Fide de Deo, vt remuneratore, vt habetur ex Apoſtolo ſupra.

16 Dico 5. Subiacet quoque huic damnationi ſententia *Ripaldæ d. 17. de Fide ſect. 14. num. 229. Leandri à Sacram.* & aliorum docens, Fidem explicitam Dei, vt remuneratoris eſſe quidem neceſſariam neceſſitate medii ad iuſtificationem infidelis, qui conuertitur ad Fidem; non verò ad iuſtificationem peccatoris fidelis. Ita *Carden. cit. diſſer. 15. c. 3.* & alii.

17 Probatur. Tum quia hæc damnatio ſtatuit abſolutè Fidem explicitam remuneratoris eſſe neceſſariam neceſſitate medii: quidquid autem abſolute dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſi illud iterabile eſt, illud præcipuè tale eſt in ordine ad quamcumque iuſtificationem, ſiue impii fidelis, ſiue infidelis. Et cum hæc cenſura Pontificia ſtatuta ſit propter locutiones vniuerſales Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & SS Patrum, ideò ſenſus illius vniuerſalis eſt, & ad omnem iuſtificationem vniuerſaliter extendendus. Tum quia *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 8.* de iuſtificatione agens de eo *textu Pauli ad Rom. 3.* vbi dicit: *Iuſtificari hominem per Fidem*, hæc ſubiungit: *Ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, vt ſcilicet per Fidem ideo iuſtificari dicamur, quia Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire*. Cum ergo hæc Fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ſit radix, & fundamentum omnis iuſtificationis: & declarat S. Paulus, eam Fidem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, eſſe Fidem Dei, vt remuneratoris; fit, ad omnem iuſtificationem, requiri Fidem explicitam Dei, vt remuneratoris.

18 Dico 6. Sufficit tamen, quod in impio fideli extiterint alii actus Fidei explicitæ Dei, vt remuneratoris, qui non ſint retractati, & dicantur perſeuerare virtualiter. Ita *Card. n. ſupra*, & alii. Contra *Piſanum*, & alios.

19 Probatur. Tum quia hæc cenſura Pontificia inurit Propoſitionem negantem, Fidem explicitam Dei remuneratoris eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem: noſtra autem ſententia id non negat: cum admittat neceſſitatem illius per virtualem continentiam; ratione cuius tales actus Fidei explicitæ antecedenter habiti virtualiter perſeuerant. Tum quia durum videtur, & ſcrupulis oboxium, requirere ad confeſſionem peccatorum, & iuſtificationem actum formalem eius Fidei, ac Spei, nec ſufficere virtualiter exiſtentem. Nam ſi homo pro tunc ſit immemor retributionis æternæ, & conatur ad veram contritionem, adhuc timebit, an poſuerit media eſſentialiter requiſita ad iuſtificationem: eo quod non habuerit tunc eos actus formales Fidei, & Spei. Tum denique, quia SS. Pa-

tres

ad explicandam Spem Theologicam vtuntur exemplo Agricolæ; contingere autem poteſt, quod iſte ſpargat ſemina ſuper terram, immemor pro tunc fructuum colligendorum: & tamen omnes cognoſcunt, illum ſpargere ſemina cum ſpe colligendi fructus: qua ſpe ſi careret, non ſeminaret grana: ſimiliter ergo peccator dum ponit media ſuę iuſtificationis, licet pro tunc ſit immemor retributionis æternæ, intelligitur habere ſpem colligendi fructus æternos, quia virtualiter illam habet. Sicut enim agricola habet ſpem colligendi fructus, quia illa ſeminatio eſt effectus deriuatus ab intentione colligendi fructus, quam antea habuit; ſic peccator habet ſpem colligendi fructus æternos; quia illa poſitio medii, V.g. Confeſſionis Sacramentalis, eſt effectus, qui procedit ab illo deſiderio æterno beatitudinis, & ſpe de illa conſequenda.

20 Ex hactenus dictis deducitur primò, eadē neceſſitate medii habendam eſſe Fidem explicitam de immortalitati animæ. Ita *Cornel. à Lapide in d. locum Apoſtoli ad Hebr. 11. v. 6. Coninch d. 14. de Fide nu. 145. Auerſà de Fide qu. 2. ſect. 7. Hurtadus de la Fuente*, & alii; quia ſine immortalitate animæ, non poteſt credi præmiatio æterna. Et quidem *Conc. Trid. cit. ſeſſ. 6. c. 7.* habet, quod Fides, quæ eſt in Eccleſia, præſtat vitam æternam; illam autem non præſtat ſine ſpe vitæ æternæ, quæ non habetur ſine immortalitate animæ. Secundò, quod anima ſit arbitrii libertate prædita, & beatitudinis capax; hoc enim eſt medium creditu neceſſarium ad ſalutem, connexum cum articulo remuneratoris. Licet *Laym. l. 2. tr. 1. c. 9. n. 3.* putet, hæc eſſe ſcitu neceſſaria tantum neceſſitate præcepti. Et Tertiò eadem neceſſitate requiritur Fides explicita, qua homo credat, ſe non poſſe ſuis viribus à miſeriis erui, & æterna illa præmia conſequi; quia ſine hac Fide non eſt ſufficienter diſpoſitus, vt conuenienter tanta bona à Deo recipiat, qui hæc ab eo nullo modo ſperat accipere, ſed putat abſque Dei auxilio, ſuis viribus ea aſſequi debere. Ita *Coninch vbi ſupra n. 23.*

PROPOSITIO XXIII.

Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimiliuè motiuo, ad iuſtificationem ſufficit.

1 HÆc attribuitur *Ioanni Martinez de Ripalda d. 1. ſect. 13.* putanti ſufficere ad iuſtificationem, cognitionem ſupernaturalem Dei habitam ex teſtimonio creaturarum, aut ex alio motiuo diſtincto ab auctoritate Dei reuelantis: quam cognitionem vocat Fidem latam. Verum ipſe *n. 204.* etſi hanc opinionem probabiliorem exiſtimauerit; nihilominus tutiorem ſententiam communem, exigentem Fidem ſtrictam, ait eſſe eligendam.

SVM-

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Fides actualis eſt neceſſaria neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem: immò nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri poteſt, niſi procedat ex dictamine Fidei ſupernaturalis.*

3 *A* Ripalda *duplex adſtruitur Fides, & ſtrictè, & latè ſumpta. Vtraque explicatur.*

§. II.

4 *Opinio, quæ probabilior exiſtimata fuit à* Ripalda *ſubiacet damnationi huius Propoſitionis. Excuſatur Pratelius.*

5 *Oſtenditur ex communiſſimo Doctorum ſenſu, ex Scriptura, Patribus, & Concilijs, & potiſſimum ex ſæpe laudato loco* Apoſtoli ad Hebr. c. 11.

6 *Num damnetur opinio in eiuſdem* Ripaldę *docens poſſe Infideles per Fidem latè ſumptam elgere actus ſupernaturales, quibus mereantur de congruo peruenire ad Fidem ſtrictam.*

§. PRIMVS

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. Fidem actualem eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem: prout latè oſtendimus in *Lapide-Lydio Theolog. comm. ad Propoſ.* 1. Nunc addimus: nec vllum opus meritorium vitæ æternæ fieri, niſi præcedat ex dictamine Fidei ſuper naturalis: ita vt neque opera hominis Catholici meritoria ſint præmij ſupernaturalis, niſi procedant ex doctrina Fidei. Ita *Card. de Lugo*, *Pratelius* & alij communiſſimè. Quamuis *Vaſquez* voluerit, ad meritum de congruo ſufficere cogitationem congruam ordinis naturalis datam tamen ex meritis Chriſti. Noſtrum aſſertum ſuadent teſtimonia SS. Patrum, *Ambroſij*, *Auguſtini*, *Cyrilli-Alexandrini*, *Proſperi*, *Leonis*, *Gregorij Magni*, *D. Thomæ*, & aliorũ, quæ congerit *Car. de Lugo d.* 12. *de Fide ſect.* 2. Deducitur quoque ex ſæpè citato loco *Apoſtoli ad Hebr.* 11. Etenim apud ipſum hæc eſt bona conſequentia. Henoch placuit Deo: Ergo habuit Fidem actualem; (de hac enim loquitur, dum ſubiungit credere enim oportet accedentem ad Deum, &c.) ſed ſi aliquis Fidelis poſſet facere opera meritoria vitæ æternæ, quæ procederent ex dictamine procedente ex Fide, ea non eſſet bona conſequentia: Ergo nullus Fidelis poteſt facere opera meritoria vitæ æternæ ſine dictamine procedente à Fide. Probatur minor. Opera meritoria vitæ æternæ placita ſunt Deo: Ergo ſi poſſent fieri abſ-

que

Digitized by Google

que dictamine procedente ex Fide, nō rectè inferretur dari actum Fidei ex eo quod quis placeret Deo. Nam vbi vnum poteſt eſſe ſine alio, non rectè infertur ex illo. Roborat *Triden. ſeſſ.6.c.6. de iuſtificatione*, dicens: *Fides eſt fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*. Ex quo textu duo inferuntur. Primum, quod nomine *omnis iuſtificationis* non intelligitur ſolùm infuſio gratiæ ſanctificantis; ſed intelligitur etiam omnis ſancta operatio, quæ gratiam ſanctificationis ſubſequitur. Secundum: ſicut ex illis vniuerſaliſſimis verbis Pauli: *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*, inferimus, quod ſine Fide impoſſibile eſt facere bona opera placita Deo, ita etiam idem debemus inferre ex ea vniuerſaliſſima locutione Concilij. Verum hoc non ſic eſt intelligendum, vt ad opus meritorium præmij ſupernaturalis ſit omninò neceſſarium habere actualiter actum formalem Fidei, quo dicat, V.g.credo propter auctoritatem Dei reuelantis, eleemoſynam eſſe bonam, & Deo placentem; ſufficit enim, quod procedat virtualiter ex actu Fidei: ſicut enim Philoſophus tenet concluſionem, quam didicit, licèt non recordetur actualiter fundamenti, quo innititur concluſio: & ſicut mathematicus operatur ea, quæ didicit, licèt actualiter immemor fundamenti; & ſic in alijs ſcientiis. Ita qui in Schola Fidei didicit, eleemoſynam eſſe operationem ſanctam, & placentem Deo, quia Deus ſic reuelauit; licet oblata occaſione eleemoſynæ ſit actualiter immemor reuelationis diuinæ, operatur tamen ductus doctrina, quam didicit in Schola Fidei Diuinæ: & in ea operatio procedit virtualiter ex actu Fidei, quia operauit ex dictamine, quod comparauit in Schola Fidei; ſicut enim cum Theologus reminiſcitur concluſionis, immemor præmiſſarum, ex quibus elicuit eam concluſionem; tunc ea concluſio continet virtualiter præmiſſas, ita cum Fidelis, qui credidit myſterium Trinitatis ex determinatione auctoritatis Dei reuelantis, cum aſſentitur myſterio Trinitatis immemor reuelationis, is aſſenſus, quia eſt effectus auctoritatis Dei reuelantis cognitæ, hanc continet virtualiter.

3 Notandum eſt 2. A *Ripalda* duplicem adſtrui Fidem, ſtrictè, & latè ſumptam. Fidem ſtrictè ſumptam admittit eſſe illam, quæ eſt fundata in auctoritate dicentis, & innixa diuinæ reuelationi, ſeu qua creditur aliquid; quia Deus ſummè verax reuelauit Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſia nobis proponit credendum. At Fidem latam vocat cognitionem ſupernaturalem Dei, habitam ex teſtimonio creaturarum, aut ex alio motiuo diſtincto ab auctoritate Dei reuelantis. His prænotatis ſit.

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum.

4 Dico 1.Opinio, quam probabiliorem vocauit *Ripalda* ſcribens ante hoc decretum, ſubiacet eius damnationi. Et ſic etiam ſcripſiſſet *Pratelius*, ſi ſcripſiſſet tomum tertium poſt Decretum. Vnde quia ſcripſit paulò ante, excuſandus dum *c.1.§.6.nu.*222. ſententiam, quam ingeniosè excogitauit, vel ſaltem illuſtrauit *Ripalda*, cenſeat, nullam mereri cenſuram. At non ſequitur.

5 Probatur. Tum ex communiſſimo cæterorum Doctorum ſenſu in contrarium: apud quos ſola eſt vera Fides ſtricta, ſcilicet, quæ nititur diuinæ reuelationi. Vnde Fidem *Ripaldæ* non latam, ſed nullam, & abſolutè non Fidem vocant, ſeù ſupponunt. Ea igitur additio, *lata*, eſt additum diſtrahens. Tum quia *D.Paulus ad Hebr.*11.*& ad Rom.*3.*Conc. Mileuitanum can.*4. *Arauſicanum can.*5.*Trident.ſeſſ.*6.*c.*7.*D. Aug.Fulgentius, Irenæus, Baſilius Ambroſius, Chryſoſt.& Bernardus* apud *Valen.*2.2. *d.*1.*q.*2 *pu.*1. abſolutè requirunt Fidem ſimpliciter: quo nomine venit Fides ſtricta. Tum denique, ac præcipuè ex Apoſtolo *cit. c.*11.*ad Hebr.* & alibi de hac Fide ſatis apertè loquens eius vim ac neceſſitatem tantoperè prædicat, vt manifeſtum videtur ex exemplis, quæ ibi adfert, deſumptis ex Fide, & iuſtitia Abelis, Henoch, Abraham, & aliorum, quos conſtat per Fidem ſtrictè dictam placuiſſe Deo, inquit *Pratelius*.

6 Dico 2.Opinio eiuſdem *Ripaldæ* (quam tamen etiam ſub examine correctione Theologorum proponit) dicens adultum infidelem per Fidem latam poſſe peruenire ad actus ſupernaturales, quibus mereatur de congruo peruenire ad Fidem ſtrictam, ſi inter illos actus non includit actum ſupernaturalem dilectionis Dei ſuper omnia, non incurrit hanc damnationem; eſt tamen minus conſona ſcripturæ, & Patribus quam communis contraria.

Probatur prima pars: Quia ea opinio ſi excludit actum Charitatis Dei ſuper omnia, non affirmat ſufficere Fidem latam ad iuſtificationem; affirmat verò ſi includit actum charitatis Dei ſuper omnia; tunc enim Fides lata ſufficeret ad iuſtificationem: nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, *Ioan.*4.Ergo &c.

Probatur 2. pars ex Apoſtolo ad *Rom.*3.dicente: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo: Iuſtitia autem Dei per Fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*. In quem locum *S. Auguſt.lib.de Gratia, & lib. arb. c.*7.ait ideo neminem iuſtificari ex operibus, ſed ex Fide, quia opera Iuſtitiæ ſunt ex Fide: non ex operibus: id

eſt, quia ante Fidem nulla ſunt opera, quibus mereatur homo venire in Fidem. Auctoritates SS. Patrum vide apud *Card. de Lugo d. 12. de Fide ſect. 2.* An autem illa ſententia *Ripaldæ* ſit falſa, determino *in tr. de iuſtificatione*.

PROPOSITIO XXIV.

Vocare Deum in teſtem mendacij leuis, non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

1 OLim negauit *Goffredus*, eſſe peccatum mortale, Deum inuocare in teſtem mendacij leuis: quem refert, nec plenè improbat *Angelus V. Periurium*. Hanc opinionem antiquatam, & extinctam reſuſcitauit Auctor huius Propoſitionis, qui ab aliquibus exiſtimatur *Bauny*.

PROPOSITIO XXV.

Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit grauis, ſiue leuis.

2 HAnc docuit. *Tamburinus l. 3 in Decal. c. 3. §. 2. num. 1.* vbi inquit, *Certum eſt 2. iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis, vel iurare verbis æquiuocis, non eſſe licitum ſine cauſa: licitum eſſe cum cauſa.* Ipſam antiquitus protulit *Ennius Poeta*, cuius illum verſum recitat *Cicero de Officijs*:

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

SVMMARIVM.

§. I.

3 *Quid eſt iuramentum; & an ſit idem in præſenti vocare Deum in teſtem iurare per Deum inuocare diuinum Nomen?*

4 *Quæ requirantur ad eſſentialem rationem iuramenti?*

5 *Inuocatio Diuini teſtimonij fit verbo, nutu, facto, mente tantum.*

6 *Explicantur diuiſiones iuramenti, nempè expliciti, & impliciti; aſſertorij, & promiſſorij, conteſtatorij, comminatorij, & execratorij, & quomodo promiſſorium includat aſſertorium.*

7 *Iuramentum debito modo factum licitum, & aliquando obligatorium, cum ſit de genere bonorum, quæ talia ſunt ſuppoſitis debitis conditionibus, ex,*

Digitized by Google

explicantur conditiones iuramenti, nempè Veritas, Iuſtitia, & Iudicium; & ex defectu iuſtitiæ, & Iudicij quale peccatum committitur.

8 Quæ conſuetudo culpabilis iurandi conſtituat hominem in ſtatu peccati mortalis ſimplicis, vel multiplicis?

9 Quid ſi conſuetudo quomodocumque iurandi inculpabiliter retenta ſit?

§. II.

10 Vocare Deum in teſtem mendacij quantumuis leuiſſimi, eſt peccatum mortale æterna pœna dignum. Et contrarium hoc decreto proſcribitur; & prius ab Vniuerſitate Louanienſi dictum non tolerandum.

11 Probatur tum ex Conc. Conſtantienſi, tum multiplici ratione.

12 Traditur ratio, quare vocare Deum in teſtem mendacij, ſed indeliberatè, ex inaduertentia, ſubreptione, ſit peccatum veniale: ſemper verò mortale vocare Deum in teſtem mendacij quantumuis leuiſſimi.

13 Doctrina damnata intelligitur tantum de mendacio vero, & formaliter tali: ſubijcitur verò damnationi tam, qui rem dubiam iurat, vt certam, quam qui rem certam iurat vt dubiam.

14 Non habet locum damnatio in iuramento hyperbolico.

15 Habet verò tàm in juramento aſſertorio, quã in promiſſorio carente præſenti.

16 Quid ſi iuretur promiſſio facta cum animo dubio implendi: vel promittatur res phyſicè, vel moraliter impoſſibilis, ſeriò tamen, & animo jurandi?

17 Minùs malum, eſt jurare rem indifferentem, vel oppoſitam conſilijs Euangelicis animo illam adimplendi, quam ſine animo adimplendi. E contra de re mortaliter mala.

18 Iuramentum promiſſorium carens veritate futura tantum, ex materiæ leuitate probabiliter excuſatur à mortali, ex vna inter conditiones, quæ in juramento, immò & voto ſubintelliguntur.

19 Nec docere, iuramentum promiſſorium carens veritate futura, ex materiæ leuitate excuſari à mortali, damnatur.

20 Quid de iuramentis illis, quæ vrbanitatis dicuntur?

21 Iuramentum imprecatorium, ſeù execratorium, quando comprehenditur in Propoſitione proſcripta?

22 Nunquam licet iurare exterius ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis. Et contrarium cenſuratur.

23 Oſtenditur ex eo, quod iurare ſine animo iurandi ſit intrinſecè, & de ſe malum.

24 Quid de opinione dicentium, iurare ſine animo iurandi, & ſignificandi eam verbis, ſed aliud diſparatum, vacare culpa.

25 Agit contra decretum, & pœnas contrahit, qui aſſerit, eſſe licitum, ex cauſa iurare verum, abſque intentione iurandi.

26 Scienter iurare falſum ſine intentione iurandi, ex quacumque cauſa fiat, lethale peccatum eſt, etiamſi coactus quis iuret.

27 *Oſtenditur, & traditur diſparitas, ex maledicto.*
28 *Iurare verò verum ſine animo iurandi extra iudicium, & contractus, veniale dumtaxat eſt.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

3 PRænotandum eſt 1. Iuramentum rectè definiri: *Inuocatio Diuini Nominis in teſtimonium verita is*. Hæc eſt definitio tradita à *D. Auguſt.lib.de ſerm.Dom.in Monte*, optimè explicata à *D.Thoma 2.2.qu.89. ar.1.* & ab omnibus recepta. In idem coincidit vocare Deum in teſtem. Non eſt ergo effugium damnationis deuitatuum in hoc hoc agnoſcere diſcriminen; ſed prorſus abſoluteque vnum, idemque iudicium eſt faciendum quoad incurrendam damnationem, ſiue vtatur quis verbis iurare per Deum, ſiue dicatur vocare Deum in teſtem: ſiue dicatur, inuocare Diuinum Nomen in teſtimonium, vel aliud æquipollens. Licet enim nomen non ſit res nominata; eſt tamen ita ipſi rei applicatum, vt rem ſemper denotet, vel connotet, cui eſt adiectum: & ſic in nomine importatur res nominata. Inuocare igitur nomen Dei in teſtimonium eſt omnino cenſendum, ac vocare Deum in teſtem.

4 Notandum eſt 2. Ad rationem eſſentialem iuramenti tria requiri, nempè inuocationem Diuini teſtimonii, intentionem iurandi, & ſcientiam iuramenti. Ratione primi, Iuramentum differt ab oratione, quæ eſt inuocatio Diuini adiutorij, ſeù Dei in adiutorium, & auxilium: ac a voto: quia Iuramentum Deum vt teſtem reſpicit, Votum, vt obiectum. At hæc intentio Diuini teſtimonij requirirur non quidem abſolutè, & determinatè, vt nimirum Deus veritatem tui dicti iurati actuali aliquó ſigno hic ſtatim conteſtetur; hoc enim eſſet peccatum tentationis Dei: niſi ex vrgentiſſima cauſa, vel ſpeciali motione Spiritus Sancti fieret, exemplo nonnullorum etiam Sanctorum; ſed indifferenter, vt nimirum teſtetur Deus; quomodo, & quando voluerit, ſaltem tunc *quando illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. 1. ad Corinth. 4.* non autem ſufficit ad iuramentum nuda aſſertio Diuini teſtimonii, vel ſcientiæ; V.g. *Coram Deo hoc dico: Deus ſcit, me verum dicere: Deus videt ita eſſe: Deus mihi teſtis eſt*: per modum ſimplicis aſſertionis, vt ſenſus ſolum ſit, quod Deus ſit cognitor eorum, quæ dicuntur; ſic enim non eſt iuramentum; & ſi falſum dicatur, non eſt periurium, ſed mendacium, & blaſphemia contra diuinæ ſcientiæ infallibilitatem. Ita communis cum *Sanchez l.3.c.2.num.21.* Quamuis hi modi loquendi ſæpè etiam accipiantur per modum inuocationis, & iuramenti. Circa ſecundum; non ſufficit

cit verba iuramentum ſignificantia ſolùm materialiter exterius proferre, ſine intentione, animo, & voluntate iurandi, ſeù verum Deum in teſtimonium inuocandi: verum tunc, niſi doctrinæ, vel ioci cauſa, aut ſolùm materialiter fiat, erit periurium, ſeù iuramentum fictum, quod & peccaminoſum eſt, vt §. ſequenti oſtendetur: & interdum ratione ſcandali, vel damni inde cauſati, obligare poteſt: licet nullam ex virtute Religionis obligationem contineat) & ſic iurans ſeruare compellitur in foro externo, vbi iudicatur ſecundum exteriora. Ita *Sanchez l.3. c.10. n.4. Corella hic n.78. Lumbier, Sporer,* & alii. E contra verò ſi animus, & voluntas iurandi, verumque Deum in teſtem inuocandi adſit, & ſi abſque omni verborum, vel ſignorum expreſſione, iam coram Deo verum iuramentum eſt, non ſecus ac votum ſola mente conceptum, in foro conſcientiæ verè obligat, & ſi in foro externo vtique nulla de hoc poſſit dari actio. Ita cum communi *Sanchez l.3.c.1.num.2.Laym.l.4.tr.3.c.1.* Vnde infertur, eum verè iurare, qui voluntatem, & animum habens Deum inuocandi in teſtem, adhibet verba, vel ſigna alias iuramenti vim minimè habentia, V.g. dicens: *In veritate ſic eſt, hoc faciam:* vel ſi Chriſtianus cum Infideli coram lapide iurans, intentionem non ad lapidem, ſed ad Deum referat; quem caſum videtur velle *Auguſtinus ſerm.12. de verbis Apoſtoli,* vt notant *Laym.ſupra, Sporer tr.3.c.1.ſect.1 aſſert.1.§.3.num.3.* & alii cum *Sanchez*. Circa tertium. Licèt (vt iam dictum eſt) qui verba verum iuramentum non ſignificantia, *V.g. verè, in veritate, per fidem meam, &c.* profert, ſi per illa verba intenderet verè iurare, verum iuramentum faciet in foro conſcientiæ; quia implicitè ſaltem iam vult iurare, nimirum ipſum Deum in teſtem ſui dicti, vel promiſſi inuocare; ſecus ſi talis neſciat, quid ſit iurare, prout ſæpiſſimè neſciunt rudiores, ruſtici, pueri, &c. hi enim non efficiunt iuramentum; quia eſſentia iuramenti non poteſt conſiſtere ſine aliqua inuocatione Diuini Nominis in teſtem: quæ hic deficit: qui enim ignorat, iureiurando inuocari Deum in teſtem, quomodo poteſt velle Deum inuocare, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum? Ita *Sporer ſupra aſſert.2. §.3. num.9.* & alii. Imò per quæcumque verba, etiam expreſſum iuramentum continentia, iuretur, in foro conſcientiæ omninò ſemper attendenda eſt mens, & intentio iurantis, ad dignoſcendum, an verè iurauerit, nec nè. Ita poſt alios *Sporer ſupra*, qui monet Confeſſarium audientem pœnitentem falsò iuraſſe ſe accuſantem, quod non ſtatim periuraſſe cenſere debet, ſed interrogare, an intenderit Deum inuocare in teſtem, & quidem falſitatis: & longè ſæpiſſimè deprehendet non fuiſſe periuria, ſed tantum mendacia, ex materia ſua diiudicanda, aliquando officioſa, aliquando iocoſa, & ſic venialia; aliquando pernicioſa in nocumentum tertii, eaque ex genere ſuo mortalia. Loquimur in foro conſcientiæ; nam in foro externo iudicantur ſecundum allegata, & probata.

5 No-

5 Notandum eſt 3. Eiuſmodi inuocationem Diuini teſtimonii fieri verbo, nutu, facto, mente tantum: Verbo, vt cum quis ore profert: *Iuro per Deum*. Nutu; vt ſi tibi dicatur: *Iuras per Deum*? & tu capite, vel alio modo annuas. Facto: vt ſi tibi offeratur iuramentum per Crucem, Librum Euangeliorum, Sceptrum, &c. & tu illa tangas, eo ipſo, etſi nihil proferas, verè iurare cenſeris, idemque euenit, ſi ſubſcribas ſcripturæ iuramenti formam continenti; tunc enim propria ſubſcriptio ipſiſſimum eſt iuramentum. Mente: vt ſi quis intra animum ſuum iuret aliquid facere, vel omittere, modo paulo ante ſupra dicto.

6 Notandum eſt 4. Iuramentum varias pati diuiſiones. Quarum prima eſt in explicitum, & implicitum. Explicitum eſt, quod fit cum directa, & expreſſa inuocatione Dei, vt, *Iuro per Deum, Deum teſtem inuoco, Deus mihi teſtis eſto, In Deo, In Chriſto Ieſu, &c. Quàm verè Deus viuit, Iuſtus, miſericors eſt, &c.* & vſitatiſſimum illud veterum: *Viuit Dominus*. Non ſunt verò iuramenta: *Per Fidem meam, in Fide boni viri, boni Religioſi, in Fide nobilis, V.g. vulgò Caualiero, &c. in fide boni Chriſtiani, boni Sacerdotis, &c.* hæc enim hunc ſenſum faciunt; *Iuxta fidem humanam, quæ adhibenda eſt homini probo, religioſo, Sacerdoti, &c. hoc ita eſt*. Idem eſt ſi dicat, *In mea conſcientia, ſeù per meam conſcientiam*. Vel, *Iuro per non Dio, iuro per lo Santo Euangero, Per l'hoſtia non conſecrata, Per lo cielo del furno, Per Santo iunco, & ſimiliter*. Verba hæc: *In veritate ita eſt; iuro in rei veritate, vel per veritatem, vel certè; ſanè, renera*, & his ſimilia, non continent iuramentum; niſi quis intenderet, aut exiſtimaret dicere: *In veritate Dei, vel per veritatem Dei, vel Chriſti*. Dicere: *iuro per totum id, quod iurare poſſum*, niſi per ly totum intelligat Deum, non eſt iuramentum. Implicitum eſt cum mediata, & indirecta ſolum inuocatione Dei in teſtem, quando ſcilicet iuratur per creaturas in Deum relatas, quatenus nimirum in eis Diuinum Numen, Diuina Maieſtas, Potentia, Sapientia ſpecialiter elucet: vt *Iuro per Beatos Angelos, & Sanctos Dei, per Crucem Chriſti, per Sacramenta, per Sacram Scripturam, per Euangelia, per Cælum, & terram, per elementa Dei*. Quod ſi quis iuret per creaturas viles, & ignobiles abſolutè in teſtimonium inductas, vt per hunc ignem, per hunc aerem, per hanc aquam, per hanc terram, per hos capillos, per has veſtes, per has paleas, & ſimilia nullius, aut parui pretij, non eſt verum iuramentum, ſed illuſorium; niſi alia eſſet iurantis intentio, vel expreſsè addatur relatio ad Deum, vt *iuro per hunc ignem Dei*. Nec eſt iuramentum iurare per hanc Crucem, nullâ Crucem formando, nec oſtendendo. Licet Infidelis iurans per falſos Deos emittat iuramentum, vt docet *D. Auguſt.* relatus *in c. mouet te, 22. q. 1.* Tamen fidelis iurans per falſos Deos iocosè, & abſque animo iurandi, non emittit iuramentum; ſed irriſoriam locutionem. Ita hæc omnia docet communis ſententia.

Se-

Secunda diuiſio iuramenti eſt in aſſertorium, & promiſſorium. *Aſſertorium* eſt inuocatio Diuini Nominis ad faciendam fidem de veritate ſui dicti, de actione præſenti, & præterita contingenti, propria, vel aliena: vt iuro me credere in Deum: iuro me interfuiſſe Sacro, iuro quod Petrus non occiderit Paulum. *Promiſſorium* eſt inuocatio Diuini Nominis ad faciendam fidem de actione propria futura; *vt iuro me Religionem ingreſſurum, non luſurum, &c.* Et hoc ſemper includit etiam aſſertorium de veritate præſenti, ſe nimirum in præſenti verè habere voluntatem tale opus faciendi, & inſuper re ipſa facturum. Dupliciterque talis Deum inuocat. 1. vt teſtem veritatis præſentis, ſe nimirum habere voluntatem tale opus faciendi. 2. vt fideiuſſorem veritatis futuræ, quod illud opus re ipſa ab eo faciendum ſit. Quare periurium promiſſorium carens vtraque veritate, duplo grauius eſt peccatum, quam aſſertorium ſolùm, quantum eſt contra virtutem Religionis, vt notat *Suarez l. 1. de iuram. c. 8.* Verum qui non habet intentionem ſe obligandi, licet peccet grauiter, nullum tamen eſt iuramentum, nec eſt obligatorium in foro conſcientiæ. Secus eſt, ſi habeat intentionem ſe obligandi, non tamen exequendi. Ita *Sporer*, aliique. Inſuper ad validitatem requiritur, vt ſit de re honeſta, & licita, ſaltem non mala moraliter, *cap. quando de iureiur. cap. quamuis, de pactis in 6. reg. 50.* non eſt obligatorium, *de reg. iur. in 6.* Videantur *Suarez, cum Sanch. Andreas à Matre Dei*, aliique. Hinc iuramentum de nunquam accuſando, vel paſſim quemuis accuſando, irritum eſt, quia de re mala; nunquam enim accuſare eſt contra bonum commune; cum ſępe accuſare neceſſarium, vel vtile ſit bono communi, ſemper autem accuſare quamuis eſt contra Charitatem, & Prudentiam; in particulari autem accuſare, & non accuſaru hunc, vel illum, valebit, vel non valebit iuramentum, pro vt ipſa accuſatio licita, honeſta, vel illicita, & inhoneſta erit, ſi nimirum accuſatio neceſſaria, vel valdè vtilis foret bono communi, aut ipſius rei, aut tertij valebit iuramentum accuſandi, ſi ſecus, valebit iuramentum non accuſandi. Ita *Sporer*, *Gobat*, & alij communiter.

Tertia diuiſio iuramenti eſt in conteſtatorium, comminatorium, & execratorium. *Conteſtatorium* eſt, quod fit per ſimplicem Diuini Nominis inuocationem, vel conteſtationem, in confirmationem rei aſſertæ, vel promiſſæ; prout fit in hactenus allatis formulis iuramenti aſſertorij, & promiſſorij. Et materia huius iuramenti abſoluti, aut per ſe ſtantis, aut confirmatorij promiſſionis factæ Deo, neceſſariò debet eſſe res honeſta, ac bona moraliter, atque etiam maioris non impeditiua; quia tale iuramentum æquiualet voto. Vnde nullum eſt, ſi iures talem certam veſtem comperare, vel vſurpare etiam, talem domum non intrare, &c. aliud eſt ſi referatur ad bonum finem alicuius virtutis; V.g. ſi iures te ædes alicuius non ingreſſurum, cum aliquo non luſurum cauſa vitandi peccati. Item

ſi iu-

Digitized by Google

ſi iures,nõ alterius,ſed huius certi egentioris officinam aditurũ ex motiuo honeſto,miſericordiæ,& charitatis: ſi iures certũ genus veſtis nõ geſtaturũ ex motiuo modeſtiæ, & humilitatis: ſi iures non amplius luſurum,vel ad mortificationẽ,vel ob vitãda pericula peccati iam experta. At ſi iuramentũ in vtilitatem hominis emiſſum ſit, ſufficit ad valorem, & obligationem materia licita, & non mala moraliter, (quæ nimirum ſine peccato mortali, vel veniali impleri poteſt) etiam ſi minus bona, vel omnino indifferens ſit: vnde eſt executioni mandanda, grauis ſub graui, leuis ſub leui obligatione; ex receptiſſima iuris regula: *Iuramentum homini præſtitum ſeruandum eſſe, quotieſcumque ſine peccato, ſeù ſalutis diſpendio ſeruari poteſt.* Hinc qui iurauit Titio daturum decem florenos, & ſi poſtea aduertat, longè melius fore, ſi erogaret inter pauperes, obligatur iuramento, niſi Titius ſponte remitteret; ſiquidem omne iuramentum hoc tacita conditione fit, niſi is, in cuius gratiam iuratur, remittat, aut aliud opus acceptet: at ſecus eſt de eo, qui iurat ſe ducturum hanc puellam, hic enim poteſt ingredi religionem; iuramentum enim ſortitur rationem actus, cui apponitur: *cap. quemadmodum, de iure iur.* contractus autem, & promiſſio matrimonij ſemper hanc tacitam conditionem includit: Duco, vel ducam te, niſi Religionem ingrediar. Iuramentum comminatorium eſt, in quo promittitur malum pœnæ, vt, Per Deum te occidam, caſtigabo te, percutiam te, &c. Porrò hoc iuramentum ob paſſionem, & iram emiſſum, non eſt ſeruandum; quia tunc fit potiùs cauſa vindictæ, quam zelo correctionis, & conſequenter non habet materiam bonam. Cenſetur autem iuramentum eſſe emiſſum ex paſſione, & ira, quando pœna illa non comminaretur, depoſita ira. Hinc patet, quid ſentiendum de iuramentis herarum, &c. quibus iurant, ſe dimiſſuras, diutius non ſeruaturas hanc, vel illam ancillam; plerumque enim iurant non ex motiuo virtutis, ſed ex iracundia, impatientia, &c. ideoque non obligantur, nec peccant poſteà retinendo. Idem dic de fratre, vel condiſcipulo iurante ſe apud Patrem, vel magiſtrum accuſaturum fratrem; vel condiſcipulum: vel enim ex ſola æmulatione, aut vindicta ſic iurat, vel poſtea aduertit occaſionem criminis alia ratione emendabilis fore ſibi inutilem, damnoſam, vel probroſam. *Execratorium* eſt, quo iurans ad fidem faciendam de re aliqua, imprecatur ſibi ipſi, aut alijs ad ipſum ſpecialiter pertinentibus, vel dilectis, à Deo veritatis teſte, & vindice falſitatis per ſe, vel per creaturam inferendum: poteſtque fieri triplici formula. 1. expreſsè imprecando ſibi malum ab ipſo Deo: *Deus me puniat, perdat, damnet: nunquam mihi Deus parcat: Deus in me partem non habeat: maledictus ſim à Deo. &c.* Olim vſitatiſſima forma fuit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat:* modo in Iure Canonico conſueta forma eſt: *Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Euangelia.* Et *Apoſt. 2. Cor. 2.* iurauit dicens: *Teſtem Deum inuoco in animam meam.* 2. impre-

precando ſibi malum inferendum à creatura; Deo vindice permittente: vt: *Diabolus me rapiat, in mille partes laceret, fulmine peream, ſacer ignis me inuadat*. Sic iurauit Dauid *Pſal.7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*. 3. imprecando ſibi malum abſolutè ex permiſſione diuina: vt *Malè peream, non bona morte, vel ſubitanea moriar, non dignè amplius communicem, non viuam vſque in craſtinum, non mouear hinc, non hinc alibo viuus, ardeam in inferno, &c.* Huc ſpectat modus iurandi per vitam, per barbā ſuam, aut alterius ad ipſum ſpecialiter pertinentis, V.g. Patris, Principis, Cæſaris, &c. Non eſt autem iuramentum, ſed maledictum, iurando alteri ad ſe non pertinenti malum imprecari; vt ſi aduerſario dicas, *Diabolus te rapiat, niſi verum dicam*. Nec iuramentum, ſed blaſphemia eſt imprecari malum ipſi Deo, Angelis, vel Sanctis, qui talis mali incapaces ſunt. Sic nec eſt imprecari malum Dæmoni, quia non ſpecialiter noſter, ſed hoſtis, & aduerſarius eſt. Ita hæc omnia apud *Sanchez, Gobat, Sporer*, & alios, apud quos videantur aliæ diuiſiones propoſito non neceſſariæ.

7 Notandum eſt 5. Iuramentum debito modo factum eſſe licitum; vt ſatis patet ex ſcriptura. Certum quoque eſt nos ad hunc actum poſſe obligari, quando ſcilicet publica poteſtas id legitimè requirit; quin & interdum non iuſſus tenetur quis iurare, quando ſcilicet ita exigit aut proximi neceſſitas, aut magna Reipublicæ vtilitas. Verum cum iuramentum non ſit de genere eorum bonorum, quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda; vt eſt oratio, eleemoſyna, & huiuſmodi; ſed quæ bona ſunt dumtaxat ſuppoſita cauſa rationabili, cum debitis conditionibus, Iuramenti liciti conditiones ipſo iure diuino *c.4. Ieremiæ*, ſunt tres: *Iurabis: Viuit Dominus, in Veritate, & Iuſtitia, & Iudicio*. Veritas conſiſtit, vt veraciſſimi Diuini Numinis, & Nominis teſtimonium non adducatur in confirmationem falſi, aut mendacii; adeoque in veritate iurat, qui in iuramento aſſertorio rem, quam certò ſcit, vel omninò credit eſſe veram, veram affirmat, vel ſimiliter falſam negat. In iuramento autem promiſſorio nunc, & in præſenti habet veram voluntatem, & propoſitum adimplendi, quod promittit, & credit etiam in futurum ſe adimpleturum: hic enim duplex eſt veritas, & de præſenti implendi voluntate, & de futura adimpletione promiſſi. Quoad aſſertorium. Ex parte rei iuratæ, veritas ſufficiens ad iuramentum licitum habetur, ſi res ſecundum modum, & ſenſum humanum ſumpta ita ſe habet, ſicut iuratur, V.g. iuras hodie lautè comediſſe, Petrum eſſe iracundum, Joannem Sacerdotem quotidiè celebrare, &c. Non eſt opus ad veritatem iuramenti, vt conuiuium fuerit lautiſſimum, vt Petrus quouis momento iraſcatur, vt Sacerdos integro menſe, vel anno numquam omittat celebrare. Non ergo condemnandus eſt Parochus, qui iurat ſuum Sacellanum per totum annum Eccleſiæ inſeruiſſe, primam Miſſam celebraſſe, concionem habuiſſe, &c. etiamſi ali-

Digitized by Google

quoties intermiſerit, quia parum pro nihilo reputatur, & humano ſenſu totus annus æſtimatur, etiamſi modicum quid abfuerit. Ex parte verò iurantis veritas conſiſtit, vt quis certus ſit moraliter rem ſic eſſe, vel non eſſe; vnde qui dubitat, vel non adhibita ad veritatem indagandam ſufficienti diligentia, tamen rem talem, vt certam iurat, omninò cenſetur iurare falſum practicè loquendo; etiam ſi ſpeculatiuè res vera eſſet. Hæc autem certitudo moralis non eadem ſufficit in omni negotio, facto, & loco. Sic in iudicio, vbi inquiritur notitia certa ex viſu, non ſufficit ex auditu. Sic ſi quis pro credito centum aureorum à debitore negato, rogat duos amicos fidiſſimos, vt ſibi dè illo credito apud Iudicem teſtentur, ſi iurant iſti de debito, periurant: quia in Judicio tunc non petitur, an quis aliquid nouerit quacumque certitudine morali; ſed certitudine ſua propria, quæ habetur ex viſu, quando verò non de ipſo facto, de quo nimirum certa notitia haberi nequit, ſed ſolum de indicijs facti, infamatione perſonę vitæ, famæ, &c. iurandum eſt, ſufficit notitia certa moraliter etiam ex auditu, fama, relatione aliorum indiciis antecedentibus, conſequentibus, & ſimilibus. Extra verò Judicium, ex Doctoribus, quos refert, & ſequitur *Diana p.4.tr.4.reſ.77.* ſufficit ad iurandum notitia habita ex dicto alicuius viri fide digni; non verò ſufficit inferior probabilitas, vel credulitas; V.g. Probabile eſt Sacerdotem Religioſum alias ſolitum celebrare quotidiè tali hora, etiam hoc mane ea hora celebraſſe: poſſum quidem ſine culpa mendacii prudenter iudicare, ac affirmare, eum hoc mane, ſeù hora ſacrificium obtuliſſe; at non poſſum id ipſum iurare; quia ad iurandum non ſufficit notitia, quam prudentia humana tantum exigit, ſed ea, quæ digna ſit reuerenti inuocatione Dei in teſtem: quod aliquid plus exigit, quam probabilitatem quamlibet. Quod ſi accedat dictum alicuius fide digni, qui mihi teſtetur, illum Sacerdotem hodie mane celebraſſe, poſſum extra iudicium iurare, quia tale teſtimonium facit rem moraliter certam; at non in Judicio, vbi exigitur certitudo ex viſu. Juſtitia, ſeù æquitas Iuramenti conſiſtit in hoc, vt Juſtiſſimi, & Sanctiſſimi Numinis, & Nominis Diuini teſtimonium non adducatur in confirmationem dicti, vel facti iniuſti, iniqui, & peccaminoſi: adeoque iurare in Juſtitia dicitur, qui rem licitam, iuſtam, & honeſtam iurat. Et quidem in iuramento promiſſorio, peccat mortaliter, qui iurat ſe facturum rem mortaliter malam; vt, ſe aliquem interfecturum; quia eſt grauis irreuerentia, diuina auctoritate ſe ad peccatum mortale quaſi obligare; itaut hic duæ malitiæ concurrant, vna, quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei, odio habentis omne malum. Peccat verò venialiter, qui iurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem, aut friuolam, cum ibi leuis tantum irreuerentia cenſatur. Ita cum *Caiet. Nauar. Leſſio, Suario.* & aliis *Sanchez l.5.c.4. num.26.* qui *num.30.* cum iiſdem addit etiam peccare ſolum venialiter, qui iurat aliquid

quid contra conſilia Euangelica; vt ſe non ingreſſurum Religionem, non daturum eleemoſynam, aut mutuum. Quod ſi quis poſtea iuramentum adimpleat, quaſi ad id teneatur, ſicque tanquam debitum, gratum, & acceptum erit ſpeciale peccatum mortale blaſphemiæ. Ita cum communi *Sporer*. In iuramento verò aſſertorio, ſi iuramentum aſſumatur vt medium ad peccandum, vel grauius peccandum in ſe, vel in alio, in materia graui, erit mortale; *V.g.* ſi cum iuramento proximum iniuſtè infames circa verum occultum: ſi cum iuramento etſi veriſſimè conteſtaris amorem tuum, vel promiſſiones tuas, vt alium, vel alios in peccatum graue inducas, &c. peccas vtique mortaliter etiam contra religionem. Ita Theologi communiter. Et hoc, quia ea iuramenta grauiſſimam in Deum irreuerentiam continent. Si verò non aſſumatur vt medium ad peccandum, ſed præcisè ad veritatem rei malæ propriæ, vel alienæ confirmandam; tunc quantum eſt ex virtute Religionis ſolum eſt veniale, eo aliundè ex obiecto mortale ſit, aut, veniale, pro ratione materiæ, *V.g.* iures heri egregie fuiſſe ebrium, aut fornicatum cum tali, &c. aut iures te velle occidere hominem, fornicari, adulterium, &c. committere, hic ratione malæ iactantiæ, vel complacentiæ de peccato, vel voluntatis peccandi, peccaſti mortaliter pro ratione materiæ, & virtutis oppoſitæ; at ratione iuramenti, & quantum eſt contra virtutem religionis, peccas tantum venialiter; quia non videtur grauis irreuerentia in re mala dum adeſt veritas, Deum adducere in teſtem. Ita *Suarez*, *Laym.* aliique communiter cum *Sanchez l.c.num.33.* Iudicium denique, ſeu diſcretio iuramenti conſiſtit in hoc, vt Diuini Numinis, & Nominis teſtimonium non adducatur temerè, & irreuerenter, ſeu ſine iuſta cauſa, & reuerentia; adeoque iurare in Iudicio dicitur, qui non niſi cum prudenti intellectus conſideratione, iuxta regulas Chriſtianæ prudentiæ, ac cum pia, ac reuerenti voluntatis affectione non ſine neceſſitate, vel magna vtilitate iurat, vtpote cum alicuius dicti, vel promiſſi veritas aliis non manifeſta, vel dubia eſt, quam tamen certam habere, & exploratam eſſe, publicè, vel priuatim multum intereſt. De quo eleganter *D. Auguſt. ſerm. 28. de verb. Apoſt. c.9.* Et iuramentum ſiue aſſertorium, ſiue promiſſorium veritate, ac iuſtitia conſtans, ſolo carens iudicio, ſeu diſcretione, vtpotè quia ſine cauſa rationabili neceſſitatis, vel vtilitatis propriæ, vel alienæ profertur, per ſe eſt ſolum peccatum veniale, vt docent Doctores communiter. Etenim rem veram, ac iuſtam, ſeu licitam iuramento, etſi non neceſſariò confirmare, non adeò grauis eſt irreuerentia contra Deum ex virtute Religionis, ſed eſt ſolum venialis abuſus Diuini Nominis aſſumpti in vanum.

8 Hinc conſuetudo culpabiliter retenta iurandi ſine cauſa, attamen verum, & cum debita aduertentia, & conſideratione ad veritatem rei iurandæ, non conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, ſed venialis

tantum; vt docet communis contra *Sotum*; quia habitus non poſſunt habere maiorem malitiam, quam ipſi actus, ex quibus generantur, & ad quos inclinant; vt rectè *Scot. in 3. d. 39. qu. vn.* Conſuetudo verò culpabiliter retenta iurandi indiſcretè, & inaduertenter, ſiue verum, ſiue falſum, conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, itaut homo voluntariè eam extirpare, vel emendare omittens, ſit in continuo ſtatu peccati mortalis: & inſuper omnia eius iuramenta vi talis conſuetudinis culpabiliter retentæ (ſiue re ipſa vera, ſiue falſa ſint) ſint peccata mortalia. Ita cum communi *Sporer tr. 3. c. 1. ſect. 4. num. 149. Octauius Maria à S. Ioſeph interrog. 213.* quia culpabiliter retinens, vel omittens extirpare conſuetudinem talem, ac vi illius ita indiſcretè verum, vel falſum iurans, ſe conſtituit in proximo periculo peccati mortalis, ſcilicet periuriorum, ac iuramentorum falſorum, vt per ſe manifeſtū eſt; quæ omnia ipſi in huiuſmodi conſuetudine ſunt voluntaria tanquam in cauſa ſaltem indirectè, adeoque vt peccata mortalia imputantur, iuxta communem doctrinam, quam trado in materia de Voluntario indirecto. Verum probabilis eſt ſententia docens, huiuſmodi conſuetudinem non eſſe peccatum diſtinctum aperiendum in confeſſione ab ipſo peccato actuali periurii, ſed ſufficere confiteri ipſum actum periurii, *Peieraui, ac falſum iuraui toties*; vt contra *Suarez, Sayrum, Valent. & Caſtropalaum*, docent *Vaſquez, Sancius*, & alii, quos ſequitur *Tamburin. l. 3. c. 1. §. 5. & Sporer nu. 151. Trullench.* aliique. Quia licèt ſit obligatio extirpandi illum habitum prauum conſuetudinis, ex eo quia eſt cauſa facilitans ad peccata ſequentia, & ſi negligas, ſis in ſtatu peccati mortalis omiſſionis, vt dictum eſt: attamen illa obligatio extirpandi conſuetudinem eſt imbibita in ipſa obligatione non amplius peierandi, & cum illa moraliter confunditur: neque enim in moralibus ita ſubtilizandum eſt, vt numero diſtincta phyſicè, ſemper cenſeantur diſtincta moraliter (vt in mea *Lucerna Tetramyxos* plenè trado) ergo etiam illud peccatum omiſſionis extirpandi conſuetudinem peierandi moraliter imbibitur, & confunditur cum ipſo peccato nouo periurij: neque vt diſtinctum ab eo in confeſſione aperiendum eſt. Certè peccatum eſſe factum ex conſuetudine, non eſt circumſtantia ſpeciem mutans, ſecundum omnes; ſed neque notabiliter aggrauans: quinimò, ſi attentè conſideretur, potius diminuens; moraliter enim minus deliquiſſe cenſendus eſt, qui conſuetudinis contractæ impetu peierauit; quamuis deliberatè, quam qui recenti, & ſpontanea mente, ac libertate. intellige tamen, dummodo actu poſitiuo illam prauam conſuetudinem non acceptet, vel approbet, ſed ſolùm negatiuè ſe habens illam vincere negligat. Aliud eſt de conſuetudine culpabiliter retenta, indeliberatè falſum iurandi, ex naturali quaſi impetu malitioſi habitus præcipitantis, & deliberationem præuenientis: hæc enim omninò peccatum diſtinctum eſt per ſe aperiendum in confeſſione, vt docet communis. Quia tunc non

ipſa

ipſa periuria actualia vi illius conſuetudinis omnino indeliberatè facta, & conſequenter in ſe minimè voluntaria, peccata ſunt, ſed ipſa ſola conſuetudo culpabiliter retenta, & extirpari neglecta, quatenus eſt cauſa illorum materialium periuriorum, peccatum eſt, & quamdiu ea conſuetudo culpabiliter retinetur, ipſa etiam periuria facta imputantur ad peccatum, tamquam indirectè volita in ſua cauſa, ſcilicet conſuetudine illa; qui enim culpabiliter retinet, ſeu extirpare voluntariè negligit prauam conſuetudinem peierandi, cenſetur indirectè velle etiam ipſa periuria: Ergo tenetur illam conſuetudinem in confeſſione aperire, tamquam per ſe peccatum: omninò tamen ſufficit dicere: *Contraxi, ac habeo conſuetudinem talem malam peierandi*, nec eſt opus explicare ipſa peccata, V.g. periuria; quia in ſe directè peccata non ſunt, ſed ſolum indirectè in illa conſuetudine retenta: quamquam conſultum ſit illa explicare, præſertim ſi valdè frequentia ſint, ſaltem vt Confeſſarius intelligat quanta ſit vis illius malæ conſuetudinis. Cæterum ſæpiſſime excuſatur pœnitens; quia re vera communiter non aduertunt homines ad obligationem, quam habent extirpandi illam conſuetudinem.

9 Conſuetudo denique inculpabiliter retenta quomodocumque iurandi, vel peierandi iam reuocata per pœnitentiam, & efficax propoſitum emendationis, ac conatus adhibendi ad eam extirpandam, non conſtituit amplius hominem in ſtatu peccati illius; quia ſimpliciter non eſt amplius voluntaria; & quæcumque iuramenta, periuriaque vi, & naturali impetu talis conſuetudinis, abſque omni aduertentia, vel deliberatione facta, peccata non ſunt; quia ſimpliciter quoque non ſunt voluntaria, neque in ſe directè, vt ſupponitur, neque indirectè in ſua cauſa, ſcilicet conſuetudine, quippe iam reuocata, & inuoluntaria facta, His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

10 DIco 1. Vocare Deum in teſtem mendacij quantumuis leuiſſimi eſt peccatum mortale, & æterna pœna dignum. Et contrarium, vt minimum tanquam ſcandaloſum, & in praxi pernicioſum hoc decreto propellitur, & ante Vniuerſitas *Louanienſis* de anno 1653. iudicauit, & reſoluit in praxi non eſſe tolerandum.

11 Probatur. Tum quia, teſte *Toleto l.4.c.21.* Concilium Conſtantienſe, per Bullam Martini definiuit, quod periurus etiam in materia leui peccat mortaliter. Tum quia ſic Deus trahitur ad teſtimonium faciendum de mendacio, ita vt Deus ipſe ſua auctoritate teſtis ſit in re non

vera,

vera, tanquam de re vera: cum ergo tractetur, vt mendax, illi grauiſſima iniuria irrogatur, ſubindeque peccatum mortale patratur. Sicut enim, ſi Petrus dicat mendacium leue, de quo conſcius ſit etiam Paulus, & poſtea Petrus coram Ioanne conſtitutus vocet eumdem Paulum in teſtem dicti mendacij, qui Paulus de facto teſtimonium faciat, certè Petrus vocauit Paulum, vt mendacem ad teſtificandum; aliàs ipſum non vocaſſet ad teſtimonium faciendum de mendacio; ſimiliter Deus in caſu tractatur vt mendax. Et quamuis verbis non affirmetur Deum eſſe mendacem, affirmatur tamen factis, & hoc ſufficit. Et ſicut vir honoratus in grauem ſui contumeliam ferret, haberi teſtem falſum, etiam in re minima, à fortiori Deus. Nec obſtat, quod Deus nihil dicat, & veluti paſſiuè ſe habeat. Nam ſi vir magnæ auctoritatis ſtatuiſſet, vt quoties in teſtem adducatur, toties ſit præſtanda fides ratione veracitatis eiuſdem viri in teſtem adducti, volendo tamen, vt non niſi ad veritatem teſtificandam vocetur; certè pro iniuria graui habebit, quod eius auctoritas, & perſona vocentur contra eius voluntatem, & veracitatem in teſtimonium mendacij, quantumuis leuis, ita vt ſi vir ille ſciret, qualiter etiam in teſtimonium mendacij interdum vocetur, reputaret ſe vt mendacem cenſeri; quandoquidem ad teſtificandum, mendacium inducitur: multò magis id contingit reſpectu Dei vocati ad teſtificandum mendacium licèt leue. Tum quia, imponere malum Deo etiam minimum eſt ſemper blaſphemia non admittens leuitatem materiæ; quia ſemper aduerſatur virtuti Religionis notabiliter, cum Deus dehonoretur non immodicè, vt docent Doctores communiter cum *Syluio 2.2. qu.13. art.2.* Dum autem vocatur Deus in teſtem mendacij leuis imponitur ei malum mendacij; & conſequenter &c. Tum denique; quia periurium non recipit malitiam à qualitate mendacij, ſed eam habet propriam ex hoc præciſè, quod adducatur Deus in teſtimonium falſitatis; & ſic irreuerentia irrogatur Deo: & ad hanc irreuerentiam nihil confert leuitas, vel grauitas mendacij: ex ſe ergo malitia, ac irreuerentia eſt grauis vtpotè grauiter contra Religionem: Ergo eſt irreuerentia tanta, ob quam Deus velit, & poſſit damnare hominem, etiam ſi vocetur in teſtem mendacij leuis.

12 Hinc patet, quare iuramentum ſeu vocare Deum in teſtē mendacij ſiue leuis, ſiue grauis, ſed indeliberatè, aut ex inaduertentia, vel ex ſubreptione, non eſt niſi peccatum veniale; vt cum communi *Illſung. tr.5. d.1. q.2. ar.2. nu.50.* ſit verò mortale vocare deliberatè Deum in teſtem mendacij leuis. Etenim iuramentum ex proprijs intrinſecis, & ex ſe præciſè deficit à ratione culpæ grauis, eo ipſo, quod indeliberationem importat, ſeu inaduertentiam, vel ſubreptionem; quia non eſt actus humanus penè voluntarius; vt requiritur vt habeat integram malitiam: at dum deliberatè, & plenè voluntariè inuocatur Deus in teſtem mendacij leuis, nihil deficit ex intrinſecis ad malitiam grauem, vt ſupra; leuitas enim men-

mendacij eſt extrinſeca iuramento, & ſic non imperficitur ex leuitate ipſius.

13 Animaduertendum eſt hic, quod doctrina damnata huius Propoſitionis 24. intelligitur tantum de mendacio verò, & formaliter tali: Vnde ſi res leuis putabatur vera, ſed à parte rei erat falſa; quia tantum committitur mendacium materiale, euitatur culpa mortalis (ſi exiſtimatio veritatis fuit cum ſufficienti præmiſſa diligentia) quia veritas, & falſitas iuramenti non tam attenditur ex ipſius materia, quàm ex conſcientia, & intentione iurantis, vt docet *D.Thomas* communiter receptus: conſequenter iſte caſus non comprehenditur ſub damnatione. Aliud eſt de eo, qui iurat aliquid, quod in ſe eſt verum, ſed ipſe putat eſſe falſum; hic enim peccat mortaliter; quia licet non materialiter, tamen formaliter iurat falſum, & mentitur, dum intendit falſum iurare. Quia mendacium propriè conſiſtit in voluntate dicendi falſum, ſeu in intentione imprimendi falſum in alterius mente. Et *D. Thomas* 2.2. *quæſt.*98. *art.* 1. *ad* 3. *& quæſt.* 110. *art.* 1. *ad* 1. docet, quod magis opponitur veritati, quod aliquis dicat verum intendens dicere falſum, quàm quod dicat falſum intendens dicere verum. Vnde ſi iſte in re leui formaliter falſa, iurat, & dicat, non eſſe tantam irreuerentiam, ob quam Deus velit, ac poſſit damnare hominem, ſubijcitur huic proſcriptioni. Et ſimiliter qui rem ſibi certam iurat vt dubiam, dicens ſuſpicor, aut credo ita eſſe, eſt periurus; quia ſicut reuera mentitur, qui rem dubiam iurat vt certam, ita etiam qui rem certam iurat vt dubiam. Sicut peccat mortaliter, qui confitetur vt dubium peccatum, quod certò ſcit ſe commiſiſſe. Vnde vterque poteſt ſubijci huic proſcriptioni; vt conſideranti patebit. Secus dicendum de eo, qui ſcrupulis conſcientiæ agitatus hac loquendi forma vteretur, timens ne fortè res illa ſit ita certa. Ita *Sanchez l.* 3.*c.*4.*nu.*8. aliique.

14 Non habet locum in iuramento hyperbolico; quia non deficit veritas: Iurans enim per hyperbolem non facit iuramentum falſum; cum hyperbolica locutio non faciat ſenſum, quem verba ſonant, ſed ſit quædam exaggeratio veritatis. Et Sacra Scriptura aliquando vtitur hac loquendi formulam; vt 2.*Reg.c.*1.*de Saul, & Ionatha* dicitur: *Erant Aquilis velociores, & Leonibus fortiores.* Et ideo ſi quis iuraret, milites eſſe leonibus fortiores, vel in viribus Elephantibus robuſtiores: vel Romanos omnes nationes, quas ſol illuminat, ſuis armis ſuperaſſe, & his ſimilia, non eſſet periurus. Ita docent *Nauar.l.*5. *conſ.in* 1. *edit.tit.de hæreticis conſ.* 14.*num.*1.*Sanchez l.c.nu.*9. *Fagundez in* 2.*Decal.præc. l.*2.*c.*6.*num.*10. & alii communiter. Idem dicentes in furore, qui iuraret ſuam acum tanti æſtimari, quanti redditus copioſi vnius Marchionis: hoc enim iuramentum verax erit, quando illam acum, vtpote ſibi valde neceſſariam, & bonam, exiſtimat, & nihil aliud eius iuramentum hyperbolicum ſignificat. Sic

etiam

etiam non peccat, qui iurat ſe fracturum oſſa, vel brachia filio ſuo, ſi aliàs habeat animum, illum grauiter caſtigandi; quia hæc verba dicuntur per hyperbolem. *Ant. à Spir. San. p. 3. direct. tr. 5. d. 1. ſect. 8. n. 40.*

15 Dico 2. Doctrina Propoſitionis reiectæ habet locum non ſolum in iuramento aſſertorio, ſed etiam in promiſſorio, ſi careat veritate præſenti; ſeu intentione adimplendi, rem promiſſam. Vnde cum aliquid iuramento promittis hic, & nunc non habens animum, ſeu voluntatem adimplendi, vel præſtandi id, quod iuratus promiſiſti, ſemper in quacumque materia peccas mortaliter: ſubindeque ſi aſſeras, quod vocare Deum in teſtem promiſſionis leuis, ſed mendacis, non ſit tanta irreuerentia, propter quam velit, & poſſit damnare hominem, peccas contra damnationem. Eſt communiſſima certaque aſſertio.

Patet. Quia ſic iuramentum promiſſorium reſpectu præſentis veritatis, ſeu voluntatis adimplendi rem promiſſam, habet rationem iuramenti aſſertorii; ideoque in propoſito eſt proprie veriſſimè periurium: atqui in periurio aſſertorio nulla datur paruitas materiæ, ob rationes datas aſſert. Præcedenti: Ergo neque in periurio promiſſorio. Si ergo ſeriò mihi iures, te velle cras me comitari ad venationem, non habens animum id præſtandi, verè peieras mortaliter.

16 Et hoc etiam procedit, ſi iuretur promiſſio facta cum animo dubio implendi; quia deficit veritas. Quod ſi quis promittat rem phyſicè, vel moraliter impoſſibilem, ſeriò tamen, & animo iurandi, V. g. ſe cras volaturum, vel centum daturum, aliudue debitum ſoluturum, cùm tamen ſibi conſtet non fore poſſibile moraliter: caſus debitoribus frequens: peccat ſine dubio mortaliter peccato periurii, contra veritatem iuramenti: talis enim non poteſt habere voluntatem adimplendi illud, quod moraliter impoſſibile iudicat. Ita *Sanchez l. c. num. 18. Sporer*, & alij communiter: nec contrarium puto docere *Aragonium, & Sayrum*, ſed loqui de non ſeriò, & animo iurandi. Eademque eſſet ratio, ſi iures temerè, non aduertendo, an res ſit poſſibilis, nec ne; quia ſic virtualiter falſum iuras. Quod ſi tamen adſit intentio adimplendi promiſſum, ſi poſſibile ſit, veniale tantum rectè cenſent *Tambur. Sporer*, & alij: tunc enim non contra veritatem, vel iuſtitiam, ſed tantum contra iudicium iuramenti delinquitur. Notant Doctores, quod ſatis ſit ad præſtandum ſine peccato aliquod iuramentum promiſſorium, ſi ſaltem habeatur probabilis cauſa credendi fore, vt poſſit iuramentum impleri. Sic *Hoſtienſis, Abulenſis, Angelus, Sylu.* & alij.

17 Rectè etiam monet hic *Sanchez l. c. nu. 32.* aliique minus malum eſſe iurare rem venialem, indifferentem, vel oppoſitam conſilijs Euangelicis, animo illam adimplendi; ſic enim ſolum peccatum veniale eſſet duplex, vel ſimplex tantùm; quam iurare talem rem, ſine animo adimplendi. Sic enim eſſet peccatum mortale periurij, contra veritatem iuramenti.

E con-

E contra verò maius malum eſt iurare rem mortaliter malam. V. g. adulterium, animo eam adimplendi; quia ſic duplex eſt peccatum mortale, iuramenti ſcilicet iniuſti, & adulterii propoſiti, quàm iurare talem rem ſine animo adimplendi: quia ſic eſt vnum ſimplex peccatum mortale periurij; & ſufficit dicere in confeſſione, ſemel peierauí, vel iuraui falſum; vt notat *Tambur. ſupra c. 3. §. 3. nu. 9.* aliique.

18 Dico 3. Iuramentum promiſſorium carens veritate futura tantum cum ſcilicet quis liberè, deliberate, & culpabiliter non adimplet id, quod antea feriò iuramento promiſerat, vel contrarium agit, ex materiæ leuitate excuſatur à mortali, & redditur veniale. Ita contra *Gabriel. Valen. Leſſium, Armillam, Lucenſem*, & alios docet cum *D. Antonino, Sylu. Soto, Nauar, Rodriquez, Suarez.* & alijs *Sanchez l. c. num. 23. Laym. l. 4. tr. 3. c. 14. num. 6. Piſtachius, Diana, Anton. à Spir. San.* & alij magis communiter. Et poſt hoc decretum *Cardenas diſſer. 17. c. 2. ar. 2. num. 26. Felix à Panormo to. 2. exam. Confeſſ. d. 4. nu. 345. Illſung ſupra n. 52. Sporer, Reiffenſtuel, Briſacenſis*, & alij.

Probatur. Quia in quolibet iuramento promiſſorio (imo & voto) quamuis abſolutè facto, tacitæ quædam conditiones ſubintelliguntur, vt deſumitur ex *c. Quemadmodum*, iuncta *Gloſſ. V. conditio, de iure iur.* & notant *Abb. ibid. nu. 8. Pirhingh. tit. de iure iur. num. 119. Reiffenſtuel, Briſacenſis, Sporer.* & alij communiter. Hæ autem ſunt, Si potero, ſaluo iure, & auctoritate ſuperioris, dummodo res in eodem ſtatu permanſerit, & niſi is, in cuius gratiam, & vtilitatem iuratum eſt, obligationem remittat, ſiue expreſsè, ſiue tacitè. Atqui nullus cenſetur facilè, & rationabiliter velle obligari ſub graui culpa ad præſtandam materiam leuem, quam quis promiſit ſibi ſub iuramento: Ergo non erit peccatum mortale materiam leuem ſub iuramento promiſſam non adimplere; idque tum ob tacitam remiſſionem alterius, in cuius fauorem iuratur: tum ob paruitatem materiæ, quæ in ſimili etiam in votis ſcilicet, excuſat. Quæ rationes procedunt, ſiue materia leuis ſit partialis, vt volebat etiam *Caiet. & Philiarchus*, ſiue totalis, vt vult communior opinio iam relata, & propugnata.

19 Nec ſubijcitur talis ſententia damnationi; quia in tali caſu non vocatur Deus in teſtem mendacii: ſic ex *D. Thoma 2. 2. q. 110. ar. 3. ad. 5.* Nec ipſe violans promiſſionem dici poteſt, quod mentiatur; ſed ſolum, quod ſit infidelis in re promiſſa ſub Diuina auctoritate. Et diſparitas eſt grandis à iuramento aſſertorio; quia in eo inuocatur Deus in teſtem veritatis, aut falſitatis, conſiſtentium in indiuiſibili: quod enim verum non eſt, neceſſariò falſum eſt, nec datur magis, vel minus falſum; ideoque Deum inuocare in teſtem falſitatis cuiuſcumque, ſemper eſt mortale, at verò in promiſſorio quoad veritatem futuram non inuocatur Deus in teſtem ipſius veritatis, vel falſitatis, ſed ſolum quaſi in ſponſorem obligationis adimplendi rem promiſſam cum iuramento, adeo vt obiectum iuramenti

Digitized by Google

promiſſorij non ſit veritas, vel falſitas, ſed obligatio iuramenti ad rem promiſſam adimplendam: atqui obligatio ad rem promiſſam adimplendam non conſiſtit in indiuiſibili, ſed maior, vel minor eſt, iuxta rationem materiæ maioris, vel minoris momenti; conſequenter etiam violatio talis iuramenti promiſſorij non conſiſtit in indiuiſibili, ſed maioris, vel minoris culpæ erit pro ratione materiæ. Ergo non ſemper peccatum mortale, ſed ex paruitate materiæ veniale erit.

20 Ex dictis patet reſolutio de iuramentis illis, quę vrbanitatis dicuntur. V. g. cũ honoris cauſa aliquis iurat ſe non prius altero ingreſſurum per ianuam, aut non ſeſſurum in loco digniori, ſic in egrediendo, &c. Equidem non poſſunt excuſari à peccato mortali, ſi fiant abſoluta intentione nõ implendi illud, quod dicitur: communiter autem non obligant; quia ſupponitur adeſſe animus implendi quod dicitur; ſed id, quod dicitur, ex vſu cõmuni, vel ex alijs circumſtantijs aliquas ſubintellectas conditiones inuoluit, quæ tempore executionis deficiunt, & propterea cum eis deficit quoque iuris iurandi obligatio. Eiuſmodi ſolent eſſe in his iuramentis vrbanis: *ſi per me licuerit, ſi non nimium alius repugnauerit, ſi alteri ingratum non fuerit*, atque alia id genus. Ita *Hurtad. De la Fuente hîc diſſert. 12. c. 2. nu. 20. Ant. à Spir. San.* alijque, quos ſequitur *Sporer* dicens, includi conditionem, *quantum à me attinet: non præ. dam, &c.* Dein iuramentum cedens in alterius honorem; aut fauorem, poteſt ab ipſo remitti: Ergo, & re vera remitti præſumitur, quando alter iuri ſuo cedere contendit, vt alter, qui iurauerat, præcedat.

21 Dico 4. Iuramentum imprecatorium, ſeu execratorium comprehenditur in præſenti Propoſitione proſcripta, ſi ad firmandum mendacium leue fiat, & affirmetur, non eſſe tantam irreuerentiam, propter quam Deus velit, ac poſſit damnare hominem. Ita Doctores communiter.

Probatur; Quia iuramentum hoc includit aſſertorium; in quo non datur paruitas materiæ.

22 Dico 5. Nunquam licet iurare exteriùs, ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis. Et contraria Propoſitio 25. hoc decreto meritò, vt minimum tanquam pernicioſa abigitur.

23 Probatur. Iurare ſine animo iurandi, eſt intrinſecè, & de ſe malum: ſed hæc nulla cauſa, aut bona intentione honeſtari poſſunt, & fieri licita: cùm non ſint facienda mala, ſiue vt eueniant bona, ſiue vt vitentur mala; vt fusè oſtendit, poſt alios, *Gonetus in tract. de moralitate actuum humanorum d. 6. ar. 1 §. 2.* Ergo ob nullam cauſam licitum eſt iurare ſine animo iurandi. Minor eſt certa. Maior verò multipliciter ſuaderi poteſt. 1. quia vocare exteriùs fictè, ſine animo iurandi, mendacium eſt, vt de ſe patet; Quia (vt inquit rectè *Suarez l. 3. c. 17. nu. 1.*) non fit ſine aliquo mendacio, vel fallacia: cum aliud verbis proferatur, aliud mente retineatur, ſed men-

Digitized by Google

mendacium eſt de ſe, & ab intrinſeco malum: vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 110. ar. 3.* & patet ex *c. ſuper eo, de vſuris* vbi Alex. III. reſpondens Panormitano Epiſcopo ait: *Scriptura Sacra prohibet pro alterius vita mentiri.* Idem docet *Euſebius l. 6. Præpar. Euang. c. 7.* his verbis: *Mortalem hominem, cui aliqua cura virtutis ſit, nulla ratione cogi poſſe, vt mentiatur, non dubitamus. Nam ſi etiam verbera, & cædem minaberis, non dubitabit exclamare: Enſem acue, ignem adferas, totum meum incidas, totum cremato: ſtellæ in terram priùs deſcendent, & terra in Cælum aſcendet, quàm falſum à me quidquam audias.* Ergo iurare exteriùs fictè, & abſque animo iurandi, de ſe, & ab intrinſeco malum eſt. 2. Aſſumere nomen Dei in vanum eſt ex ſe, & ab intrinſeco malum: ſed qui iurat exteriùs ſine animo iurandi, nomen Dei aſſumit in vanum, cum non aſſumat illud ad confirmandam veritatem: Ergo &c. 3. Quia (vt diſcurrit *Suarez d. l. 3. c. 19. num. 2.*) talis modus iurandi valdè contrarius eſt principali fini iuramenti, qui eſt firmare humana fædera, & verba: nam ex defectu huius internæ intentionis iurandi multum videtur euacuari efficacia iuramenti; vnde niſi teneantur homines obligatione ad habendam talem intentionem, cùm iurant, prorſus euertitur iuramenti fructus, & ſecuritas. 4. Promittere abſque animo promittendi, Baptizare ſine intentione Baptizandi, abſoluere abſque voluntate abſoluendi, & iurare ſine animo adimplendi, quod iuratur, malum eſt mendacij, & nulla interueniente cauſa fieri poteſt, vt huiuſmodi actus liceant, aut quicumque alij, quorum veritas ex interna animi intentione dependet, quàm tunc adeſſe ſignificant, cùm illa reuera abſit: Ergo idem omninò eueniet iuranti abſque intentione iurandi, atque ſimulanti ſe eam habere, cum re vera habeat contrariam.

24 Hinc remanet proſcripta opinio *Valen. Sanchez, & Murciæ*, qui eos citat, & ſequitur, quæ aſſerebat, quod qui iurauit ſine animo iurandi, & ſine animo ſignificandi eam verbis, ſed solùm ſignificandi aliquid diſparatum, non peccabat, nec venialiter. Quia (vt optimè *Corella hìc n. 76.*) Innocentius damnat docere, eſſe licitum proferre verba iuramenti ſine animo iurandi: Atqui idem dicebat iſta opinio: Ergo remanet damnata.

25 Dico 6. Agit contra Decretum Pontificis & pœnas eius incurrit; qui aſſerit, eſſe licitum ex cauſa iurare, verùm abſque intentione iurandi. Ita *Hurtad. De la Fuente hìc diſſert. 12. c. 6. nu. 41.* alijque communiter. Contra *Piſanum hìc nu. 1.*

Probatur. Quia Propoſitio hæc damnata non eſt reſtringenda ad iuramentum aſſertorium dicti mandacij, ſed ſumenda ſicut in decreto iacet, abſtrahendo à dicto vero, vel mendaci, adeoque in ſenſu comprehendente vtrumque: Ergo &c. Antecedens, quod docet *Io. de Cardenas*, & alij patet; quia idem motiuum prohibitionis eſt in vtroque iuramento, vt patebit expendenti dicta pro probatione antecedentis aſſertionis.

26 Dico 7. Scienter iurare falſum ſine intentione iurandi, ex qua-

cumque cauſa fiat, lethale eſt peccatum contra virtutem Religionis, ſiue mendacium ſit leue,ſiue graue. Ita cũ *D. Bonau. Ricardo, Caietano, Aragonio, Soto, Ledeſma, & Valen. Sanchez l.3.c.6.nu.10. Excob. in Theol. mor. vol.4.l. 29.nu.103.* dicens eſſe fere certum, *Corella hîc n.73. Suar. Leand. à Sacram. Ant. à Spir. San.* alijque communiter. Contra *Illſung.tr.5.d.1.q.2. ar.2.n.55.* dicentem, eſſe veniale iurare ficte falſum in materia leui.

27 Probatur. Tum quia eſtò animus iurandi deſit, non deeſt tamen animus mentiendi, ac reddendi credibiliùs mendacium media inuocatione externa Diuini teſtimonij. Sed hoc in magnam irreuerentiam Dei cedit; quia eius auctoritate firmatur, & pro certa veritate habetur, quod non eſt, niſi mendacium. Fictio namque in corde latens nequit tollere hos effectus, qui ſunt proprij externi actus: Ergo &c. Tum quia: Proferre in Deum verba blaſphemiæ, quamuis ſine intentione blaſphemandi, aut mendaciter aſſerere, eum teſtificaſſe aliquod dictum, quod nos ſcimus eſſe falſum, peccatum mortale eſt; quia de ſe tendit in grauem irreuerentiam, & inhonorationem Dei: Ergo ſimiliter adducere eum exterius ad teſtificandum falſum quodcumque eſt de ſe, & ab intrinſeco malum, & peccatum mortale; quia pariter de ſe eſt grauis iniuria Dei. Et diſparitas eſt à maledicto ſine animo; quia in maledicendo, vel non aſſumitur nomen Dei, ſed dæmonis, &c. vel ſi aliquando etiam Dei nomen aſſumatur, tunc non inuocatur, niſi ad operandum, ideoque cum inuocetur ad malum proximi, minus malum eſt, ſi ſine intentione inuocetur; & in hoc non irrogatur iniuria grauis proximo, nec Deo, ſicut fit, quando vocatur ad teſtificandum. Tum denique; quia exterior cultus Idolorum ſine animo volendi, (quod Marcellinus fertur egiſſe) peccatum eſt mortale; quia applicatur cultus, cui non debetur: Ergo ſimiliter illud teſtimonium: *Deus eſto mihi teſtis*, quod eſt actus Religionis, applicare mendacio peccatum mortale eſt.

Porrò: Hæc probant: ſcienter iurare falſum ſine intentione iurandi, lethale peccatum eſſe, etiam ſi coactus quis iuret: vt cum *Caſtropalao*, & alijs communiter docet *Leander à Sacram. tr.1.d.44. qu.3.* & hanc ſententiam ſatius eſſe tenere, inquit *Leſſius*, licet non exiſtimauerit improbabilem ſententiam contrariam.

Quiſnam autem grauiùs peccet, qui falſum iurat cum intentione iurandi, vel qui id iurat abſque ipſa? Rectè *Suarez l.1.c.1.num.11.* decernit, minus peccare illum, qui iurat abſque intentione iurandi; ſicut minus peccat, qui oretenus maledicit Deo, quàm qui maledicit ore, & animo. Et cum altera malitia ſit veri periurii, altera ficti: altera falſum iurantis, re ipſa, altera verò mentientis, ſe illud iurare, quamuis vtraque lethalis ſit, eo grauior illa cenſebitur, quò magis directè opponitur Diuinæ veracitati.

28 Dico 8. Iurare verum ſine animo iurandi extra iudicium, & contra-

tractus, tantum eſt veniale peccatum, ſiue adſit neceſſitas, ſeu coactus iuret, ſiue ea deſit. Ita *Suar.l.1.c.17.num.6.Caſtropalaus d.1.pu.8.num.4. Sanchez l.3.c.6.num.10. Leſſius l.2.c.42.dubit.8.num.42. Ant.à Spir.San.ſupra num.60.Cardenas diſſer.18.c.3. num.12. Illſung ſupra num.55. Corella n.75.* aliique cum *Murcia.* Contra *Caiet.Couar.Piſanum, Filgueram,* & alios.

Probatur. Quia tali iuramento, nec Deo fit grauis iniuria, nec homini, cum Deus adducatur in teſtem veritatis, & homo non læda tur grauiter, vt ſupponitur. Et licèt iſte iurans mentiatur in eo, quod dicit ſe iurare, & re vera non iurat, & ſolum profert exterius iuramentum; tamen iuramentum non cadit ſupra mendacium, ſed ſolum ſupra verum. Aliud eſt, ſi iuretur in iudicio, vel contractibus, vt ex terminis conſtat. Quia tunc fit grauis iniuria Iudici, vel comparti contractus, non iurando verè, quando debet verè iurare, ex iuſtitia: Superioris namque præceptum non ſolum eſt de veritate dicenda, ſed de dicenda ſub Diuino teſtimonio. in contractibus verò ſemper reſultat ex hac ſimulatione damnum proximo. Verum *Sanchez l.3.c.7. num.2.* hoc intelligit, dummodo Iudici, vel contractibus inde notabile damnum ſequeretur, quem ſequitur *Leand.à Sacram.q.5. & Ant.à Spir.S.n.61.*

PROPOSITIO XXVI.

Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam (fortè aliam diem) ab ea, in qua fecit, vel quoduis additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

Hanc docuerunt *Nau. Reginaldus, Adrianus, Maior. Valen. Angelus; Toletus. Sylu. Leſſius, Candidus, Leander à Sacram. Villalobos, Anton. à Spir.Sanct. Piſtachius*, & alij dicentes in omni genere Amphibologiæ, etiam formalis deeſſe mendacium, & periurium: & vt iacet, tradit *Sanchez l.3.ſumm. c.6.num.15.* ſolum mutato ly *viam* in *diem. Tamburin.* etiam *c.2. de Iuramento §.2.* admittit amphibologiam formalem, ſeu puram reſtrictionem mentalem ſine mendacio, & periurio, etiam factam omninò arbitrarie, proferendo vnum, & intelligendo aliud omnino diſ-

para-

Digitized by Google

paratum, puta (verba eius ſunt) *iuro me non dormiſſe, intelligendo non comediſſe*. Alii vero, quos ſequitur *Leand. à Sacram. to. 7. tr. 1. d. 47 §. 2. qu. 9.* requirunt, quod reſtrictio concepta ſit proportionata verbis, & materiæ, de qua loquitur, vel ſaltem, quæ ſi voce exprimeretur, vel cum aliqua parte orationis coniungeretur, congruum, & verum ſenſum efficeret, ex quo apta, & conueniens reſponſio reſultaret.

PROPOSITIO XXVII.

Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt, ad ſalutem corporis; honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

2 HAnc etiam ſuis verbis docuit *Sanchez cit. c. 6. nu. 19.* citans *Nauar.* Idem docuerunt *Leander à Sacram. qu. 11. Candidus, Diana, Trullench, Piſtachius*, & alii, quos ſequitur *Tambur. cit. §. 2.* Et loquitur de amphibologia formaliter per puram reſtrictionem mentalem: nam pronomen *his* eſt dictio relatiua, & refertur ad proximiora. *Pariſius conſ. 10. nu. 49. & conſ. 35. nu. 20.* proximiora autem, ad quæ refertur iſta Propoſitio, ſunt amphibologiæ formales, ſeù puræ reſtrictiones mentales, de quibus agitur in Propoſitione immediatè antecedente.

SVMMARIVM.

§. I.

3 *Quid eſt mendacium: quæ ad ipſum requiruntur: & in quibus caſibus euitatur?*

4 *Oſtenditur, non eſſe mendacia iocos quaſdam hyperbolas, figuratiuas locutiones, ac parabolicas, quaſdam ironias, locutionem per ſinecdochen, ac per charentiſmos.*

5 *Quis vocis nomine in definitione mendacij intelligatur; quando dicitur ſimulatio, & an veri celatio, ſeù diſſimulatio mendacij labe immunis ſit?*

6 *Traditur omne mendacium eſſe intrinſecè malum, ac indiſpenſabile; licet aliquando ignorantia excuſet.*

7 *Quid ſit amphibologia, & vnde dicta: quidue æquiuocatio, & quæ differentia inter eas? Quot ſunt ſpecies amphibologiæ, dum vna oratio plura ſigni-*

ſignificat ſine addito : & ratione additi quando eſt formalis, ſeù mentali , quando materialis .

8 *Ex* Caramuele, *& alijs alia eſt amphibologia, per quam voces ſupponantur ſuppoſitione materiali .*

§. II.

9 *Amphibologia formalis non eſt abſque mendacio, & periurio , ſi addatur iuramentum: & oppoſitum meritò damnatur .*

10 *Probatur ex* Auguſtino, *ac* Innocentio III.

11 2. *Ex eo, quod amphibologia formalis eſt locutio falſa, & difformis menti loquentis .*

12 3. *Ex eo, quod hominibus non loquimur, niſi loquutione humana corporea , quæ conſtituitur ſola externa ſignificatione .*

13 4. *Ex pluribus inconuenientibus . .*

14 *Rectè* Caram. *contra formalem, ſeù puras reſtrictiones mentales ſcripſit , quod tollunt humanam ſocietatem, & ſecuritatem , ac tanquam peſtiferæ damnandæ ſunt .*

15 *Non tamen approbo* Caram. *modum amphibologiæ; eo tamen admiſſo, nullatenus* Tamburini.

16 *Damnatur vſus amphibologiæ formalis etiam affirmatiuæ , in quibuſcumque operationibus, & ſiue fiat voce , ſiue nutu, &c. ſiue operando , ſiue omittendo: & quomodo ſolus quis ea vti poteſt.*

17 *Explicatur quam culpam continet amphibologia formalis .*

18 *Amphibologia materialis, ſeù ſenſibilis, dicta alias primi , & ſecundi generis, non ſubeſt damnationi: & probatur .*

19 *Æquiuocatio non ſubeſt proſcriptioni, vt explicatur .*

20 *Oſtenditur abſolutè, æquiuocationem ex ſe non continere mendacium , & licitam eſſe, ſi ex iuſta, & rationabili cauſa vſurpetur .*

21 *Si quis occideret hominem natione Gallum, quid poteſt dicere: quid ſi interrogetur, an Petrus eſt in domo, vel ex ea exiuit ?*

22 *Oſtenditur: nullam æquiuocationem licere ſine iuſta , & rationabili cauſa : & contra quod præceptum peccatur?*

23 *Omnis ſpecies æquivocationis, ſeù æquiuocorum eſt immunis à mendacio : vt quando Chriſtus dixit Ioannem eſſe Eliam, & Angelum: Iacob patri ſuo, ſe eſſe primogenitum: Raphael Tobiæ, ſe eſſe de filiabus Iſrael; Azariam, Ananiæ magni filium. Quidam Minorita, ſepulchrum eſſe domum cuiuſdam viri ſæcularis .*

24 *Quibus æquiuocationibus poteſt quis vti pro reſtitutione famæ ablatæ ob detectionem veri criminis occulti ?*

25 *Quomodo mortificationis cupidi cibum dicere poſſunt ſuæ valetudini nocere ?*

26 *Et ægritudinis doloribus afflicti reſpondere , bene ſe valere ?*

27 *Et fœmina obſtricta ad laudandam potionem inſipidam , dicere , eſſe bonam,*

28 *Si-*

28 *Sine cauſa non licere æquiuocationem iuramento firmare, oſtenditur.*
29 *An ſit mortalis reus iurans ſine iuſta cauſa cum æquiuocatione?*
30 *Ex iuſta verò, ac rationabili cauſa licere vti æquiuocatione quacumque; & iuramento firmare, demonſtratur.*
31 *Qua æquiuocatione poteſt imò tenetur vti teſtis, qui crimen occultum Rei iniuſtè Iudici manifeſtauit?*
32 *Quaque Reus, qui iniuſtè ſocios criminis detexit Iudici?*
33 *Qua adultera rogata à marito an adulterium commiſerit occiſura ſi fateatur?*
34 *Vtens æquiuocatione, aut amphibologia materiali debet intendere ſenſum, quem verba facere poſſunt, & explicatur pro praxi.*
35 *Ex nulla cauſa, quantumuis grauiſſima poſſe eſſe licitam amphibologiam formalem, oſtenditur multipliciter.*
36 *Ex iuſta verò cauſa licere amphibologiam formalem cum iuramento etiam multipliciter demonſtratur.*
37 *Sine cauſa iuſta, & rationabili non licet: licet communiùs aſſeratur peccari tantum venialiter.*

§. *III.*

38 *Explicatur: quæ locutio amphibologica liceat circa ſolutionem gabellæ.*
39 *Quid reſpondere poſſit occulta adultera interrogata à marito, vel à ſua famula fideliſſima?*
40 *Quaue vti pœnitens temerè interrogatus, an hoc, vel illud peccatum confeſſus ſit?*
41 *Et Confeſſarius interrogatus extra iudicium de peccato alterius, quod per Confeſſionem Sacramentalem nouit?*
42 *Et Secretarius Inquiſitionis, qui obſtrictus iuramento ſecreti ſeruandi, interrogatur de cauſa arcana cuiuſdam Rei?*
43 *Et mulier obſtricta iurare, ſe cum marito poſtea victuram, cum tamen id præſtare nequeat ob impedimentum dirimens?*
44 *Et fictè promittens matrimonium, vel quid aliud?*
45 *Et debitor, qui in iudicio nequit probare ſe totum debitum ſoluiſſe?*
46 *Et qui mutuo centum recepit à Caio, & poſtea ſoluit totum, vel quinquaginta, & in alijs caſibus.*
47 *An liceat reſpondere per circumlocutionem?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

3 PRænotandum eſt 1. Quod mendacium eſt Falſa ſignificatio vocis; cum intentione fallendi. Ita *D. Auguſt. l. 1. de mendacio c. 4. relatus in c.*

in c. Beatus §. ille 22. qu. 2. Mentiri enim nihil aliud importat, quam contra mentem ire, & dicere aliquid contra veritatem ad decipiendum audientium mentes. Tria autem requirunt Doctores ad mendacium. Primum eſt, quod falſum proferatur. Secundum eſt, quod falſum credatur. Tertium eſt, quod audiens fallatur: vel deceptio intendatur. Ita *Sayr. l. 12. Clauis Regiæ c. 2. num. 1. Baſſæus V. Mendacium, num. 1. Ant. à Spir. S. p. 3. Direct. Confeſſ. tr. 11. d. 5. ſect. 1. num. 129.* Et quamuis *Trullench in Decal. l. 8. c. 8. dub. 1. num. 1.* cum *Bonac.* afferat, quod intentio fallendi interuenit quidem regulariter in mendacio, at non requiritur neceſſariò: nam poteſt quis mentiri, vt non poſſit conuinci ex propria confeſſione, quamuis ſciat non crediturum: potius dicendum puto, quod in omni mendacio requiratur intentio fallendi, ſeù proferendi verbum, aliudue ſignum ex ſe ingeneratiuum falſitatis, ſeù deceptionis in mente alterius; quamuis non ſemper actu ingeneret. Vnde Mendacium directè opponitur Veritati, eo quod dicitur cum intentione fallendi. *Sayrus, Baſſæus, & Ant. à Spir. Sanct. loc. rel.* Quare in mendacio intentio interuenit dicendi falſum aſſertiuè, non ſolummodò recitatiuè, aut repræſentatiuè: ea enim de cauſa à mendacio excuſantur, qui fabulam aliquam, tanquam fabulam narrant, vt *Nau. in Enchir. c. 18. num. 2.* expreſſit. Excuſatur etiam diſputans, dum falſa ſcienter aſſumit; quia loquitur ex perſona negantis veritatem, vt ex *D. Thom. in 3. d. 39. ar. 5. Sylu. V. Mendacium,* ſub initium habet. Vel vt *Alenſis* ait *in 3. p. qu. 37. memb. 6.* qui falſum dicit tantū ſupponendo, vt ad inconueniens, in quo intellectus conquieſcere non poteſt, deducat reſpondentem, & cogat ipſum noſſe, & amplecti veritatem; ſicut factū eſt ab Apoſtolo in *Epiſt. priori ad Corinth. c. 15.* cum dixit: *Si Chriſtus non reſurrexit a mortuis, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes Dei.* Porrò iuxta dicta. Primò Abraham *Gen. 22.* vadens ad immolandum filium ſuum, dicenſque ſeruis ſuis, quod reuerteretur cum ſuo filio, non eſt mentitus, quia licèt intendebat immolare filium, ex magnitudine tamen fidei ſuæ credebat filium ſuum poſt immolationem à morte ſuſcitandum, vt promiſſa Dei complerentur: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Id quod non obſcurè indicat *Apoſtolus ad Hebr. 11.* dicens: *Fide obtulit Abraham Iſaac Deo eum tentaretur, &c.* paulò poſt: *Arbitrans quod & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus, &c.* Sic ergo non dixit pueris contra illud, quod mente ſenſit; credidit enim, ſe cum filio poſt eius ſuſcitationem reuerſurum. Sic *S. Auguſt. ſerm. 71. & 72. de temp. Alex. de Ales p. 3. qu. 37. memb. 6. D. Antonin. 2. p. tit. 10. c. 1. §. 1.* Secundò. Nec Ioſeph mentitus eſt, dum *Gen. 42. & 44.* dixit fratres ſuos eſſe exploratores; vt enim *D. Bonau. in 3. d. 38. qu. 2. nu. 21.* & alii, id dixit, tentando, vel interrogando, non autem affirmando. Vel vt alij dicunt. *Exploratores eſtis,* ideſt habebimini exploratores, quo ſenſu ſe peritum in augurio eſſe dixit, hoc eſt, ſe haberi pro tali.

Digitized by Google

4 Habes etiam ex dictis 1. Quod mendacia non ſunt ioci, qui ita proferuntur, vel aguntur, vt ex ipſo agendi, vel pronunciandi modo ſatis intelligatur falſum eſſe, quod exterius pronunciatur; quia deeſt animus fallendi; eſto quod audiens ob ſimplicitatem, ſeù ſtupiditatem ſuam, ſerio accepturus ſit, *Bonac. in Decal. d. 10. qu. 2. pu. 2. num. 7. Baſſæus V. Mendacium in ſupplem. num. 2.* aliique ex *D. Auguſtino*. Secundò, non ſunt mendacia hyperbolę, ſeù exaggerationes. Ita *Rodrig. 2. p. ſum. c. 245. nu. 2.* allegans *D. Auguſt. l. 2. de quaſt. Euangel. c. 54. Sancius* alios referens in *ſelectis d. 5. num. 1. Laym. l. 4. tr. 3. c. 13. nu. 4. Baſſæus ſupra*, & alii cum *D. Thoma 2. 2. qu. 110. ar. 3. ad 6.* quia id velut exaggeratio dicitur, non refertur intentione dicendi falſum, & audiens bene noſcit, aut noſſe debet, exaggerationem illam mathematicè non æquari intentioni dicentis. Quare Sacra Scriptura hyperbolicis locutionibus exuberat, *Gen. 13.* Dominus ad Abraham dixit: *Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ.* Et per hyperbolem fuiſſe ibi Deum locutum docet *Auguſt. ſuper Gen. 13. Pereyra ſuper d. c 13. num. 46. §. Altera dubitatio eſt.* Idem cenſet *Corn. à Lap. ibid. verſ. 15.* Et hyperbolica fuit Moyſis locutio *Gen. 6. Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, &c.* Manifeſtum enim eſt, non vniuerſam hominum cogitationem, præſertim omni tempore, malam eſſe. Hyperbolica fuit etiam *Michææ 7.* locutio dicentis: *Perijt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Etiam per exaggerationem locutus eſt *Ieremias c. 8.* inquiens: *A minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur.* Hiperbolica pariter fuit locutio illa *Io. c. vlt.* dicentis: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libri.* Sic explicant *S. Auguſt. Beda, Theophylactus, Euthimius,* & alij ſuper iſtum locum allegati à *Maldonato.* Tertiò, non ſunt mendacia quæcumque figuratiuæ locutiones, quæ in Sacra Scriptura inueniuntur. *S. Thomas cit. art. 3. ad 6. Tabien. V. Mendacium, Baſſæus ſupra, Illſung,* & alii. Quia ſicut *Auguſt.* dicit *lib. de mendacio c. 5.* Quidquid figuratiuè fit, vel dicitur, non eſt mendacium. Omnis enim enunciatio, ad id, quod enunciat, referenda eſt. Omne autem figuratiuè aut factum, aut dictum, hoc enunciat; quod ſignificat eis, quibus intelligendum prolatum eſt. Quartò, eadem ratione nec mendacium eſt locutio parabolica. Ita *D. Auguſt. lib. contra mendacium c. 22.* & refertur *c. Quæritur, in Gloſ. inferiori 22. qu. 2. Sancius cit. d. 5. n. 2. Laym.* & *Baſſæus loc. rel.* Et quidem Chriſtus Dominus *Matth. 25.* quinque Virgines prudentes, & quinque fatuas fuiſſe ait, quarum quinque prudentes ſponſo obuiam exierunt, aliæ verò minimè. Quod tamen ita in re actum non eſt, ſed id dicitur ad noſtram inſtructionem, quaſi parati ſemper eſſe debeamus ſponſum Chriſtum excipere in cordibus noſtris. Sic *Lucæ 10.* de parabola Leuitæ, & Samaritani deſcendentium Hierico: *Lucæ 13.* de parabola Domini volentis ſuccidere

ficum

ficum infructiferam, *Lucæ* 18. de Parabola Publicani, & Phariſæi in templum egreſſorum ad orandum. Quintò, nec eſt mendacium locutio per ironiam, dum pronunciatur per eam contrarium illius, quod intenditur ſignificari: vt cum ſtultum ſapientem appellamus, bonum malum, diuitem pauperem, auarum liberalem, &c. quia deeſt animus falſum ſignificandi. Ita *Sanctius l.c. n.4. Layman, & Baſſæus ſupra*. Datur tamen alia ironia, quæ continet mendacium, & ſic peccatum: & eſt illa, per quam aliquis de ſe fingit minora, etiam ſi hoc faciat ad humilitatem. Ita *D. Thomas 2.2. qu.113.ar.1. Leſſius l.2.c.47.dub.6. num.47.* & alii. Sextò, eadem ratione locutio per ſinecdochen nec mendacii labe eſt inurenda, quando pars pro toto accipitur, vt dicitur D. Petrum exiſtere in Cælo, ideſt, D.Petri animam; Latrones Chriſtum blaſphemaſſe, dum ſolus Geſmas id egiſſet, ſecundum *Epiphanium, Auguſtinum, & Anſelmum.* Ita *Sanctius vbi ſupra*. Septimò, denique caret mendacio locutio per charientiſmum, quæ idem eſt, quod vrbanitas: vt *oſculor manus tuas*, cum tamen re ipſa non oſculetur: *Ad tuos pedes prouoluor*, & tamen id non præſtat: *ſeruus tuus ſum*, & tamen qui id dicit eſt ingenuus: *Omnia, quæ domi meæ ſunt, tua ſunt, & de illis potes diſponere pro libito*. Et tamen per hæc verba nihil alteri donat. Et ratio eſt, quia iſta locutio eſt phraſica, qua homo non intendit alterum decipere, ac enunciare falſum, ſed tantum oſtendit ſe gratum, & beneuolum eſſe alteri. Ita *Sanctius l.c.nu 6.* Et denotauit *Antonius Mancilanus* illo verſu.

Sit Charientiſmos tibi gratificatio dicta.

5 Notandum eſt 2. Vocis nomine in tradita definitione mendacii intelligi omne ſignum externum, quo falſum ſignificatur, quia verò inter ſigna externa vox obtinet principatum, & vſurpari potuit, ad ea vniuerſa ſignificanda: prout *D.Thomas* monet 2.2.qu.110.ar.1. *ad* 2. inde inferens, eum, qui nutibus falſum ſignificare intenderet, non eſſe à mendacio immunem. Cæterum *Baſſæus, Anton. à Spir. Sancto*, & alii dicunt, quod ſi deceptio intendatur verbis, dicitur proprio nomine mendacium, ſi verò factis, ſiue ſignis, tunc dicitur ſimulatio: quæ nihil aliud eſt, quam mendacium in actionibus vitæ, quando videlicet quis per huiuſmodi ſimulationes intendit aliud ſignis facere, quam interius in animo ſentit: non tamen eſt mendacium veritatis celatio, ſeù diſſimulatio, ſine falſa ſignificatione vocis, vel alterius ſigni. Sic Moyſes, & Aaron ſine mendacio, dixerunt Pharaoni, ſe ituros viam trium dierum in ſolitudine, ad ſacrificandum Deo *Exodi* 20. quamuis non habuerint intentionem redeundi: hanc enim intentionem ex iuſta cauſa tacuerunt. Hoc idem 1.*Reg.*16. fecit Samuel, ex mandato Dei pergens in Bethleem, ad vngendum Dauid in Regem: non enim tenemur omnia aliis indicare, & ſatis eſt illis non dicere mendacium. Ita *Molfeſ.tr.*11.*c.*22.*nu.*44. Abraham non eſt mentitus, cum *Gen.*12. dixit Saram vxorem ſuam, eſſe ſororem ſuam:

noluit enim reuelare veritatem, quam non tenebatur dicere, non autem mendacium proferre; quia dici potuit ſoror eius, quia ex parte patris ei attinebat; fuit enim filia Aram fratris Abrahæ, vt habetur *Gen.* 11. vnde *Gen.* 20. ait: *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non matris meæ*, ideſt, ex parte patris mihi attingens, non autem matris. In ſacris autem litteris conſanguinei appellantur fratres: vnde ipſe Abraham dixit Loth, qui erat filius fratris ſui Aram, *Gen.* 11. & 13. fratres enim ſumus. Et ſimiliter dicitur de Iſaac, quod non ſit mentitus, dicens Rebeccam ſororem ſuam eſſe, *Gen.* 26. quia re vera eius cognata fuit, ſcilicet filia Bathuelis filii Melchæ vxoris Rachor fratris Abraham, *Gen.* 24. More autem illius gentis omnes cognatæ ſorores dicebantur, ſicut cognati fratres. Ita *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 110. *ar.* 3 *ad* 3. *D. Anton. ſupra, Alex. de Ales p.* 3. *qu.* 37., *memb.* 6. Sic etiam ſi aliqui inter ſe conuenerint de aliquo modo loquendi ſub Cifra, (vt aiunt) ne ab aliis intelligantur, & coram aliis vnus alteri loquatur verba, quæ præſeferunt alium ſenſum falſum, ſed iuxta eorum pactum continent verum, non mentiuntur, etſi alii decipiantur; quia hoc eſt tantum occultatio veritatis iis, quibus ſcire non expedit. Ita *Piſanus hîc propoſ.* 27. *n.* 8. aliique.

6 Notandum eſt 3. Mendacium aliud dici formale tantum, vt cum quis dicit aliquid rè ipſa verum, putans, eſſe falſum: aliud materiale tantum, vt cum aliquis dicit aliquid re ipſa falſum, putans eſſe verum: aliud formale, & materiale ſimul, cum quis dicit aliquid re ipſa falſum, cum intetione falſum dicendi. Et vnumquodque iſtorum, vel eſt iocoſum, quod cauſa voluptatis ſuæ, vel alienæ dicitur, vel officioſum, quod cauſa vtilitatis propriæ, vel alienæ dicitur: vel pernicioſum, quod alicui iniuſte nocet: Et nullum iſtorum bonum poteſt eſſe; Immo generatim ità intrinſecè, & per ſe malum eſt, vt nullo caſu licitè fieri poſſit. Ita *Sanchez* 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. & Theologi communiter, & certò cum SS. Patribus, *Auguſtino toto lib. de mendacio, & toto altero contra mendacium*, ac *epiſt.* 8. *ad Hieronymum c.* 3. *Baſilij reg.* 76. *ex breu oribus, Greg. l.* 19. *mor. c.* 2. *&* 3. alijſq; Probatur tum ex Sacra Scriptura, *Pſal.* 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, Sapien. 1. *Os, quod mentitur occidit animam, Eccleſiaſtis* 7. *Noli velle mentiri omne mendacium, & c.* 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* Ad *Epheſ.* 4. *deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Tum quia omne mendacium ex veritate non eſt, vt dicitur 1. *Io.* 2. Atqui nihil poteſt eſſe iuſtum, ac licitum, quod non eſt ex veritate: cum Deus, qui eſt veritas, ſit omnis boni auctor, & vt inquit D. Baſilius mendacium à Diabolo ſit; nullum igitur mendacium poteſt eſſe licitum. Tum denique, quia locutionis à Deo natura naturante inſtituta eſt, vt non inuicem fallamus, ſed vt alter in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat: Ergo abuſus, & peruerſio eſt omne mendacium, id eſt dictum contra mentem, alterum fallendi cauſa prolatum. Quod & poteſt euenire, etiam dum quis ſolus

Digitized by Google

ſolus eſt, dum intendit fallere vocem, aliudue ſignum audientem, aliterque poſteà percipientem. Si dicas: Furtum eſt intrinſece malum, & tamen licitum eſt in extrema neceſſitate rem alienam capere: Ergo etiam licitum erit, iuſta de cauſa, V g. ob finem conſeruandæ vitæ propriæ, vel alterius mentiri, quamuis mendacium ſit intrinſece malum. Propter quod argumentum errauerunt Veteres quidam apud *Caſſianum collat.* 17. *c.* 17. & *Dorotheum ſerm.* 9. *de mendacio*, & alij apud *Auguſtinum vtroque libro de mendacio*, dicentes in caſu neceſſitatis, ſeù ad magnum bonum promouendum, licitum eſſe mentiri. Vnde *Abbas Ioſeph* apud *Caſſianum cit. inter alia* ait: mendacio vtendum tanquam helleboro, quod ſumitur imminente aliquo exitiali morbo. Idem docuit *D. Chryſoſt. in fine lib.* 1. *de Sacerdotio*, vbi conatur ſuum dictum confirmare facto cuiuſdam Medici, qui infirmo acris, vehementiſque febris vinum maximo deſiderio petenti porrexit vas recens teſtaceum antea vino permulto immiſſum, poſtea tamen aqua plenum, quod infirmus manibus, cum nec dum apprehendiſſet, vini odore ad eius nares ſtatim peruadente, non ſuſtinuit curiosè indagare quid ſibi à Medico porrigeretur, verum eo odore perſuaſus, & etiam rei appetitæ deſiderio victus, quod propinabatur, propenſiſſimè hauſit, ac ſatiatus febris æſtum ſtatim excuſſit. Quibus præiuit *Origenes l.* 6. *ſt omatum*, vbi adducit dictum *Platonis l.* 3. *de Republ.* dicentis, quod Deo eſt inutile, & indecens mentiri; at homini quandoque vtile, & neceſſarium, inſtar medicamentorum. Contra eſt; & ad argumentum neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt; quia aduenіente neceſſitate extrema, omnia fiunt communia, nec Dominus eſt rationabiliter inuitus: ſed ob finem bonum, non tollitur prauitas mendacij, ſicut neque tollitur prauitas furti, alioqui tolleretur prauitas omnium peccatorum ex intentione boni finis, quod eſt abſurdum, & à ratione omnino alienum. *D. Chryſoſt.* & alij excuſantur, dum ibi hæc veritas non erat ità manifeſta; ſicut etiam ex ignorantia inuincibili excuſatur dictum, & factum Iudichæ, & Obſtetricum Ægypti. Laudatur autem Iudith, non quia mentita eſt Holopherni, ſed propter affectum, quem habuit ad ſalutem populi, pro qua periculis ſe expoſuit: quia reſponſione vtitur *D. Thomas l.* 1. *ar.* 3. *ad.* 3. *qui ad.* 2. *cum D. Auguſtino lib. de mendacio c.* 5. *& lib. contra mendacium c.* 15. dixit, quod obſtetrices Ægypti *Exodi* 1. remuneratæ nō ſunt pro mendacio, ſed pro timore Dei, beneuolentia, & miſericordia, quam ſeruandis à nece infantibus præſtiterant, ex qua proceſſit mendacium. Vnde ſignanter dicitur *Exodi* 1. *cit. Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit illis domos*. Nullatenus tamen excuſandus quidam Recentior, qui noſtris temporibus, vbi hæc veritas ſatis manifeſta eſt, in quodam ſuo Poemate laudauit mendacium cuiuſdam puellæ, quæ vt ſaluaret vitam multis innocentibus, finxit, & conſtituit ſe ream cuiuſdam culpæ, qui huius facti narrationi adiunxit epiphomena dicens,

Ma-

Digitized by Google

Magnanima menzogna, hor quando è il vero
Sì bello, che ſi poſſi à te preporre?

7 Notandum eſt 4. Quod amphibilogia eſt *dubia ſententia, ſermonis*, ab amphi, quod eſt dubium, & buli, quod eſt ſententia, & *logos*, quod eſt ſermo. Æquiuocatio verò eſt vnius, & eiuſdem nominis diuerſa ſignificatio. Ita *D. Thomas tr. de Fallacijs c. 9.* Ex quo oritur fallacia æquiuocationis, quæ eſt deceptio proueniens ex eo, quod vnum nomen plura ſignificat, vel principaliter: vt hoc nomen *canis* ſignificat principaliter animal latrabile, piſcem marinum, & cæleſte ſidus. Vel vnum propriè, & alterum impropriè, & metaphorice: vt hoc verbum *ridet* principaliter ſignificat vſum ridendi hominis: metaphoricè autem, & tranſumptiuè prati floriditatem, & hoc nomen *aqua* propriè ſignificat vnum ex elementis: impropiè verò, ac metaphoricè peccata. Et quamuis ſoleat confundi æquiuocatio cum amphibologia, vt hic confundunt *Corella, Felix à Panormo, Torrecilla, Sporer, Briſacenſis*, & alij: reuera tamen differunt; quia (vt notat idem S. Doctor) æquiuocatio prouenit ex eo, quod vna dictio penitus eadem plura ſignificat; Amphibologia verò prouenit ex eo, quod vna oratio penitus eadem plura ſignificat. Poteſt autem vna oratio plura ſignificare vel ſine addito mentali, cuius prima ſpecies prouenit ex eo, quod vna oratio plura ſignificat propter diuerſam habitudinem conſtructorum; vt hic *Liber eſt Ariſtotelis*: poteſt enim intelligi ſecundum habitudinem effectus ad cauſam; vel poſſeſſi ad poſſidentem: Secunda ſpecies prouenit ex eo, quod vna oratio plura ſignificat propter diuerſam partium conſtructionem, nempè tranſitiuè, vel intranſitiuè, ſicut in hoc Syllogiſmo. Quicumque ſunt Epiſcopi, ſunt Sacerdotes: ſed iſti aſini ſunt Epiſcopi: erga iſti aſini ſunt Sacerdotes. Vbi ly *Epiſcopi* in minori poteſt conſtrui tranſitiuè, & eſt genitiui caſus, & ſic eſt vera: poteſt etiam conſtrui intranſitiue, & eſt nominatiui caſus, & ſic eſt falſa: Tertia ſpecies eſt, quando vna oratio ſignificat plura, vnum principaliter, & aliud tranſumptiuè, ſicut hæc oratio *littus aratur*, principaliter ſignificat littoris ſciſſionem, tranſumptiuè verò operis amiſſionem. Vel cum addito naturali. Et hæc amphibologia duplex eſt, ſecundum *Gonetum*, & alios, materialis, & formalis, ſeu (vt vocant *Suarez*, & *Briſacenſis*) ſenſibilis, & mentalis. Materialis eſt, quando additum, ratione cuius vna oratio vnum ex ſe ſignificans, aliud ſignificare poteſt, eſt circumſtantia, quæ ab audiente percipi poſſet, & per eam venire in cognitionem ſignificationis, vel ſenſus à loquente intenti. *Circumſtantiæ autem hic*, (vt ait *Pratelius p. 3. c. 1. § 2. nu. 43*) *ex vſu, apud prudentes recepto conſignificantes, cenſentur. Primò ſtatus Confeſſarij, legati, ſecretarij, &c. Secundò talis obligatio rem celandi, vt interrogans non poſſit honeſtè, aut prudenter velle, vt detegatur. Tertiò ius, quod interrogatus habet ad magnum bonum, ex rei celatione ſibi prouenturum, aut ad vitandum graue malum alio-*

qui

qui incurrendum, vt caſu, quo maritus quærit ab vxore, vtrum admiſerit adulterium. Hæc *Pratelius.* Sic etiam hæ circumſtantiæ ſunt modus loquentis, & interrogantis, tempus, quo dicitur oratio, auctoritas perſonæ quæ eam enunciat, &c. Vnde ſi pœnitens interrogetur à Confeſſario, an fecerit hoc peccatum, & reſpondeat; non feci, quod tamen fecerat, ſed in alia confeſſione dixerat, verum diceret; ea enim Confeſſoris interrogatio refertur ad peccata non confeſſa. Et ex auctoritate loquentis multoties verba interpretari debent in diuerſo ſenſu, ac ſonant, quę ſi dicerentur ab alijs, non eſſent in eo ſenſu accipienda: ob idque inuentæ ſunt multoties in ſcriptis Sanctorum Patrum propoſitiones, ex vi terminorum hæreſim dicentes: tamen attenta ſanctitate, & doctrina dictorum Sanctorum, prædictæ propoſitiones in aliquem verum ſenſum interpretantur à Doctoribus, quæ in alijs hominibus inferioris notæ inuentæ, vt hæreſes ſunt damnatæ, vt recte notat *Andreas à Matre Dei tr. 17. de voto & iuramento c. 2. pu. 8. §. 1. n. 106.* & *Card. de Aguirre to. 3. d. 135. ſect. 4. nu. 47. Solis ſacris literis,* (inquit etiam rectè *Contenſonus diſſert. 5 de Gratia*) *ſolis SS. Patrum dictis Eccleſia hanc debet reuerentiam, vt difficilia, & obſcura eorum verba inquiſitis reconditis eorum ſenſibus explicet, pijſque interpretamentis exponat. Corella hìc n. 109.* numerat inter circumſtantias etiam Eutrapeliam. Amphibologia verò formalis eſt quando additum, ratione cuius propoſitio determinatur ad alium ſenſum, quem ex ſe habet, nullo exteriori indicio, & circumſtantia poteſt deprehendi, ſed eſt pure mentaliter intellectum arbitrariè à loquente, vt ſi à Petro plures pecunias habente, mutuo pecunias petas, & ille reſpondeat, non habeo pecunias, adiungendo mentaliter ad tibi dandum. Et hæc formalis amphibologia dicitur etiam reſtrictio purè mentalis; materialis verò dicitur reſtrictio non pura, vt notat *Piſanus hìc prop. 26. nu. 2.* qui vocat hanc reſtrictionem puram locutionem formalem, reſpondentem ad id, quod de formali importatur in interrogatione.

8 Notandum eſt 5. Quod *Caramuel V. Haplote ar. 2. concluſ. nu. 14. pag. 17.* & alij adducunt aliam amphibologiam, per quam voces ſupponantur ſuppoſitione materiali, quo pacto dum homo loquitur nihil affirmat de obiecto: Vt cum quis dicit Petrus eſt nomen, nihil affirmat de Petro, ſed de voce Petrus. Similiter ſi quis fecit furtum, & interrogatus, an id fecerit reſpondeat: Dico, quod non feci, affirmans ſe dicere ea verba: quo pacto ea verba materialiter ſumuntur. Sicut cum quis mandat memoriæ carmina Virgilii, aut recitat, nihil affirmat de obiecto, ſed ipſæ voces vſurpantur materialiter. His prænotatis, ſit.

*****

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

9 DIco 1. Amphibologia formalis non eſt abſque mendacio, & periurio,ſi addatur iuramentum. Et contraria Propoſitio meritò eſt fulgurita, vt minimum tanquam ſcandaloſa. Ita *Lumbier, Filguera, Hozes, Torrecilla, Corella, Cardenas, Felix à Panormo, Pratel.us, Sporer, Briſacenſis*,& alii,ſcribentes poſt hoc Decretum.

10 Probatur 1. ex *D.Auguſtino lib.de mendacio c.2*.dicente: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enunciat; vnde etiam duplex cor dicitur eſſe mentientis, id eſt duplex cognitio: vna rei eius, quam veram eſſe, vel ſcit, vel putat, & non profert; altera alterius rei, quam pro iſta profert, ſciens iſſe falſam, vel putans*. Hæc ille. Atqui totum hoc adeſt in proferente verba cum pura reſtrictione mentali: Ergo, &c. Conſonat *Innoc.III.in c. & ſi Chriſtus, de iure iur.* dicens: *Etſi Chriſtus præceperit ſecundum Euangelicam veritatem, ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non; vt affirmatio, vel negatio ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde*. Quaſi dicat Pontifex: regula Euangelica eſt: Non reſtringat mens, quod lingua non reſtringit; ſed vtraque lingua interior, & exterior ſibi ſemper conſonent: Atqui contrarium ſeruatur in Amphibologia formali: Ergo, &c.

11 Probatur 2. Amphibologia formalis cum ſola, & pura reſtrictione mentali eſt locutio falſa, & difformis menti loquentis: Ergo continet mendacium, &c. Probatur antecedens. Nam ſi quis V. g. comedit piſces, & exterius dicat, non *comedi*, addendo interius *ex carne*; propoſitio exterior, negat vniuerſaliter omnem comeſtionem: neque enim habet, vt ſupponitur, aliquid, per quod exterius reſtringatur ad negationem ſolius comeſtionis carnis: alioqui reſtrictio non eſſet purè mentalis, ſed exterior, contra id, quod ſupponitur. Atqui nullus conceptus interior negat vniuerſaliter omnem comeſtionem; ſi quidem homo interius iudicat ſe comediſſe carnes: Ergo in prædicto caſu adeſt falſitas, & difformitas inter vera exteriora, & mentem; vnde quia verè contra mentem itur, mendacium committitur.

12 Probatur 3. Hominibus non loquimur niſi locutione humana corporea. Atqui hæc conſtituitur ſola externa verborum ſignificatione: Ergo ſi hæc non conſonat menti,eſt falſa, & continet mendacium,quamuis non diſſonet alteri verbo interiori loquentis, quod non attenditur, quia cum voce exteriori non componit vnam locutionem. Probatur maior; quia nemo per verba interna poteſt loqui, niſi ſoli ipſi, vel Deo inter-

ternas cogitationes cognoſcenti. Probatur minor; nam locutio humana corporea eſt ſignificatiua præcisè, quatenus exterius profertur; quia cum ab alio poſſit hac ratione præcisè cognoſci, etiam hac ratione præcisè poteſt alteri eſſe ſignum alicuius rei. Conſequentia etiam liquet; nam locutio purè interna per verbum illud interius nullatenus ſignificatum per voces, & ſigna externa, nullatenus poteſt complere ſignificationem locutionis externæ, efficiendo, vt hæc plus, aut aliud ſignificet, quam ſine illa ſignificaret. Vnde rectè *Coninch de Sacram.qu.60.ar.8.num.60. & 62. Card.de Lugo, Briſacenſis,* & alii communiter tradunt, quod verborum ſignificatio nec pendet ab intentione priuata loquentis, nec ab eiuſdem intentione poteſt immutari, niſi externum aliquod ſignum addatur communiter vſurpatum; ſiquidem locutio illa merè interna, nullam habet rationem ſigni, nec quicquam aliqua ratione ſignificat; ſignum enim ex *D.Auguſt.l.2.de Doctr.Chriſt.c.1.* eſt quædam res, præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, faciens aliquid aliud in cognitionem venire. Patet ergo, quod externa locutio in ſe falſa nullam recipit veritatem in ſe à mentis reſtrictione facta ab ipſo dicente: ac proinde qui ſic loquitur amphibologicè amphibologia formali, mentitur ſemper, eſtque periurus, ſi iuret. Nec his contradicit *D.Greg.l.26.mor.c.7.* relatus *in c.humanæ aures 22. q.5.* nam ibi ait quod quando verba poſſunt habere rectum ſenſum, humanæ aures, ſeù homines in diiudicandis aliorum verbis non raro falluntur, ea intelligendo in ſenſu alieno menti loquentium; vt errauit Eliu, qui ex eo, quod *Iob c.31.* dixerat: *Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam,* infert *c.35.verſ.1.* quod Iob ſe fecerat iuſtiorem Deo: ſecùs verò Deus, qui intentionem intuetur; & in hoc ſenſu bene *Gratianus* addit, quod non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni.

13 Probatur denique ex inconuenientibus; nam ex oppoſita opinione imprimis enormia iuramenta deberent admitti, & hæreſis excuſari. E.g. ſi quis iuraret, Chriſtum non fuiſſe natum, & mente conciperet in Ægypto: non fuiſſe in Hieruſalem, mente ſub intelligendo eo tempore, quo fuit in terra Ægypti: ipſum non reſurrexiſſe à mortuis, ideſt ante noctem Dominicam præcedentem, & ſimilia. Deinde tolleretur humanum commercium, nec inter homines conſtaret de veritate contractuum, iuramentorum, obligationum, &c. Etenim ſi modus hic amphibologicus eſſet verus, nunquam poſſet humanum commercium eſſe cum certitudine; quia ignoratur mens alterius, & verba externa ſunt falſa. Benè autem dicunt Iuriſtæ, quod intentio mente retenta nihil operatur in humanis contractibus.

14 Hinc patet, quam doctè ſcripſerit *Caramuel in Theolog. Fundam. fundam.62.* contra iſtam amphibologiam formalem, ſeù reſtrictiones purè mentales, qui *n.1803.* hæc habet: *Eſt mihi innata auerſio contra reſtrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis, & ſinceritatis,*

Ddd ne-

neceſſariæ non ſunt; nam omnia, quæ ipſæ præſtare poſſunt, præſtabunt conſignificantes circumſtantiæ: quod ſi tales dicantur, vt etiam ibi admittendæ ſint, vbi deſunt circumſtantiæ ſignificantes, (ignoſcant mihi earumdem Auctores, & propugnatores) tollunt humanam ſocietatem, & ſecuritatem, & tamquam peſtiferæ damnandæ ſunt. Quoniam ſemel admiſſæ, aperiunt omni mendacio, omni ſceleri oſtium; & tota difficultas in eo erit, vt quod heri vocabatur mendacium, naturam, & malitiam non mutet, ſed nomen, ita vt hodie iubeatur reſtrictio mentalis nominari: quod eſt virus condire ſaccaro, & ſcelus ſpecie virtutis colorare.

15 Non tamen approbo cum *Io:de Cardenas in Criſi Theol.diſſer.19. c.4.num.52. Car.de Alexio obſer.107. ad Capycium Latro num.35.* & alii, modum amphibologiæ *Caramuelis*, per quam voces ſupponantur ſuppoſitione materiali, nec approbatur à Cenſoribus Romanis, teſte eodem *Io: de Cardenas*: quia licet vſurpatio vocum cum ſuppoſitione materiali non videatur eſſe reſtrictio mentalis, qualis in ſecundò, & ſequentibus Propoſitionibus damnatur; tamen contra illum modum adhuc vrget, quod quis loquitur homini, & manifeſtat conceptus ſuos. Ergo debet illas voces ſignificatiuè proferre: hoc exigente fine locutionis. Aſt dato, & non conceſſo, quod liceret illas voces materialiter, & non ſignificatiuè proferre: ſententia *Tamburini* etiam eſſet falſa: quia ad hoc licitum non eſſet illis vti ad aliud diuerſum ſignificatum ab eo, quod habent: non quia ſit aliquod pactum Reipublicæ; ſed quia naturale, & proprium munus vocum eſt, vt conceptus explicent: ad hoc enim ſunt inſtitutæ: non explicarent conceptus noſtros, ſed alios ſi aſſumuntur ad ſignificandũ aliud ab eo, quod ſignificare conſueuerunt, vt vult *Tamburinus*, dicendo, ſe non dormiſſe, ad ſignificandum ſe non comediſſe. Cui hoc quęſo ſignificarent, niſi ſibi ipſi? Quomodo poſſent homines amplius conuenire, ſi cuique liceret ſignificare qualibet voce quodcumque libenti?

16 Porro. Quamuis caſus expreſſi in Propoſitione 26. ſunt de amphibologia formali negatiua, nihilominus ſub damnatione venit vſus amphibologiæ formalis etiam affirmatiuæ, cum ſcilicet, quis affirmat, ſe feciſſe, quod non fecit, intelligendo intra ſe additum aliquod verum. Ita communis, & vera ſententia, ex illo communi axiomate: Exempla non excludunt ſimilia. *§.Hactenus, inſtit.de Gradibus*: amphibologia autem formalis negatiua eſt ſimilis affirmatiuę in eſſe moris. Cũ ergo in affirmatiuis non expreſſis verificetur eadem ratio negatiuarum expreſſarũ, verificatur eadem prohibitio, & damnatio. Et ex eadẽ ratione rectè dicunt cõmuniter, quod prohibitio amphibologiæ formalis tenet non ſolũ in operibus materialibus, quæ ſunt exempla Propoſitionis proſcriptæ, ſed etiam ſi quis iuret ſe non audiuiſſe, ſe non intellexiſſe, cum reuera viderit, audiuerit, intellexerit, &c. intelligendo intra ſe aliquid additum verum. Habebitque locum prohibitio ſiue amphibologia hæc fiat voce, ſiue nutu, &c.

& ſiue

Digitized by Google

& ſiue operando, ſiue omittendo. Addunt etiam Theologi, quod eo modo, quo aliquis ſolet dicere mendacium, poteſt etiam vti hac amphibologia formali fulgurita.

17 Habes igitur ex hactenus dictis, amphibologiam formalem continere culpam. Si autem velis ſcire qualitatem culpæ in vſu huius amphibologiæ, ne aliquid ſentiatur contra damnationem. Aſſero, quod tenemur affirmare eſſe peccatum graue, cui annectitur excommunicatio reſeruata Papæ, ſi aſſeratur eſſe veram huius Propoſitionis doctrinam proſcriptam. Item tenemur affirmare, non eſſe ſine mendacio vel leui, vel graui, pro qualitate materiæ, ſi vtatur amphibologia formali, quæ ſcilicet ſit per verba falſa externe, vera tamen internè: cui mendacio ſi iuramentum addatur, erit mortale periurium. Non eſt ergo neceſſe aſſerere, mendacium illud eſſe ſemper leue, vel ſemper graue, ſed debet attendi grauitas, vel leuitas materiæ; periurium tamen, ſeù incrementum cum tali mendacio eſt ſemper lethale. Et quidem eo magis, quo mendacium erit leue, quod per iuramentum firmatur; quia maior iniuria Deo irrogatur ipſum adducendo in teſtem rei vilis falſæ. Ita Doctores communiter.

18 Dico 2. Amphibologia materialis, ſeù ſenſibilis, (quæ ab aliquibus dicitur primi, & ſecundi generis) non ſubeſt proſcriptioni. Ita *Lumbier, Corella, Torrecilla, Cardenas, Felix à Panormo, Car.de Alexi. Sporer, Briſacenſis, Morettus*, aliique.

Probatur. Hæc ſemper eſt vera: vnde nec mentitur, nec eſt periurus, qui cum iuramento eo modo loquitur: ergo non ſubeſt proſcriptioni. Probatur antecedens. Verba, quæ iuxta hanc amphibologiam proferuntur important hic, & nunc illum ſenſum, quem ipſe loquens intendit exprimere, ſeù verba illa ſeorſim à reſtrictione mentis veritatem habent ex circumſtantia. Si enim quis interrogetur, àn habeat equum, & reſpondeat, non habeo equum, ſubintelligens intra ſe, vt eum tibi commodem: in iſto caſu, ſi ille, qui interrogat, habuit intentionem ſic interrogandi, vt ei equus commodaretur, tunc negans, ſe habere equum ad commodandum, veritatem dicit ex circumſtantia locutionis ad mentem interrogantis, licèt verè habeat equum. Similiter ſi Confeſſarius interroget pœnitentem, an furtum admiſerit, & iſte reſpondeat, non videlicet, quod debeat fateri, quia iam alias de furto facto confeſſus eſt; iſte pœnitens dicit verum in eo circumſtantia, cum interrogatio Confeſſarij communiter intelligatur de furto, quod ſit clauibus ſubijciendum pro vt nunquam confeſſum: Ergo &c.

19 Dico 3. Æquiuocatio non ſubeſt propoſitioni; quia ex ſe non continet mendacium, & licita eſt, ſi ex iuſta, & rationabili cauſa vſurpetur. Ita *Io: de Cardenas cit.diſſert.19.à c.14. Corella hìc num.84. Hozes, Torrecilla, Felix à Panormo, Sporer, Briſacenſis, Morettus*, & alij, & *Carol.de Alexio obſeru.107.ad Capycium Latrum num.30.* Et quod æquiuo-

tio ex ſe non contineat mendacium, & ſit licita, ſi ex iuſta, & rationabili cauſa fiat, docent ante hoc decretum *Sanchez l.3. Decal.c.6.à nu.13. Andreas à Matre Dei* atteſtans de communi *tr.17.de voto, & iuram.c.2.pu.8.§.3.nu.115. Ferre, Ouiedus, Meg:llus*, & alij communiter. Eſt contra *Piſanum hic propo,.27.nu.5.ſeqq.* putantem continere mendacium propoſitiones æquiuocas ſumptas pro minus principali ſignificato, & improprio, ac non conſueto: niſi adſint aliquæ exteriores circumſtantiæ, ex quibus conſtet in illo ſenſu accipi à loquente, vt accidere ſolet in hominum congreſſu, vbi recreationis gratia, & ingenij acuendi, ad hoc tendit diſcurſus, vt ænigmata proponantur, verba æquiuoca, & metaphoræ, quos ſpiritus, & ſales appellamus.

20 At probo abſolutè, æquiuocationem ex ſe non continere mendacium; & licitam eſſe, ſi ex iuſta, & rationabili cauſa vſurpetur. Tum quia mendacium eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi, vt viſum eſt §.1. Sed in æquiuocatione non eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Ergo non eſt mendacium. Prob.min.quia in æquiuocatione adeſt ſenſus verus vocis, ſiue proprius, ſiue improprius, qui intenditur à proferente: alius verò ſenſus non intenditur ab ipſo, ſed ab audiente: à proferente verò tantum permittitur. Ergo in æquiuocatione non adeſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Tum quia, *Verba*, quæ iuxta æquiuocationem proferuntur, important in ſe, & externè omnem ſenſum, quem ipſe loquens intendit exprimere. Ergo eiuſmodi locutio non eſt contra mentem, & per conſequens non eſt mendacium: cum mendacium ſit contra mentem ire. Tum etiam, quia Deus poteſt æquiuocè loqui ex cauſa: & de facto in Sacra Scriptura extant plures locutiones ambiguæ, & obſcuræ, quæ per Eccleſiæ iudicium, & interpretationem debuerunt declarari, quia Hæretici illos pro eorum placito errantes intellexerunt, vt docent omnes Theologi cum *R palda de Fide diuina d.4.ſect.6.num.44.* Ergo hic loquendi modus non continet ex ſe mendacium &c. Deus enim mentiri nequit. Facit etiam reſponſum Matris Machabeorum ad Antiochum 2. *Machab.7.* quæ ab eo multis verbis hortata, vt filio ſuo adoleſcenti fieret in ſalutem, promiſit, ſe ſuaſuram: nec tamen ei obedientiam Regi ſuaſit, ſed contemptum Regis, & obedientiam legis. Non videtur autem admittendum, quod ipſa tunc vel mendaciter ſit locuta, vel infideliter operata; nam de ea dicit Scriptura, quod loquebatur repleta Sapientia, & erat mirabilis, & bonorum memoria digna, ferebatque necem filiorum propter ſpem, quam in Deum habebat. Certè verò Rex intellexit, vt fieret in ſalutem temporalem filio ſuo; ad remouenda, ſcilicet, ab eo tormenta, & mortem, ipſa autem locuta eſt de ſalute ſpirituali, ſiquidem filio ſuo ſuaſit conſtantiam in obedientia legis: locuta ergo eſt æquiuocè, & laudabiliter.

21 Hinc ſi quis occideret hominem natione Gallum, ſine mendacio

dicit

dicit, ſe non occidiſſe gallum, vſurpando hanc vocem pro gallo gallinaceo: vt cum *Sanchez* ait *Io. de Cardenas ſupra c.4.num.33.* addens tamen eſſe illicitum ſic loqui, ſi non adſit iuſta cauſa occultandi veritatem. Similis æquiuocatio eſt in verbo *eſt*; hoc enim habet duas ſignificationes, nempè aſſiſtentiam, & manducationem: quare ait *Gloſſa in c. ne quis 22. q.3. Per æquiuocationem cauſę deludat interrogantem, dicendo, non eſt hìc, ideſt, non comedit hìc.* Sequitur vtrumque *Car. de Alexio l.1.* Nec mendacium eſt dicere: Antonius eſt in domo mea, vbi habeo picturam, ſeu figuram *D. Antonij Corella hìc num.* 84. Et ſi Petrus petitur in domo ſua, & eius vxori, aut filio, aut famulo vtile eſt occultare, quod ſit in domo, poſſunt reſpondere ſine mendacio, quod Petrus exiuit è domo, intelligendo, quod exiuit alijs vicibus de domo; quia ipſa verba *exiuit de domo*, ſunt æquiuoca, & ſignificant & quod Petrus exiuit de domo parum ante, aut multo tempore ante. Ergo intendendo ſignificare cum illis, quod ante exiuit de domo, non erit mendacium: quamuis alias audientes decipiantur, intelligendo per illa, quod Petrus actualiter reperitur extra domum. Ita *Corella nu.*86. Nec eſt mendacium dicere, *bibi aquam*, ſumendo aquam pro peccato, iuxta ſuperiùs dicta.

22 Nulla tamen æquiuocatione licet vti ſine iuſta, & rationabili cauſa. Quia ſocietas hominum politica, & ciuilis ſeruari non poſſet. Adde quod talis modus loquendi repugnat fini, ad quem locutio eſt inſtituta, & loquendi facultas. Ita cum communi *And. à Matre Dei ſupra §.1. num.* 107. *Carol. de Alexio ſupra.* Vnde qui ſine cauſa æquiuocatione vtitur, ab omnibus cauendus eſt, iuxta monitū Eccleſiaſtici 37. *Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt.* Et ſolet dici ſtulta calliditas reprobata ab ipſis Ethnicis. Dux quidem Romanus (nomen non reddit *Tullius 3. offic.*) pactus triginta dierum inducias, cum hoſtibus, noctu depopulabatur agros eorum dicens, ſe dierum, non noctium pepigiſſe inducias, accipiendo diem minus propriè pro ſpatio temporis, quo Sol illuminat hemiſpherium, non propriè, & naturaliter pro ſpatio viginti quatuor horarum, & improbatur à Tullio. Quintus etiam Fabius Labeo malè audit apud Hiſtoricos, quod accepturus ex fœdere medietatem nauium Antiochi Regis, quem bello deuicerat, omnes eius naues medias ſecuerit, vt Regem tota claſſe priuaret, dicens, ſe hoc ſenſu medietatem accepiſſe, dum fœdus fecerat, intelligens ſcilicet medietatem non numeri nauium, vt ſolet intelligi, ſed cuiuſque nauis in particulari, & tamen ab ipſis Gentilibus improbatur. Non peccat tamen, qui æquiuocationibus ſine cauſa vtitur, contra negatiuum præceptum non mentiendi, ſed peccato omiſſionis, contra affirmatiuum veritatis dicendæ. Ita rectè cum communi *Sanchez d.l. 3.c.6.nu.16. Carol. de Alexio ſupra.* Hoc autem præceptum affirmatiuum, exigente ita ratione boni communis, & ciuilitatis, obligat quemlibet à proximo interrogatum, ad reſpondendam determinatam veritatem, de

qua

qua interrogatur, vel de qua ortus eſt ſermo, niſi ex iuſta cauſa interrogatus ius habeat ad eam veritatem occultandam.

23 Dico 4. Omnis ſpecies æquiuocationis, ſeu æquiuocorum ex ſe eſt immunis à mendacio; & ſic immune eſt, non ſolum nomen, aut verbum habens proprium ſenſum, & metaphoricum, ſed etiam habens ſenſum literalem, & myſticum, ſeu allegoricum, figuralem, ac propheticum. Ita *Io: de Cardenas c.4.Carol.de Alexio ſupra nu.32.*& alij cum *D.Anton.2.ptit.*10.*c.*1.*lib.*1.

Probatur. Quia mendacium eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione decipiendi. At, qui loquitur ſenſu verò ſecundum myſterium, prophetiam, figuram, ac allegoriam, non loquitur falsò, vt patet. Ergo talis loquutio non continet mendacium. Vnde rectè *D.Auguſt.lib.co tra Mendacium c.*10. affirmat, quod nec metaphora, nec figurata loquutio, ac figuralis eſt mendacium.

Hinc vere; & ſine mendacio Chriſtus Dominus dixit, Ioannem Baptiſtam eſſe Eliam,& Angelum, vt habetur *Io.*1.licet ipſe interrogantibus Iudæis dixerit, non eſſe Eliam: nam in perſona non fuit Elias: & hunc ſenſum intendebat Ioannes: Fuit autem Elias in ſpiritu, virtute, ac imitatione Eliæ: ac Angelus in officio, & imitatione vitæ Angelicę: & hunc & ſupra intendebat Chriſtus Dominus, vt docent ibi communiter Patres, ſic etiam *D.Greg.hom.*7.*in Euangelia, Sayr.*§.12.*clauſ. c.*2.*num.*7. Similiter ſine mendacio dixit Iacob *Gen.*27. patri ſuo, ſe eſſe primogenitum Eſau. Erat enim talis, nō in nomine,& natiuitate,quia erat Iacob;ſed tum in iure primogenituræ, quæ duplici iure erat ſua. 1. quia Eſau ipſi Iacob primogenituram vendidit eſculentis. 2. quia Diuinitus fuit tradita Iacob primogenitura, in illis verbis, *Maior ſeruiet minori*: tum etiam per Spiritum Prophetiæ, ad ſignificandum myſterium; quia videlicet, Senior populus, ſcilicet, Gentilium, ſubſtituendus erat in locum primogeniti ſcilicet in locum Iudæorum. Ita *S.Thomas* 2.2.*q.*110.*ar.*4.*ad* 3.*Reginald.l.*24.*c.* 1. *ſect.*3.*nu.*8. Raphael Archangelus quoque ſine mendacio dixit Tobiæ. ſe eſſe de filijs Iſrael, Azariam, Ananiæ magni filium, vt habetur *Tobiæ* 5. hoc enim non dixit de perſona, ſed myſtice, & in ſignificationem, ac interpretationem illorum nominum *Iſrael, Azarias, & Ananias*: namque *Iſrael* ſignificat videntem Deum, *Azarias* verò adiutorem, & *Ananias* gloriam Dei. Verè autem Raphael attribuit ſibi illa nomina, vtpotè qui videbat Deum, & adiutor erat Tobiæ, ac Dei gratia dignus. Ita *D.Antoninus cit.*§.1.*ſub finem, Reginald.* vbi ſupra. Sic etiam Religioſus quidam Minorita ſine mendacio, per ſenſum Spiritualem, & myſticum appellauit ſepulchrum cuiuſdam viri ſæcularis, domum illius. Vt enim refertur in 2. p. Chronicorum S.Franciſci, Dei ſeruus accepit quaſdam aues à viro ſæculari, vt deferret in domum eius, & pergens ad templum, miſit eas in ſepulchrum, quod ſibi conſtruxerat ſæcularis ille. Qui non inueniens

aues

aues in domo ſua obuiam factus Minoritæ expoſtulauit cum eo de dolo, & mendacio. Ipſe verò duxit ſæcularem illum ad templum, & oſtenſo ſepulchro dixit: *Ecce aues tuæ, hæc eſt domus tua*; quo loquendi modo dedit illi monitum ſalutis. Ita *Cardenas cit.c.4.nu.47.*

24 Ex dictis infertur 1. Quod qui abſtulit famam ob detectionem veri criminis occulti, poteſt ad eam reſtituendam dicere, ſe deceptum fuiſſe, quando talia dixit: Omnis enim, qui peccat, à dæmone, vel à ſua paſſione decipitur. Ita *Andreas à Matre Dei tr.13.de reſtit.cap.4.pu.11. num.133. Laurentius à S.Thereſia to.4.ſpicilegij controu.7.n.110.Card.de Lugo de iuſt. & iure d.15. ſect.2.nu.30.* Vel ſe erraſſe; quia omnis, qui peccat, erret, & dicere cum illis peccatoribus poteſt: *Ergo errauimus*. Ita *And. à Matre Dei, & Card. de Lugo* vbi ſupra. Vel falſum dixiſſe; quia ſicut omne opus bonum, quia conforme legi diuinæ vocatur veritas; vt *Pſalmiſt.* dicit. *Omnia mandata tua veritas*, ita omne peccatum, etiam linguę, & ſic detractio, etiam per manifeſtationem veri occulti; eſt falſitas; quia non eſt conforme legi diuinę, vt rectè docet *D.Thomas 1.p.q.17.ar.1.* dicens; *Ipſa peccata falſita es dicuntur in ſcripturis; ſecundum Pſalmum 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Atque ita in caſu noſtro docent *Candidus diſp 26.ar.3.dub.2. Andreas à Matre Dei, & Laur à S.Thereſia ſupra, Sanchez cit.c.6.num.28. Salmant.tr.de Fide d.2. dub.1.§.2. num.32.* Item poteſt dicere, ſe non verum dixiſſe, ſed falſum, ſubintelligendo, non eſſe verum veritate publica, quæ ſola manifeſtari poteſt in his materijs. Sic. *Card.de Lugo* ſupra, & alij. Vel denique poteſt dicere, ſe mentitum fuiſſe: quia omne peccatum eſt mendacium, iuxta illud *Ieremiæ 8. Apprehenderunt mendacium*, hoc eſt peccatum, & locum *Pſalmi 4. cit.* Tum etiam quia iſte detractor locutus eſt contra dictamen practicum, contra quod non eſſe loquendum in tali caſu monebatur, & practicè, eſſe loquendum aſſeruit, vel conſenſit, & ſic loquutus eſt practicè contra mentem. Sic benè *Bannez 2.2.qu.62.ar.2.dub.8. concluſ.3.* vbi etiam *Serra dub. 3.concl. 3.Sanchez, Candidus, Andreas à Matre Dei, & Salmant.locis citatis.* Dixi: *poteſt ad eam manifeſtandam dicere ſe mentitum fuiſſe*; nam quamuis hic modus æquiuocationis ſit ſine mendacio, vt etiam alij numerati in præſenti caſu; tamen puto cum *Serra* ſupra, & alijs, non eſſe obligandum, talem detractorem manifeſtantem verum occultum dicere, ſe mentitum. Imò non ſuaderem, propter maximam infamiam, quam contraheret: quæ poteſt vitari reſtituendo famam alijs modis numeratis, præſertim illo ſuauiori, & non minus efficaci, dicendo: *Quando tale delictum de tali dixi, illud verum exiſtimabam, ſed poſtea inueni falſum dixiſſe.* Quem modum commendat etiam *Ferre tr.de Fide q.3.§.5.n.37.*

25 Secundò. Multi viri ſpirituales mortificationis ſtudioſi, cum inuitantur ad cibi ſapidi delicias, licitè affirmant, illum cibum ſuæ valetudini nocere, intelligentes id in ſenſu ſpirituali, & metaphorico; quia

licet

licet ille cibus non noceat corporibus, nocet tamen perfectioni, quam profitentur. Ita *Io. de Cardenas ſupra c.4.n.47.*

26 Tertiò. Ægritudinis doloribus afflicti licitè reſpondent, benè ſe valere; quia licèt malè ſe habeant, quoad corporis valetudinem, benè tamen ſe habent quoad robur ſpiritus: & valetudinem, quę ſignificat corporis ſanitatem, metaphorice vſurpant pro ſanitate ſpiritus. Ita *Cardenas ſupra*, & alijs.

27 Quartò. Fœmina obligata ad laudandam potionem ſibi propinatam, illam quidem inſipidam, poteſt abſque mendacio, & ſic licitè dicere, eſſe bonam, intelligens de bonitate traſcendentali; quia de quolibet ente creato, cum veritate dicitur, quod ſit bonum; omnia enim entia pollent bonitate tranſcendentali. Dici etiam poteſt bona; quatenus bona eſt, ad virtutem mortificationis exercendam: in quo dicto non interuenit mendacium, ſed ſola ſignificatio eius vocis *bona*, quæ vniuerſalis eſt, & extenditur ad quodlibet genus bonitatis. Ita *Ioan. de Cardenas c.6. num.47.*

28 Dico 5. Sine legitima cauſa non licèt æquiuocationem iuramento firmare. Ita Doctores communiter.

Patet ex ſupradictis; Vnde peccat quis in vſu æquiuocationis, vt ſupra probatum eſt; & in vſu iuramenti adducti in tali æquiuocatione, cum deficiat ſaltem comes iudicij, ſeù diſcretio, & multoties iuſtitiæ; qui propterea communiter etiam ab Ethnicis reprobatur, Miles quidam Romanus captiuus ſub Annibale, obtenta facultate pergendi Romam ad impetrandam commutationem captiuorum Romanorum, & Carthaginienſium, ſub verbo, & iuramento redeundi ad caſtrà Annibalis, ſi ea permutatio impetrata non eſſet, putauit ſe ſolutum obligatione redeundi, quamuis permutatio non fuiſſet impetrata, eo quia poſt egreſſum è caſtris, ad ea redierat, tanquam aliquid ſecum delaturus, quod reliquiſſet. Hic iure iurando vſus erat æquiuocatione ſine legitima cauſa, intelligens reditum ad caſtra Annibalis quomodocumque, non ad captiuitatem ſub eodem. De eo tamen ſic *Tullius 3. offic. Fuit ſtulta calliditas peruersè imitata prudentium: fraus enim diſtringit, non diſſoluit periuria. Itaque decreuit Senatus, vt ille veterator, & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.*

29 An autem peccet mortaliter is, qui abſque iuſta cauſa iurat cum æquiuocatione in alio ſenſu verba intelligens, ac ab auditoribus communiter percipiuntur. Affirmant aliqui, etiam præciſo alio damno, aut circumſtantia vitiante: ſed nos aſſerimus; eſſe dumtaxat veniale, ſi tale iuramentum non ſit in iudicio factum, aut cum graui damno alterius; quia tale iuramentum habet ſecum comitem veritatis: non enim falſum iurat, qui ſecundum vnum ſenſum, quem verba habent, ea profert, quamuis ſecundum alium ab auditoribus percipiantur. Nec deficit comes iuſtitiæ, vt ſupponitur, ſed tantum iudicij. At defectus iudicij in iuramento, ad-

ſtan,

ſtantibus alijs comitibus non eſt mortale, vt ſuo loco probatum eſt cum communi. Atque ità cum *Caietano*, *Candido*, *Card. de Lugo*, *Diana*, & alijs docet *Andreas à Matre Dei tr. 17. de voto, & iuram. c. 2. pu. 8. §. 1. n. 108. Megalius V. Amphibologia n. 4.*

30 Dico 6. Ex iuſta, & rationabili cauſa licet vti æquiuocatione quacumque, & iuramento firmare. Ita *Leſſius l. 2. c. 42. dub. 9. nu. 47.* citans *Sotum, Caietanum, & Aragonium, Sanchez cit. c. 6. Ferre, Ouiedo,* M*egalius, Sporer, Briſacenſis*, & alij communiter, vt teſtatur, & docet *Andreas à Matre Dei ſupra §. 3. n. 115.*

Probatur. Quia adſunt in tali iuramento omnes comites. Adeſt enim iudicium diſcretionis, ex iuſta cauſa, quam habet quis celandi veritatem, quam non tenetur ſemper manifeſtare, ſed prudenter aliquando celare poteſt, vt docet *D. Thomas 2. 2. qu. 40. ar. 3.* Adeſt etiam iuſtitia, vt ſupponitur. Adeſt & veritas, quia dum verbum habet etiam illud ſignificatum, quamuis improprium, vel myſticum, non redditur falſa locutio, & ſic ſine mendacio cenſetur, eſt enim mendacium falſa vocis ſignificatio, *cap. Beatus 22. q. 2. l. de ætate §. 1. ff. de interrog. act.* Sed in æquiuocatione non adeſt falſa vocis ſignificatio, cum verbum vtramque ſignificationem admittat: Ergo, &c.

31 Hinc 1 Teſtis, qui crimen occultum Rei iniuſtè Iudici manifeſtauit, poteſt etiam iuramento teſtificari, ſe mentitum fuiſſe, vel dixiſſe falſum, intelligens pro falſo opus, quod eſt rationi diſſonum, & dicere non debebat. Ita *Sayr. l. 11. clauis c. 4. in fine, Sanchez l. 3. c. 6. n. 38. Petrus de Ledeſma to. 2. ſum. tr. 2. c. 7. concl. 7. Thomas del Bene de Iuram. c. 1. dub. 16. nu. 8. Leander à Sacram. to. 7. tr. 1. d. 45. qu. 31.* & alii, qui addunt Teſtem, nedum poſſe, ſed teneri æquiuocatione vti, & ſe ad iurandum offerre, ſi detexit iniuſtè, & mala fide crimen occultum, quamuis verum, proximi, & famam illius læſit; ſi poſſit abſque maiori ipſius detrimento, & ſit ſpes, quod retractatio ſit profutura. Quia cum damnum illatum hac via poſſit reſarciri, lege iuſtitiæ ad illud reſarciendum tenetur. Si verò illud bona fide detexit, (vt ſolet euenire) & poſſit ſine ſuo detrimento ſe retractare, & adſit ſpes, quod retractatio proſit, quamuis non teneatur lege iuſtitiæ; tenetur tamen lege charitatis. Quia charitas ſemper obligat quemlibet vitare proximi damnum, quando ſine ſuo detrimento poteſt.

32 Secundò. Idem dicendum eſt de Reo, qui iniuſtè ſocios criminis detexit Iudici; nam vel ipſe Reus mala fide illos detexit, & poteſt abſque maiori detrimento proprio, ſe retractando illis proficere; & ex iuſtitia tenetur cum æquiuocatione iurare coram Iudice, ſe mendacium, vel falſum dixiſſe, intelligendo de mendacio, vel falſo rationi diſſono: vel alias dicere, & teſtificari, illos non feciſſe illud delictum, intelligendo per amphibologiam materialem, *publicè*, vel ita vt ſubeſſent illi iudicio. Quia cum iniuſtè illos detexerit, & eius retractatione poſſit licitè illorum dam-

num reſarcire, vtique ex iuſtitia tenetur. Si verò illos bona fide detexit, non tenetur ex iuſtitia, ſed benè ex charitate; quia quilibet ex charitate tenetur proximi damnum vitare, quando ſine ſuo detrimento poteſt. Ita Doctores ſupra relati.

53 Tertiò. Adultera rogata à marito, an adulterium commiſerit, occiſura, ſi fateatur: poteſt primo iurare, ſe non violaſſe fidem: Fides enim ſignificat tria, credulitatem, fiduciam, & fidem coniugalem. Si ergo loquitur in prima, aut ſecunda ſignificatione, non vtitur mendacio, ſed licita æquiuocatione. Ita *Io. de Cardenas ſupra c.6.n.68.* & alii. Secundò, poteſt dicere etiam cum iuramento, ſe non vulneraſſe honorem mariti: nam vulnerare eſt ictus materialis, qui proprie loquendo non cadit in honorem. Tertio, poteſt iurare, ſe non fregiſſe matrimonium, quia adhuc matrimonium integrum, & ſtabile perſeuerat; quamuis vir ea verba in eo ſenſu percipiat, vt fidem thori non violauerit. verbum enim illud vtrumque ſenſum admittit. Ita *Sotus de ſecreto memb.3.q.3.concl.7. Ar. gon.22.q.67 ar.2. in fin.* & *Sayrus*, quos refert, & ſequitur *Sanchez ſupra n.4. Leand. à Sacr. m.l.c.qu.25.* & alii communiter. Quartò, poteſt iurare, ſe non fregiſſe thorum. Hæc enim verba non minus ſignificant; quod thorus non fuit ab ipſa fractus quoad materiale, iuxta quem ſenſum ipſa reſpondet; ac ſignificat, quod thorum ipſa non violauerit: & in hac ſignificatione percipiuntur à marito. Ita *Caſſianus à S. Elia*, & alii. Et ſi confeſſa eſt ſacramentaliter delictum ſuum, recepitque abſolutionem, poteſt dicere, ſe ab ea culpa immunem; aut non eſſe ream; quia per abſolutionem ſacramentalem illud peccatum iam eſt dimiſſum. Ita *Cardenas ſupra*, *Carolus de Alexio l.c.n.34.* & alii. Imo *Sayrus l.5. clauis c.4.n.24.* & *Leander à Sacram.* docent, licite ita reſponderi etiam cum iuramento. Sed hoc non admittunt *Palud. in 4.d.35 qu.1.ar.3. Syl.n.V Iuramentum, 2.q.8. Nau. in man.c.12.nu.18. Cardenas cit.c.4. in fin. Sanchez, & Carol. de Alexio* locis relatis; cuius ratio eſt; quia ad ſimplicem affirmationem ſufficit probabilitas facti: ad iuramentum verò requiritur certitudo moralis: non autem habet certitudinem hanc de remiſſione peccati, quamuis habeat probabilitatem. Idem verò *Cardenas c.6.n.69.* in tam vrgenti periculo admittit, talem adulteram loqui poſſe per metaphoram in illa ſignificatione, quæ communis eſt in Sacra Scriptura, in qua adulterium frequenter vſurpatur pro idolatria: vt conſtat *Ieremiæ c.13. verſ.27. Oſeæ* fere per totum *c.2. Ezechielis c.23.v.27.* & alibi.

54 Animaduertendum oportet, vt vtens æquiuocatione, aut amphibologia materiali intendat ſenſum, quem verba habere poſſunt; & ſic eſt opus, vt ſciat, ſe in aliquo verò ſenſu poſſe dicere, quamuis in ſpecie illum ignoret. Ita *Suar. de iuram. l.3.c.14 n.5. Corella hic n.111.* Ac ſatis erit, vt intendat ſenſum, quem Doctor vir illi conſulit, aut intelligit. Ita *Sanchez l.3.c.6.nu.46. Leander à Sacram. qu.38.* & alii. Quod ſi ſenſum audientis intel-

intellexit, vel expreſſit, non poteſt poſtea vti æquiuocatione, vel amphibologia materiali, & ſecundum alium oppoſitum ſenſum operari. Sic *Æneas Syluius*, poſtea *Pius II. c. 3.* deſcriptionis Europæ ſcribit: *Otho Epiſcopus Moguntinus miniſter ſceleris inuentus eſt, qui profectus ad Albertum, litis arbitrum ſe dixit: rogauitque ad Imperatorem in Caſtra deſcenderet, quia, vel pacem ei daret; vel in arcem reduceret incolumem. Credidit Albertus, & accepta iuriſiurandi religione, Othonem ſecutus eſt. Vix arcem egreſſi erant, cum Otho. Vereor, inquit, ne diù apud Imperatorem morari oporteat. Vtilius fortaſſe conſilium erit, prius ſumpſiſſe cibum. Laudauit Albertus verba Præſulis, & in Caſtrum rediens, Othoni prandium dedit. Quo ſumpto, ad Imperatorem cum eo perrexit, vbi mox captus eſt, & capitali ſententia damnatus; cui Archiepiſcopi fidem imploranti, reſpondit parum religioſus Pontifex, ſe fidei ſatisfeciſſe, qui ſemel reduxiſſet incolumem, cum ad prandium introiuit; bis reducere non promiſiſſe. Infelix Albertus gladio obtruncatus eſt.* Non abſimile eſt, quod idem refert ibidem *c. 22.* Sigiſmundus, & Albertus Germaniæ Principes iureiurando ſe obſtrinxerunt, ſe non redituros domum, niſi arcem Viennenſem intraſſent. Cum autem eius expugnatio valdè difficilis, & periculi plena eſſet; conuenerunt cum defenſoribus, vt ingreſſi Principes arcem, paulumque in ea commorati, potato vino exirent. Subdit autem Pius. *Ita deluſa magis, quàm impleta Religio eſt.* Non abſimiliter quidam laicus ex voto ingreſſus Ordinem Regularem, putabat ſtatim ſibi licitum egreſſum ad ſæculum, tanquam votum de ingreſſu Religionis abſoluiſſet: ſed perperam: nam dum venit, intellexit de ingreſſu perſeuerantis, ſi poſt ſufficientem experientiam, exiſtimauerit, ſibi expedire ſtatum Religioſum, & in eo profiteri. Vnde, ſi omnia in Religione grata inuenerit, tenetur ſub mortali profiteri in ea: & ſi recedat, eſt voti tranſgreſſor, & tenetur iterum ingredi, ac ibi perſeuerare. Sic *Caiet. Aragon. Sotus, Val.* & alii.

35 Dico 6. Ex nulla cauſa, quantumuis grauiſſima, poteſt eſſe licita amphibologia formalis, ſeù reſtrictio purè mentalis. Eſt aſſertio certa, præſertim poſt hoc Decretum Innocentii.

Probatur. Tum quia Mendacium eſt intrinſecè malum, & in nullo caſu eſt licitum, vt ſupra demonſtratum eſt: Ergo & reſtrictio mentalis: qui enim vtitur hac amphibologia mentitur, ex dictis. Tum quia. Ideò mendacium eſt intrinſecè malum, & in nullo caſu licitum, quia cadit ſupra materiam indebitam; ſcilicet, quia voces, quæ debent explicare id, quod eſt in mente (cum ſint ſigna conceptus) ad hoc non aſſumuntur; ac proinde eſt contra finem locutionis, & humano conuictui nociuum. Sed non minus hæc ſequuntur ex falſis vocibus, ſi nulla mentalis reſtrictio addatur, quam illa addita: etenim etiam ea addita, voces externæ non ſignificant id, quod eſt in mente: cum enim illa reſtrictio non ſit nota, idem explicant audientibus; ac ſi illa non eſſet; & conſequenter, ſicut

ſi illa nō eſſet, iam explicarent contrarium eius, quod eſt in mente, ita illa addita: Ergo vti reſtrictione mentali eſt æquè illicitum, ac mendacium. Tum quia, ſi liceret ex cauſa amphibologia formalis, ſeù reſtrictio purè mentalis, periret infallibilis certitudo noſtræ Fidei, quæ diuinæ reuelationi innititur: ſi enim poſſet eſſe licita reſtrictio purè mentalis, poſſet dubitari, an ea Deus aliquoties vſus fuerit in reuelationibus factis per ſcripturam, & verbum traditum, vt benè obſeruat *Andreas à Matre Dei ſupra §.4.num.129.& Salmant.* Et ſic neque homines, neque Angeli, neque ipſe Deus poteſt huiuſmodi amphibologia ex quacumque cauſa vti; Ita *Andreas à Matre Dei l.c.num.121. Pratelius,* & alii communiter. Hinc ſicut neque ex Papæ, neque ex Dei diſpenſatione mendacium licitè dici poteſt, vt ex *D. Auguſtino* docent *Aſteſanus l.1.tit.36.ar.4. Maſtrius Theol. mor.d.11.qu.9.ar.1. nu. 167. Reginal.l.9.c.1.ſect.3.n.7.* & alii communiter; & conſtat etiam ex doctrina *D. Thomæ 1.2.qu.100. ar.8.* ita ut Deus, neque per ſe, neque per alium mentiri vnquam poſſit, vt abundè,& eruditè oſtendit etiam *Melchior Canus l.2.de locis Theol.c.3.* & ſatis *Pratelius p.3.c.1.§.2.num.39.* ita neque Papa, aut etiam Deus poteſt diſpenſare in vſu amphibologiæ formalis. Eadem enim ratio militat. Tum denique; quia aquilinus obtutus *D. Auguſtini*, qui ita diſertè de mendacio ſcripſit in libro contra mendacium, ita nullam iuſtam cauſam mentiendi agnoſcit, vt contra præfigentes regulas, & fines mentiendi *c.18.* exclamet: *O vbi eſtis fontes lacrymarum! &c.* vbi ita omnem cauſam excludit, vt neque pro euitanda certa morte proximi, neque pro animæ ſalute, & ad baptizandum hominem afferat licere, vt ad eum perueniatur mentiendo decipere Cuſtodes.

Habes itaque, numquam eſſe licitum dicere mendacium (& conſequenter nec vti reſtrictione mentali pro euitanda alterius iniuria. Quod notauit *Panormitanus, ad Regulam: Qui ſcandalizauerit, de reg. iur.* Immo neque pro ſaluanda vita ſiue propria, ſiue aliena; vt ex *D. Auguſt.* refertur in *c.ne quis arbitretur,* & in *c. Faciat*, & in *c.ſi quis 22. qu.2.* Id quod alij quoque ſenſerunt, quos citat *Alphonſus à Caſtr. aduerſus hæreſ. in V. Mendacium.* Idemque *Innoc. III. in c.ſuper eo,* expreſse dicit. Nec demum pro æterna ſalute, ad quam nullus deducendus eſt, opitulante mendacio, vt habetur ex *D. Auguſt. in c. Primum, § non eſt igitur, 22.qu.2.* & tradunt expreſsè *Sylu. V. Mendacium, qu.2. Nau. in Enchir. c.18.n.3.* & alii. Et Iuriſtæ commendant *Baldum* dicentem in *rubr. de Fide inſtrum. nu.30.* ei, qui ex falſa mutui ſcriptura in iudicium deducitur, non licere falſum ſolutionis inſtrumentum producere.

36 Dico vltimò. Ex iuſta cauſa, licitum eſt amphibologicè loqui, & iurare in diuerſo ſenſu, ac audientes intelligunt ſi amphibologia ſit tantum materialis, ſeù quando verba ex circumſtantiis admittunt diuerſum ſenſum. Ita poſt *Ferre, Ouiedum, Card. de Lugo,* & alios fusè probant,& oſtendunt

dunt

Digitized by Google

dunt *Andreas à Matre Dei ſupra §.3.nu.117. Salmant.tr. de Fide d.2.dub.1. §.2.Sylu.V.Mendacium n.6.* & alii, & ſcribentes poſt hoc decretum etiam admittunt *Gonetus in man. Theol.tr.8.de Fide c.2.§.3. Piſanus hic propoſ.26. Io.de Cardenas ſupra c.40.& ſeqq. Corella hic n.87. Hozes, Torrecilla, Sporer, Pratelius*, & alii, nec non *Briſacenſis ſupra*, vocans hanc amphibologiam ſenſibilem, & *Felix à Panormo to.2.Exam.Confeſſ.d.4. n.369.* vocans hanc reſtrictionem externam.

Probatur. Tum quia hoc non eſt contra id, quod conuictus humanus expoſcit: vtpote fini loquutionis non contrarium: cum verba illa in illa circumſtantia faciant ſenſum verum, & ſatis proficuum audientibus. Tum quia, qui interrogat, ſolum cenſetur interrogare, quod vere, & rectè interrogare poteſt, & reſpondens intelligere debet in eo ſenſu alium interrogare, nè præſumat malitiam in illo. Et ideò reſponſio adæquatur interrogationi eo modo, quo fieri debebat, nimirum, vt vnus interroget, ſicut poteſt interrogare, & alius ſicut reſpondere debet, reſpondeat. Et quidem ſi non liceret cum cauſa hoc amphibologiæ genere vti, nullus eſſet modus ſecretum, quod ſine graui damno, vel incommodo aperiri non poteſt, licitè celandi, cum importunis interrogationibus vrgetur reuelatio: nam ſæpè dicendo, *Non poſſum tibi dicere, vel quid ad te*; videtur conſentire, ſe ſcire; & interrogans hoc ipſo certioraretur de eo, quod cupit ſcire: quod humano conuictui non minus eſſet perniciosum, quam ipſum mendacium, vt rectè inquiunt *Gonetus, Piſanus, Pratelius*, & alii. Tum denique, & potiſſimum ex Sacra Scriptura; nam ſæpè vtitur hac amphibologia materiali, vt conſideranti patet. Sic dum *Pſalmo* 1. dicitur: *Non reſurgent impij in iudicio*, ſubintelligitur *ad gloriam*, vt patet ex contextu. Et ipſemet Chriſtus hac amphibologia vſus eſt. Nam *Ioan.*7. rogantibus ſuis cognatis, vt aſcenderet ad diem feſtum, reſpondit: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego non aſcendo*; & tamen poſtea & ipſe *aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in oculto*. Cum enim diſcipuli peterent, vt Chriſtus aſcenderet publicè, vt conſtat ex contextu: *Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & Diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis: nemo quippè in occulto id facit, & quærit ipſe in palam eſſe: manifeſta te ipſum mundo*. In hoc ſenſu veraciter reſpondit Chriſtus: *Ego non aſcendo*, modo nimirum quo petitus, licèt aſcenderit, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto, quod prius minimè negauerat ſe facturum. Sic *Salmant. & Piſanus ſupra. Pratelius p.3.c.1.§.2.num.42. Card.de Lugo de Fide d.4.ſect.5. num.63.* & alii non pauci. Ipſi verò *Io.de Cardenas ſupra c.5. num.58.* quem ſequitur *Carolus de Alexio cit.obſer.107.num.33.* placet magis interpretatio, quam tradit *S.Auguſtinus qu.73.* veteris, & noui teſtamenti, ſcilicet, quod cum myſterio dixerit, non aſcendere ad diem feſtum iſtum, &c. quia non erat celebraturus cum lætitia, niſi illum diem feſtum, in quo erat redempturus genus humanum; id enim ſignificant ea verba: *quia meum tempus non*

dum

dum impletum eſt. Iuxta quem ſenſum non aſcendit Chriſtus tunc ad diem feſtum ; nam vt inquit idem S. Doctor, *is fuit dies feſtus eius , in quo vicit mortem* . Adde, quod ſi attendamus ad quaſdam verſiones, quæ leguntur in Græcis codicibus , quaſque refert *Maldonatus* , nec amphibologia vlla , nec myſterio vſus eſt. Nam alii legunt: *Nondum aſcendo*. Alii verò: *Non aſcendo nunc* , quod benè cōpatitur cū eo, quod poſtea Chriſtus aſcenderit, & ſenſum eſſe eundem, etiam retenta noſtra Lectione vulgata, inquit *Vr-tadus d.18.q.68.* quia in rigore verba illa *non aſcendo*, non negant aſcenſum futurum, ſed præſentem, quem illi petebant. Cuius expoſitionis eſt etiam *D. Auguſtinus l.c.* Adhæret etiam *D.Thomas* , qui exponit eadem verba ſic. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ſcilicet ad principium feſti. Nam ſeptem diebus celebrabatur . Ego autem non aſcendo , ſcilicet vobiſcum , ſiue ad principium feſti*. Videatur *Illſung tr.4.d.2.q.1.ar.6.§.3.n.33.*

Pariter amphibologiâ materiali vſus eſt Chriſtus *Marci 13.* vbi interrogatus à Diſcipulis de die Iudicij , reſpondit : *De die autem illo , vel hora nemo ſcit , neque Angeli in Cælo , nec filius hominis , niſi Pater.* Cùm enim ipſe ſępiùs aſſeruiſſet , ſe eſſe Deum , & manere apud Patrem , ex ipſa loquentis circumſtantia determinabantur eius verba ad ſignificandam non ignorantiam abſolutam Diei Iudicij , ſed quod ipſe non ſciret illum ad reuelandum : quod facillimè poterant Diſcipuli aduertere , qui ſummam eius auctoritatem , & ſapientiam non ignorabant. Præſertim , quia ipſe reſpondet iuxta intentionem interrogantium ; hi namque petere non poſſunt , niſi notitiam , quam reſpondens poteſt ſuggerere , non verò illam , quam tenetur celare. Et quia Chriſtus ex diſpoſitione Patris acceperat illam notitiam , vt ſecreto habendam , meritò abſque mendacio , & ſine reſtrictione purè mentali reſpondit , ſe non ſcire , vtique in odine ad manifeſtationem externam , de qua diſcipuli loqui poterant. Sic *Sylu. Salmant. Ferre , Ouiedus* , & alij quibus accedit : *Card. de Lugo de Pœnit.d.23. ſect. 4.num.75.* dicens : *Sic enim locutus eſt Chriſtus Dominus , iuxta communem interpretationem* Marci 13. *quando dixit : de illo die nemo ſcit neque filius hominis , hoc eſt illa ſcientia , quæ vtilis eſſet ad reſpondendum diſcipulis interrogantibus : quia licet Chriſtus vt homo id ſciret , ſed ſecreto tamen , quod manifeſtare non poterat.* Et ita quoties quis habet obligationem occultandi infamiam alterius , cum veritate dicit. *Neſcio* ; quia verbum illud per circumſtantiam rei occultæ , ſignificat idem, *non habeo ſcientiam vtilem ad reſpondendum.* Sic *Sylu.ſupra, Carden.ſupra c.4.nu.39.* Accedit *Felix à Panormo num.363.* vbi inquit , quod alius à marito interrogatus de occulto adulterio vxoris , poteſt reſpondere *neſcio* , retinendo in mente, *ad dicendum*; quod additum exprimitur per circumſtantiam externam negotii , & ſigilli naturalis . Imo ſi id habuerit ex auditu , poteſt accipere verbum *neſcio* , ſecundum propriam , & rigoroſam ſignificationem , prout negat ſcientiam , quæ cognitionem euidentem importat , quam non habet ille , qui noti-

notitiam ex auditu hominis fallibilis accepit. Sic *Felix*. *Leſſius* quoque eidem expoſitioni accedens, ait, quod neque filius *hominis ſcit*, intelligendo, vt legatus, & hominum Doctor. Sic Legatus dicere ſolet, ſe neſcire, quod non habet in mandatis, vt aperiat. Conſonat *Pratelin. nu.42.* Poteſt etiam cum *D.Auguſt.l.1.de Trin.c.2.& q.60.ex 83.& enarrat. in Pſal.6.initio, & conc.1.in Pſalm.36.* initio hic locus explicari per locutionem tropicam, ſiue figuratam, qua cauſa denominatur ab effectu; dicitur enim dies, & domus læta, aut mœſta, eo quod lætos, aut mœſtos reddat homines, vel habitatores, frigus pigrum, quia pigros reddit frigentes, foſſa cæca, quia quodammodo cæcat homines, vt non videatur. Huiuſmodi ergo tropo vſum, ait *Auguſtinus* Dominum Ieſum, cùm Diſcipulis reſpondit: *neque filius ſcit*; quaſi diceret, non reddit vos ſcientes. Sicut Deus ad Abraham *Gen.24. Nunc cognoui, quod timeas Dominum*, id eſt feci, vt cognoſceres, quia ipſe Abraham ſibi in illa tentatione probatus innotuit, Deo autem etiam ante innotuerat. Nihilque prohibet idem eſſe dictum etiam de Angelis tropicè; nam vtique verum eſt, Angelos de illa hora alios non docere, immò eo verius, quia nec ſciunt. De Patre etiam ſumi poteſt tropicè: de eo enim dictum eſt, quod ſciat, quia reddit alios ſcientes, nimirum Filium, & Spiritum Sanctum, & humanum Chriſti intellectum, quoſcumque etiam voluerit. Filius enim, & Spiritus Sanctus, ſicut naturam, ita & decreta libera, eorumque cognitionem habent communicatam à Patre. Et quamuis ea notitia intellectui humano Chriſti communicata ſit non tantum à Patre ſed à Filio, & Spiritu Sancto, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, nihilominus tribuitur hoc ſpecialiter Patri, quia ab eo habent cęteræ perſonæ diuinæ, vt operari poſſint, cum ab ipſo habeant potentiam, & naturam.

37 Dixi in aſſertione: *ex iuſta cauſa*; nam ſine iuſta, & rationabili cauſa non licet vti amphibologia materiali: Et multò minus dictum amphibologice, & in alio ſenſu, quam communiter vſurpatur ab auditoribus firmare iuramento, ſed peccat huiuſmodi iuramentum ſine iuſta, & rationabili cauſa proferens. Ita *Card.de Lugo de Fide d.4.ſect.5. Ant.à Spir. San.p.3.tr.5. d.1.ſect.9.nu.84. Leand r à Sacram.tom.7.tr.1. d.45.q.2.3.& 8. Piſtacbius de iuram.c.10.num.8. Reginald. Layman, Sporer, Briſacenſis*, & alij communiter, & ſupponunt vt certiſſimum apud Doctores *Andreas à Matre Dei l.c.nu.107. Oniedus tr.de Fide contr.3. pu.3.nu.39. & Ferre eodem tr.q.3.§.5.nu.34. Quia*, inquit *Briſacenſis num.122. ſine iuſta cauſa alteri dare occaſionem errandi, eſt contra fidelitatem, ſinceritatem, veritatem, redderetque humanum commercium, & conuerſationem nimis difficilem, cum perpetuò deberemus eſſe ſolliciti, ne fallamur. Imò tolleretur omninò finis, in quem inſtituta ſunt verba, nempè manifeſtatio interni conceptus, &c.* Vnde cauſa neceſſitatis, aut vtilitatis requiſita, eo maior eſſe debet, quo verbi maiorem occaſionem præbeat errandi. *Ferre, & Oniedo ſupra, & Andreas à Matre Dei nu.109.*

An

An autem peccet mortaliter in, qui abſque iuſta cauſa iurat cum amphibologia materiali, in alio ſenſu verba intelligens, ac ab auditoribus communiter percipiuntur. Affirmant aliqui, etiam præciſo alio damno, aut circumſtantia vitiante: Ita *Lopez p. 1. Inſtruct. c. 32. verſ. doloſè iurans, & Sayrus l. 5. clauis c. 4. num. 21.* Sed alij communiter aſſerunt, non eſſe mortale, ſed dumtaxat veniale, ſi tale iuramentum non ſit in iudicio factum, aut cum præiudicio alterius. Ita *Caiet. 2. 2. q. 89 ar. 7. ad. 4 dubium Sylu. vt mendacium q. 6. Sanchez l. 3. decal. c. 6. nu. 22. Candidus diſq. 26. ar. 3 d. 4. Card. de Lugo l. c. num. 68. Andreas a Matre Dei l. c. num.* 108. *Anton. à Spir. San l. c. Diana* alios referens *p. 2. tr. 15. reſ. 25. Leand à Sacram. l. c. q. 4. Trullench l. 2. Decal. c. 2. dub. 17. num. 15. Corella hic n. 91.* & alii. Et ratio eſt, quia tale iuramentum habet ſecum comitem veritatis, ſi ſtrictè loqui volumus: non enim falſum iurat, qui ſecundum vnum ſenſum, quem verba ex ſe, vel ex circumſtantiis admittunt, verba profert, quamuis ſecundum alium ab audientibus accipiantur. Nec deficit comes iuſtitiæ, vt ſupponitur, ſed tantum iudicii. At defectum iudicii in iuramento, extantibus aliis comitibus, non eſſe mortale, compertum eſt apud Theologos: Ergo & in præſenti. Vnde rectè poſt *Sanchez l. c. n. 17* & *Anton. à Sp. S. l. c.* addit *Andreas à Matre Dei l. c.* quod ille non peccat contra præceptum negatiuum non mentiendi: alias numquam eſſet licitum: ſed contra affirmatiuum veritatis dicendæ, iuxta ſenſum communem, niſi aliqua iuſta cauſa perſuadeat vti amphibologico iuramento.

§. TERTIVS.

Varij caſus reſoluuntur pro practico vſu amphibologiæ.

38 PRimus eſt de loquutione amphibologica circa ſolutionem gabellę. Reſp. Non exemptum à ſolutione gabellæ, interrogatum à Cuſtodibus, an talem, vel talem rem portet, non poſſe ſine peccato mortali amphibologicè iurare, illam rem non portare, ſi reuera portet; quia addendo mente, vt *tibi reuelem*, vel ſimile, eſſet reſtrictio purè mentalis damnata. Si verò ſit exemptus à ſolutione gabellæ, poteſt amphibologicè negare ſine reſtrictione mentali, nempe dicendo, non portare rem, quæ ſit ſubdita ſolutioni gabellæ, de qua poteſt iure interrogari à Cuſtodibus. Ita *D. Anton. 2 p. tit. 10. c. 1. §. 1. Sylu. V. Mendacium, q. 9. Fagundez l. 2. c. 11. nu. 29. Sanchez l. 3. c. 6. nu. 33. Diana p. 3. tr. 6. reſ 30. Andreas à Matre Dei l. c. n. 140. Sporer tr. 3. c. 1 ſect. 3. n. 121.* Similiter interrogatus à Iudice, vt ſub iuramento dicat, quantum mercis apud ſe retineat, ſi gabella ſit euidenter iniuſta, multis modis poteſt excuſari à periurio, negans partem mercis, ſuppoſito, quod in iis circumſtantiis non interrogetur legitime.

mè. 1. Si reſpondeat V.g. viginti amphoras olei, non mentitur; quia dum dicit viginti amphoras olei, non negat reliquas, & verum eſt, quod habet illas viginti. Secũdò, poteſt negare ſe habere plures, quam viginti In quo verum dicit ad mentem Iudicis interrogantis; nam Iudex ſolum interrogat de illis, ex quibus debet interrogatus gabellam ſoluere: & cum non debeat ſoluere eam gabellam iniuſtam, verum eſt ad mentem interrogantis, quod non habeat eas. Ita *Io. de Cardenas ſupra c. 7. nu. 77.* ex quo *Carol. de Alex o cit. obſeru. 107. nu. 33.* ait, quod Iudici interroganti, an deduxerim dolia vini, pro quibus gabella V.g. eſſet certe iniuſta, poſſum negare, ſine mendacio, ad mentem Iudicis, qui cenſetur interrogare de eo, quod iuſtè exigi poteſt.

39 Tertius caſus eſt de vxore occultè adultera interrogata à marito, an adulterium commiſerit.

Reſp. Iſtam non poſſe reſpondere, ſe non commiſiſſe adulterium, concipiendo intra ſe aliam diem ab ea, in qua id admiſit, &c. quia hæc eſſet reſtrictio purè mentalis, ac amphibologia formalis fulgurita. Ita *Sot. l. 5. de Iuſt. qu. 6. ar 2. ad finem corporis*, *Laym.* & alii, contra *Sanchez l. c. num. 41. Fagundez nu. 34. Dianam cit. reſ. 30. Leand. à Sacram. qu. 25. Nau.* & alios. Cæterum non eſt deſtituta remedijs; nam poteſt vti pluribus modis æquiuocandi adductis ſupra. Imò non improbabiliter *Philiarchus de officio Sacerdotis to. 1. p. 2. l. 3. c. 14. ad finem, Card. Toletus l. 4. c. 21. n. 9. Azorius to. 1. l. 11. c. 4. quaſ. 5. Sayr. l. 5. c. 4. n. 24 Corella hìc n. 101. Torrecilla*, & alii putant, poſſe iurare, ſe nullum adulteriũ commiſiſſe, intelligendo, quod ſibi confiteri, & aperire debeat; quod additum non eſt reſtrictio purè mentalis, ſed intellectum ex ipſa circumſtantia interrogationis, & perſonæ: & ſic eſt reſtrictio externa. Et ſi prædicta adultera interrogetur à marito, an in domo ſua fuerit ab alio carnaliter cognita; & ipſa reſpondeat: imo quod non, intelligendo intra ſe, non in domo mariti, de qua domo interrogatur; illa verè non mentitur, nec peierat; & ſic nec contra damnationem facit; quia iurat ad mentem interrogantis ſubindeque vtitur amphibologia materiali. Si autem iſta adultera interrogetur à ſua fideliſſima famula, ei negare non poteſt, ſe admiſiſſe adulterium, ſine mendacio; & amphibologia formali; nam ex circumſtantia fidelitatis, ſeù maxime confidentiæ Dominæ cum famulo, hæc non poteſt intelligere, neque confuſo modo, quod verbis externis aliqua alia ſubintelligantur, niſi famula nouerit dominam eſſe verecundam, etiam cum illa, non obſtante confidentia in alijs materijs, tunc enim dominæ verba cum ſubintellectis poterunt pertinere ad amphibologiam materialem, quæ non ſubiacet proſcriptioni. Et poterit eadem adultera ambigua verba cum famula adhibere, iuxtà dicta de æquiuocatione, vt, Iuro me non fregiſſe matrimonium, neque thorum, &c.

40 Tertius caſus eſt de pœnitente temere interrogato, an hoc,

vel illud peccatum confeſſus ſit.

Solus negat, quod poſſit iurare ſe non confeſſum, ſubintelligendo, itaut teneatur illud explicare. Alii tamen cum *Leandro à Sacram. q.32.* putant probabiliter, poſſe; quia non eſt reſtrictio purè mentalis, ſed illud additum poteſt coniici ex ipſa circumſtantia temeræ interrogationis. Similiter ſi Iudex etiam ſupremus, & Papa, pœnitenti præcipiat ſub quacumque grauiſſima pœna, an tale peccatum confeſſus fuerit Sacerdoti, poterit ille reſpondere, & iurare, non dixiſſe in confeſſione, & numquam illud commiſiſſe, ſi crimen illud ſit omninò occultum, & alteri non dixit, niſi in confeſſione; quia intelligitur, nemini dixiſſe tamquam homini: & dum Confeſſarius, & nullus alius illud ſcit, Iudex non procedit iuridice; cum non procedat per ſufficientia indicia, ac per probationes externas Et dum iuridice non procedit, non eſt Iudex, & ſic poterit ille amphibologia deludere, & iurare ſe non confeſſum fuiſſe, neque vnquam commiſiſſe illud crimen; quia ſemper ſubintelligitur, vt teneatur dicere, vel vt tibi manifeſtabile, ex ipſa circumſtantia illegitimæ interrogationis. *Capua l.1.deciſ.c.23.n.30.Piſtachius*, & alii.

41 Quartus caſus eſt de Confeſſario interrogato extra iudicium de peccato alterius. quod per confeſſionem Sacramentalem nouit.

Reſpondetur. Quod iſte poteſt reſpondere Primò *neſcio*, ſiue *non ſcio*; vſurpando nomen ſcientiæ in ſua propria ſignificatione, quamuis minus vulgari, quatenus ſignificat ſcientiam euidentem deductam ex præmiſſis euidentibus: cum verum ſit, Confeſſarium, neſcire illud peccatum, ex præmiſſis euidentibus, ſed ſolum ex fide humana. Ita non pauci contra *Riccium* hic. Secundò poteſt reſpondere, *non ſcio*, iuxta *Card. de Lugo*, quatenus hæc verba ſignificant ſcientiam vtilem ad reſpondendum. Et ita tunc idem erit dicere, *non ſcio*, atque careo ſcientia vtili ad reſpondendum. Tertiò, iuxtà *S. Auguſtinum*, iuxta quem ſecundum conſuetudinem humanam neſcire quis dicitur, quod occultat, ſcilicet, quando vrget iuſta cauſa occultandi. Quartò, iuxta *S. Thomam* ſupra citatum, quatenus Confeſſarius reſpondet ad mentem interrogantis, quod ipſe non ſcit illud peccatum, vt homo eſt, vt etiam docent *Andreas à Matre Dei*, & alii. Si verò ſceleratus quis interroget Confeſſarium, an audierit in confeſſione Sacramentali tale peccatum, non reſpondebit ille mendaciter, ſi dicat: *Non audiui*; nam iuxta *Card. de Lugo*, ea propoſitio idem ſignificat, ac iſta: *Non audiui per notitiam vtilem ad reſpondendum*. Secundò, iuxta *S. Auguſtinum*, iuxta idem eſt, ac *non audiui tamquam rem manifeſtabilem* Tertiò, iuxta *S. Thomam*, iuxta quem *non audiui*, idem eſt, *ac non audiui vt homo*. Quartò, ſecundum *Suarium*, non audiui, reſpondens ad intentionem debitam interrogantis. Ita *Io. de Cardenas ſupra c.6.n.66. Carolus de Alexio cit. obſer.107.n.33.* & alii.

42 Quintus caſus eſt de Secretario Inquiſitionis, qui obſtrictus iuramen-

mento ſecreti ſeruandi, adhuc tamen interrogatur ab amico de cauſa arcana cuiuſdam Rei.

Reſp. Illum poſſe vti omnibus modis, quibus ſecundum ſupradicta vti poteſt Confeſſarius. Et ſicut Confeſſarius ſecundum *D. Thomam*, cum dicit, *neſcio*, intelligitur, quod neſcit vt homo eſt: ita Secretarius poteſt dicere *neſcio*, & intelligitur, quod neſcit vt priuatus homo; aliud enim ſcit, quam Secretarius, & aliud, quam priuatus homo. Et ad hoc nulla reſtrictio mentalis requiritur; nam id, quod ſubintelligitur, non eſt ex reſtrictione mentis, ſed ex ipſo officio Secretarii, quod exercet. Ita *Io. de Cardenas cit. c. 6. n. 70. Pratelius*, & alii.

43 Sextus caſus eſt de muliere morti vicina, & Sacerdoti confeſſa, vel ad iudicium deducta, & coacta iurare, ſe cum marito in poſterum victuram, cum tamen id præſtare nequeat ob occultum coniugii impedimentum, quod vel in confeſſione aperire commodè, aut in iudicio verum eſſe probare non poteſt.

Reſp. Quod hæc poteſt iurare, *faciam*, vel *cohabitabo*, nec tamen poſtea ad faciendum vllo iure compellitur: nam cum iurauit, *faciam*, vel *cohabitabo*, hunc ſenſum habuit, faciam, vel cohabitabo, ſi id mihi licet, vel debeo; aliud enim eam iurare Sacerdos, aut Iudex non cogit: non enim mens iuramentum exigentis eſt, vt ea peccet, vel cogatur ad indebitum; & ità non interuenit reſtrictio pure mentalis, ſed cenſetur iurare ad mentem exigentis iuramentum. Ita *Angelus V. Iuramentum 4. initio*, & *V. Iuramentum 3. qu. 2. verſ. In iuramento verò, Nau. in ſumm. c. 12. nu. 9. Azorius cit. c. 11. c. 4. quæſ. 5. reg. 2. in fine. Philiarchus ſupra citatus*, & *Sanchez ſupra num. 40.* qui ex *Sylu.* eam vniuerſalem regulam tradit: *Quoties iuramentum exigitur exequendi aliquid, quod ſine peccato fieri nequit, poteſt iurans in ra ſe intelligere, ſi abſque peccato id efficere queam.* Idemque intelligit *Sanchez l. c.* quem ſequitur *Leand. à Sacram. qu. 27.* de muliere non cohabitante viro, eo quod conſcia ſit adulterii viri, ac proinde iuſtam diuortii cauſam habet. Quippe iurare compulſa ſe viro cohabitaturam, poteſt id iurare, intelligendo intra ſe, ſi ad id tenear. Quia mens Iudicis non eſt nouam illi obligationem imponere.

44 Septimus caſus eſt de fictè promittente matrimonium.

Reſp. Quod iſte poteſt Iudici interroganti, cum iuramento reſpondere, ſe non promiſiſſe; quia per fictam illam promiſſionem eſt immunis ab obligatione matrimonii, vt ſupponitur; & ſenſus interrogationis ipſius Iudicis eſt: *Promiſiſti matrimonium, ita, vt ad illud teneris?* Ergo verum reſpondet: *non promiſi*, intelligendo, ita vt tenear. Ne ſi fateatur promiſſionem, & ſuam intentionem probare nequeat, cogatur contrahere matrimonium. Ita cum *Nau. Toleto, & Laymanno. Sporer l. c. n. 122. Andr. à Matre Dei l. c. §. 6. nu. 140.* & prius *Sanchez l. 1. de matr. d. 10. nu. 27.* & *Caſtropal. tr. 14. d. 1. pu. 7. nu. 5.* qui addunt hoc procedere, non tantum quan-

do eſt certa cauſa non implendi, ſed etiam quoties ſapientum iudicio probabile eſt, non teneri ſeruare. Quia poteſt amplectendo opinionem probabilem exiſtimare ſe non obligatum, & amphibologia materiali tueri. At hoc tantum habere locum exiſtimo, ſi deficiat iuramentum; nam iuramentum exigit certum moraliter, vt patet ex dictis ſupra.

Quod dictum eſt de promittente fictè matrimonium procedit etiam de quocumque promittente aliquid notabile alicui abſq; intentione promittendi: hic enim ſi interrogetur à Iudice ſub iuramento, an illud promiſerit, poterit amphibologicè illud negare, intelligendo, ſe non promiſiſſe promiſſione obligante; imò iurare etiam poteſt, non protuliſſe talia verba, ſi ita interrogetur, ſubintelligendo, non protuliſſe illa verè promittendo. Quia habet legitimam cauſam ſic reſpondendi, & reſpondet ad mentem Iudicis. Aliàs probare non poſſet defectum ſuæ intentionis, nec effugere condemnationem ad ſoluendum, quod reuera non debet. Ita cum *D. Hieron. D. Greg. D. Thom. Scoto, Palud.* & alii, *Nau. in c. humanæ aures 22. q. 5. in ſua q. 1. & 2. Su. r. l. 3. de iuram. c. 9. n. 5.*

45 Octauus caſus eſt de debitore, qui debitum integrum creditori ſoluit, in iudicio tamen probare nequit, ſe in totum ſoluiſſe.

Reſp. Quod iſte à Iudice coactus, vt iure iurando promittat ſe ſoluturum, poteſt citra mendacium iurare, *ſoluam*; & deinde, ſi non ſoluat; periurus non eſt, quia iuſiurandum, quo ſe ſoluturum promiſit, iuxta ſententiam à Iudice legitimè latam intelligebatur, nempe, ſoluturum ſe, quod creditori debeat: ad hoc enim ſoluendum Iudex condemnabat. Et proinde quamuis ſimpliciter reſpondeat, *ſoluam*, intelligitur, quod creditori debeo, non quod iam ſolui. Ita *Azorius*, & *Caſtropalaus* locis relatis, aliique.

46 Nonus caſus eſt, qui mutuo centum nummos recepit à Caio, quos poſtea ſoluit: à mutuante tamen iniquè in iudicio conuenitur, & rogatur ſimpliciter; acceperit ne mutuo à Caio centum?

Reſp. Quod iſte iurare poteſt abſolutè, ſe non accepiſſe: nam intelligit mutuum eſſe ſolutione reſciſſum: & mutuum non debetur, quod eſt redditum, & ſolutum. Vel quia ſolum rogetur à Iudice de mutuo, quod debet, & habet iuſtam cauſam ſic reſpondendi ad intentionem Iudicis interrogantis: nam alias ſi fateretur ſe illos accepiſſe, condemnaretur ad indebitum; quia in iudicio illos ſoluiſſe aliter probare non poſſet, vt ſupponitur. Ita *Couar. 1. var. c. 2. nu. 3. Andr. à Matre Dei l. c. nu.* 140. *Sporer nu.* 122. Idemque docent *Diana cit. reſ.* 30. *Azorius, & Caſtropalaus ſupra*; *Sà V. Mendacium n. 3. Baſſæus V. Mendacium in ſupplem. n. 8.* & *Filliuc. tr. 40. c. 2. nu.* 46. addentes, quod eodem modo ſi accepit centum, & ſoluit quinquaginta, & repetuntur ab eo centum, poteſt iurare, ſe non accepiſſe mutuo centum; quia quinquaginta iam ſoluit, ac reddidit.

Aliud eſt de illo, à quo petitur mutuo pecunia, vel aliquid aliud; ſi verè

Digitized by Google

vere enim illud habet, non poteſt reſpondere ſe non habere, mente intelligendo, vt commodè mutuare poſſit, etiam ſi ſic reſpondens timeat, quod petens ſerò, vel difficiliùs reſtituet, vel periculum adſit alterius incommodi. Ita contra *Dianam, & Caſtropal. loc.rel. Milhardum, & Piſtachium* docens *Sotus de ſecreto memb.3.qu.3.Lopez 1.Inſtruct. c.42.col.7. Riccius hic, Parladorus, Henriquez*, & alii; quia intercedit amphibologia ſulgurita, vt conſideranti conſtare poteſt. Non exiſtimo tamen improbabile, quod tradunt aliqui, iſtum poſſe dicere: *non poſſum tuæ ſatisfacere voluntati*, vel, vt vulgò: *Non ti poſſo ſeruire*; quia non dicitur quis poſſe, quod ſine incommodo facere nequit, *l.nepos Proculo,ff.de verb.ſignif.l.filius,ff.de condit. inſtit.* Iuxta verò omnium ſententiam poteſt iurare, ſe non habere eas pecunias, quando re vera illis pro tunc ita eget, vt eas mutuare nequeat; quia iuxta petentis intentionem, reſpondet, quæ eſt, an habeat pecunias, quas commodè mutuo dare poſſit. Ita *Sanchez cit. c.6.nu.43.in fin. Io. de Cardenas ſupra c.6.nu.73.* & alii. Poteſt etiam reſpondere ſine amphibologia per circumlocutionem, etiamſi ea pecunia non indigeat, dicendo: *Gauderem habere pro tuo ſolatio*; quia hoc modo neque affirmat, neque negat, & ſic non mentitur: quamuis petens iis verbis intelligat carentiam pecuniæ. *Carden.ſupra c.4.n.53.Carol.de Alexio ſupra n.34.*

Decimus caſus eſt de eo, qui tempore peſtis interrogatur à Cuſtodibus Ciuitatis, an veniat ex certo loco, qui falsò creditur peſte infectus.

Reſp. Si ex illo veniat, poteſt iurare ex illo non venire, ſi ſciat locum illum non eſſe peſte infectum, intelligendo non venire ex illo, vt infecto; quia Cuſtodum intentio eſt ſcire, an verè veniat ex loco peſtilenti, & falsò præſumunt, talem illum eſſe. Immo ſi locus ſit peſte infectus, at viator certus ſit, nec ipſum, vel aliquid ſui eſſe peſte infectum, poteſt iurare, inde non venire, dum per locum illum ita velociter tranſiuit, vt certè nihil eum peſtis attigerit: & ipſe iureiurando intelligat, inde non venire, itaut aliquid mali ex loci peſtilentia contraxerit: quia recta Cuſtodum intentio eſſe debet, ſcire an viator ſit verè peſte infectus. Ita contra *Lopez ſupra*, docent *Sylu.V.Iuramentum 3.qu.2.in fin.Nau.c.12.nu.19.Leſſius l.2.c.32.dub.3.nu.14. Suarez d.3.de iuram.c.9.n.7.Tolet.l.4.c.20.n.9. Azorius cit.quæſ.5.reg.3. Diana cit.reſ.30.Filliuc.ſupra n.51.Caſtrop. & Sporer locis relatis, Sayrus*, & alii cum *Andr.à Matre Dei l.c.n.141.*

Vndecimus caſus eſt de vxore, quæ mortuo marito, ſuam dotem, vel arrhas abſtrahit, & abſcondit, vt ſibi ſatisfaciat.

Reſp. quod iſta interrogata cum iuramento à Iudice, non tenetur illa reuelare, ſi non adſint teſtes, vt in iudicio probare poſſit, quæ ſibi iuſtè debentur, vel magnam timeat moleſtiam in recuperando debitum ſuum; ſed poteſt reſpondere; non abſcondiſſe; intelligendo bona mariti, quæ ſibi non debentur; eſtque iuxta ſenſum interrogationis Iudicis, qui eſt, an ipſa retineat bona ſui mariti, itaut teneatur illa reſtituere; & ſic eſt amphibo-

logia

logia tantum materialis. Et hoc etiam ſi adſint alii creditores anteriores mariti, niſi ſint etiam priuilegiatij, &c. Immo hac ratione, neque tenetur reſpondere excommunicationi, quæ de hac re publicatur. Nec illi, qui ſciunt, eam aliqua bona abſcondiſſe, denunciare tenentur, etiamſi ad hunc finem fulminetur excommunicatio. Ita *Corduba in addit. ad c. 27. nu. 134. Fagundez in 2. præc. dub. d. 2. c. 11. n. 26. & 27. Piſtachius*, & alii. Quę omnia intelliguntur, modo vxor non ſe obligarit ad ſoluenda debita mariti ex ſua dote, & arrhis. Vel viuente marito non acceperit omnia bona ſua dotalia, quamuis poſtea ea conſumpſerit in ſuſtentatione familiæ, & oneris matrimonii; tunc enim non poterit vel illa rapere, vel alia ſibi aſſumere in compenſationem, cum præiudicio aliorum creditorum mariti. Niſi ſatisfactis aliis creditoribus, adhuc ſupereſſent bona illius; tunc poterit etiam ex ipſis ſibi recompenſare; quia maritus ad hoc tenebatur. Ita idem *Corduba qu. 126. Fagund. z ſupra, Piſtachius:* & alii.

Quæ dicta ſunt de vxore, dicas proportione ſeruata de omni alio, qui habet iuſtam cauſam occultandi Fiſco, vel creditori aliqua; poteſt enim vti amphibologia materiali, iurando; ſe non occultaſſe. Et idem poſſunt ſcientes ſi eis conſtet abſcondiſſe ad hunc finem. Ita cum *Bonac.* & aliis, *Leander à Sacram. q. 16.*

Duodecimus caſus eſt de eo, qui præ nimia paupertate, in quam deuenit, excuſatur à ſoluendo, & abſcondit aliqua ſua bona, ad ſuam vitam ſuſtentandam.

Reſp. 5. Quod iſte interrogatus cum iuramento à Iudice, non tenetur illa reuelare; quia cum ei liceat illa bona abſcondere, ad ſuam vitã ſuſtentandam, ne a creditoribus capiantur, & ipſe cogatur mendicare; poteſt etiã iurare, ſe nulla bona habere abſcondita, vel abſcõdiſſe, ſubintelligendo, quę Iudici manifeſtare teneatur; & hæc eſt intentio iuſta, & licita illius interrogationis, ſecundum quam reſpondet verum. Ita *Sanchez d. c. 6. num. 30. Caſtropal ſupra, Thomas del Bene de Iuram. c. 1. dub. 16. n. 17. Andreas à Matre Dei l. c. §. 6. n. 140. Diana cit. reſ. 30.* rectè addens, idem poſſe iurare id ſcientes, dummodo eis conſtet, licitè illum ea bona abſcondita ſecum retinere.

Decimuſtertius caſus eſt de hærede, qui abſque inuentario ſe immiſcuit hæreditati, ſi verè non occultauit bona, quibus poſſit ſatisfacere.

Reſp. Quod poteſt negare talia, & talia bona accepiſſe, cum amphibologia materiali; nam intelligitur interrogatus de talibus, vt exhibendis ad ſatisfaciendum. Ita *Andreas à Matre Dei ſupra*: Qui idem dicit, quotieſcumque quis ex quacumque ratione liber eſt à cuiuſuis debiti obligatione.

Decimuſquartus caſus eſt de creditore, qui virtute publici inſtrumenti coram Iudice exigit, quod ſibi debetur, poteſtne iurare, quantitatem in illo inſtrumento contentam eſſe ſibi debitam, ſi pecunia illa ſoluta ſibi ſit,

ſit, ſed ei debeatur, ob aliam rationem, de qua nullum eſt inſtrumentum.

Reſp. Affirmanter: intelligendo tamen, ſibi deberi, non virtute illius inſtrumenti, ſed ob aliam cauſam; quia reuera ea quantitas ſibi debetur, & verum iurat iuxta principalem Iudicis intentionem, & nulli iniuriam irrogat, cum debitor totam illam quantitatem ſoluere teneatur. Ita Doctores communiter: Et ſi debitor coram Iudice illum reconueniat, vt iuret, an pars illius debiti ſibi ſoluta ſit; poteſt ſecundum aliquos iurare, ſolutam non eſſe, intelligendo; vt non ſit modo tantumdem ſibi debita. Quia verum in hoc ſenſu, qui principaliter à Iudice intenditur, iurat, & cogitur neceſſitate recuperandi ſuum creditum. Ita *Sanchez cit.c.6.nu.36. Con.1.var.c.2. nu.4. Thomas del Bene ſupra n.14. Leander à Sacram.qu.21. Caſtropalaus ſupra, Piſtachius*, & alii: qui tamen hoc intelligunt: dummodò non ſit præiudicium iuris alterius creditoris, qui habeat ius anterius debito illo non contento in inſtrumento, & debitor ille non eſſet omnibus ſoluendo.

Ex hactenus dictis colligitur, quod tantum amphibologia formalis, ſeù reſtrictio purè mentalis ſit illicita in omni caſu, quia includit mendacium: non autem reſtrictio, quæ non eſt pura: quicquid confundens terminos æquiuocationis, & amphibologiæ, & ſine diſtinctione huius in formalem, & materialem, ex *D. Auguſtino* non benè intellecto dixit *Franciſcus Gonetus Aueniononenſis, Epiſcopus Vaſionenſis to 6.tr.3.de 2.præc. Decal. c.2.ſub qu.3.* Quare rectè *Præſul Malderus in tr.de Reſtrictionis mentalis abuſu c.12 ſect.2.* admittit, poſſe eſſe licitam reſtrictionem mentalem, quando aliquo modo verbis exterioribus, propter circumſtantias ſignificantur. *Quod facilius fit* (verba ſunt iſtius Sapientiſſimi Antiſtitis) *quando interroganti reſpondemus; poſſumus enim ſenſum interrogationis eo modo accipere ab ipſo, quando exorbitans non ſit, quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat; V.g. ſi inquirat de aliquo, quod ſecretum eſſe debet, poteſt ei reſpondere, quaſi neſciat; quia debebat non ulterius inquiri, quam quatenus reuelari poteſt. V.g. cum ſit Legatus Regis interrogatus ab illo Principe, ad quem miſſus es: An Rex cogitet inferre bellum tali Prouinciæ, reſpondebis rectè, te neſcire, etiamſi ſcias; quia interrogans debebat exigere ſcientiam huius ſecreti, cum ea reſtrictione, ſi dicere id tibi liceat; & quia nemo præſumitur peccare, meritò præſumis non alio ſenſu te eſſe interrogatum: dicens ergo ſe neſcire, eo ſcilicet modo, vt liceat dicere. ſatisfacis importunè interrogationi, eius exorbitantiam quodammodo reducens ad modum debitum. Si ergo ratio ſubſit ſic loquendi, & abſit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet, licebit tibi vti reſtrictione, aut ſubintellectione mentali: falſitas enim, & mendacij deformitas ceſſat; quia etiam iſti mentis conceptui, qui rei reſpondet, verba reſpondent in quodam ſuo ſenſu. Vbi obſeruo differentiam inter caſum, quo locum habeat reſtrictio ſic, vt debeat dicere, & illum, quo locum habet reſtrictio ſic, vt poſſit dicere; prior locum habet, quando indebitè actu exercito*

in-

Digitized by Google

interrogans tanquam debitam exigit reſponſionem, vt de vſurpante officium Iudicis: alter tamen ſemper locum habet, quando non potes dicere, quod interrogaris; qui enim petit à te reſponſum, cum nemo præſumatur malus, aut malè agere, meritò cenſetur petere reſponſum poſſibile, ſalua lege diuina, aut naturali, ac æterna: meminiſſe tamen oportet ſemper, ſatius eſſe, quando id fieri commodè poteſt, ſilentio, aut alio diuerticulo euadere, quam tali verborum artificio, vt quam perfectiſſimè abſtineatur ab omni ſpecie mali. Hæc ibi.

47 Alius modus adhiberi poteſt reſpondendi interrogationibus, quæ extraiudicialiter fiunt, abſque amphibologia, ſcilicet, per circumlocutionem, quæ de præſenti nihil affirmat, nec negat. V.g. Interrogatur quis de actione aliqua, quæ neceſſariò poſtulat ſecretum. In quo caſu poteſt reſpondere: *Gauderem vtique id ſcire, vt tibi ſatisfacerem.* Quo pacto neq; affirmat, neque negat id ſcire; & qui interrogat, exiſtimat, illum neſcire, quod interrogatur. Ita *Io. de Cardenas ſupra c.4 nu.53.* qui *c.5.nu.79.* ait: Secretarium inquiſitionis interrogatum ab amico de cauſa arcana cuiuſdam Rei, reſpondere poſſe per circumlocutionem iam dictam. Sequitur *Carol. de Alexio l.c.n.34.*

PROPOSITIO XXVIII.

Qui mediante commendatione, vel munere, ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt; poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis de ſimilibus ſolet exigi, quia non tenetur fateri crimen occultum.

1 HAnc docuit *Leſſius l.2.c.42.n.48.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Explicatur, ſeù traditur notitia Propoſitionis proſcriptæ.*

3 *Reus interrogatus à Iudice ſub iuramento, quando poteſt negare delictum cum æquiuocatione, vel amphibologia, quando non?*

4 *Quid ſi Reus, vel teſtis dubitet, iuridicè interrogari?*

5 *Referuntur caſus, in quibus conueniunt Doctores ferè omnes in hac materia.*

6 *Quæ de Reo dicuntur, proportione ſeruata, procedunt in Teſte. Explicantur multi caſus.*

§. II.

§. II.

7 *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, non poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus poteſt exigi non habito reſpectu ad intentionem exigentis, ſed tenetur iurare iuxta intentionem exigentis, etiamſi ſubornatio, vel commendatio ſit occulta. Et contrarium iure damnatur.*

8 *Oſtenditur hoc multipliciter.*

9 *Quotuplex peccatum in dicto euentu committitur?*

10 *Vt peccata euitet, ad quid iſte commendatus tenetur?*

11 *Ad quid etiam teneatur iſte, qui aliquid egit, vt commendaretur, ſi res adhuc ſit integra? Vbi etiam reſoluitur.*

Quid ſi promiſiſti modo vetito, ſed tua promiſſio nullum habuit effectum?

12 *Reſoluitur etiam caſus de Scholaſtico à Iudice interrogato, an loquutus fuerit cum aliquo ex oppoſitoribus ad Cathedram, vel illius domum ingreſſus, & verba, & ingreſſus non fuerint ſubornationis cauſa.*

13 *Damnatio huius Propoſitionis non extenditur ad caſum de occulto crimine Rei reſoluto* §.1. in 2.prænotione.

§. III.

14 *An quoties licitum eſt vti amphibologia aliqua excepta formali, adhuc liceat illa vti, quando vrget interrogans omnem excludendo amphibologiam?*

15 *An liceat amphibologia per additionem vocis alicuius ſubmiſsè prolatè, aut alicuius actionis externæ?*

16 *An hic poſſit habere locum circumlocutio?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. Vt habeatur plena notitia ſignificati per hanc Propoſitionem, ſolere nonnullas Prouincias, vel Ciuitates Regi ſubditas neminem promouere, imo & per ſtatutum velle, ne aliquis promoueatur ad magiſtratum, vel ad officium publicum, mediante commendatione, ſeu munere; atque ita à promoto exigi ſolet de Regis mandato, vt iuret, an per commendationem, aut per munus fuerit promotus. Hoc iuramentum, quod non practicarit, appellant Helueti.

3 Notandum eſt 2. Quod Reus non iuridicè interrogatus, ſeu iniuſtè interrogatus à Iudice de aliquo delicto occulto, quod verè fecit; poteſt negare, ſe illud feciſſe, ac iuramento confirmare; nam tunc adeſt amphibologia, ſine reſtrictione purè mentali, nempè externa per qualitatem ſubiectorum, & alias circumſtantias occurrentes; cum enim ipſe iudicii lo-

Digitized by Google

cus, & auctoritas Iudicis, & cæteræ circumſtantiæ non faciant ſenſum; niſi in iis, quæ ad iudicium ſpectant, & ad quæ Iudex habet legitimam poteſtatem, illud iuramentum, quod præſtatur, dicendi veritatem, ad hoc tantum prædictis circumſtantiis coarctatur. Et Iudex cum putetur iuxta mentem boni viri non interrogare, niſi de iis, quæ legitimè poteſt, cum interrogat quem, an tale quid fecerit, implicitè intelligitur, quod fateri teneatur, vel quod ipſe præcipere poteſt, vt ſibi dicat. Et in hoc ſenſu, qui re vera crimen commiſit, ſed eſt occultum, verè reſpondet, non feciſſe, nempe tale, quale tenetur confiteri, & quale ipſe poteſt præcipere, vt ſibi dicat. Ita *Andreas à Matre Dei l.c.§.3.num.118.Salmant.tr.de Fide d.2.dub.1.§.2.nu.31.Piſanus hic, Corella nu.88. Felix à Panormo to.2. exam.Confeſſ.d.4.nu.364. Illſung.in Arbore ſcientiæ tr.4.d.2.qu.1. ar.6. §.3. n.35.Sporer.n.117. Reiffenſtuel, Ferre*, & alii. Et idem eſt ſi Iudex ſit incompetens: quare eadem amphibologia poteſt vti Reus, quando interrogans non eſt legitimus interrogati Iudex, aut in caſu particulari, in quo interrogat: quia tunc non interrogat iuridicè: atque ita poteſt amphibologicè occultari veritas. Ita poſt *Sylu. Nau. Manuelem, Sotum, & Sayrum, Sporer nu.118. Felix à Panormo ſupra, Octauius Maria à S. Ioſeph ad interrog.528.* Sic poteſt vti hac amphibologia ſine reſtrictione mentali, quando extractus eſt ab Eccleſia; quia tunc Iudex non habet ius interrogandi, & procedendi; vel iuriſdictio huius Iudicis eſt ſuſpenſa per appellationem; vel eſt excommunicatus, denunciatus, aut notorius clerici percuſſor: in his enim caſibus Iudicis iuriſdictio ſuſpenſa eſt. Ita *Sanchez d.l.3. c.6.nu.27. Sporer ſupra*, & alii. Aliud eſt dum Reus iuridicè interrogatur, ac legitimè, vtpotè poſt infamiam, vel indicia contra ipſum probata, vel ſemiplenam probationem, quam facit vnus teſtis idoneus ex viſu; tunc enim peccat mortaliter amphibologicè iurans in iudicio, & idem eſt ſi vtatur verbis æquiuocis; peccat inquam tum contra virtutem Religionis publicè, & ſolemniter aſſumendo nomen Dei doloſè, tum contra virtutem Iuſtitiæ. Ita Doctores communiter. Qui enim iuridicè interrogatur ſub iuramento, iam perdidit ius celandi ſuos conceptus, & ea, quæ, putabat ſecreta, cum iam ad forum externum perducta ſint, teneaturque legitimæ poteſtati obedire. Et quamuis multi ſuſtineant, Reum non teneri contra ſe, abiecta amphibologia, ac æquiuocatione, contra ſe patefacere veritatem, quando ei imminet pœna capitis, vel triremium, & negando ſpem habet euadendi; quia quilibet magnum ius habet à natura conſeruandi vitam, ſuamque libertatem, itaut nullum præceptum humanum poſſit cum tanto rigore, & incommodo obligare. Inhumanum enim, inquiunt, videtur, vt qui conuinci non poteſt, teneatur contra ſe arma præbere, quibus occidatur, aut grauem pœnam ſcilicet perpetui carceris, aut Triremium ſubeat. Ita *Leſſius, Rodriquez, Nauarra, Sà, Reginald, Filluc. Card. de Lugo, Bontempius, Lezana, Peytinus, Sancius, Tamburinus, Steinlein,*

& poſt

Digitized by Google

& poſt hoc Decretum *Io.de Cardenas diſer.*19.*nu.*181. *Sporer ſupra n.*115. *Caſalichius l.*3.*reſ.mor.c.*11.*nu.*1. & alii. Nihilominus, his non obſtantibus, oppoſitum aſſerendum eſt cum *D.Thoma* 2.2.*qu.*69 *ar.*1. *D. Anton.*3. 3.*tit.*9.*c.*7.§.5. & aliis communiter Canoniſtis, Theologis, & Iuriſperitis, quos referunt, & ſequuntur *Sanchez l.*6.*conſil.c.*3.*ſub nu.*29. *Sylvius* 2.2.*q.* 69.*ar.*1. *Paſſerin in praxi formandi proceſſum qu.*24.*art.*1. & nuper *Octauius Maria à S.Ioſeph ad interrog.*528. qui oppoſitum ſentiam *Io.de Cardenas* poſt hoc Decretum vocat valde periculoſam. Et ratio eſt, quia eo ipſo, quod quis commiſit delictum, & hoc eſt iam ſemiplenè probatum, publicæ iuſtitiæ ratio exigit, vt Iudici interroganti, iuris ordine ſeruato delictum fateatur, nam eo ipſo, quod qu delictum patrauit, hocque iam per ſemiplenam probationem Iudici eſt manifeſtum, perdidit totum illud ius, quod alias habebat ad vitam propriam. Vnde indebitè eam conatur tueri contra Iudicem iuſte, & legitimè perquirentem confeſſionem patrati delicti. Malè ergo *Capycius Latro conſult.*107.*n.*35. & *Carol. de Alexio ad obſer.*107.*nu.*30. dixerunt, fuiſſe licitum interroganti, ſi Petrum occidit, reſpondere negatiuè; intelligendo de alio eiuſdem nominis. Addunt tamen Doctores communiter, Reum, qui crimen ſuum Iudici occultauit, non teneri coram Iudice retractare, ſeù abſoluendus, ſeù condemnandus ſit, ſeù lite pendente ſuſpenſus maneat.

4 Notandum eſt 3. Quod ſi Reus dubitet, an Iudex iuridicè (ideſt ordine iuris ſeruato) procedat, poteſt vti tum æquiuocatione, tum amphibologia materiali, ſcilicet, ſine reſtrictione mentali, vt ſupra; quia nemo tenetur parere ſuperiori cum graui ſuo, vel alterius incommodo, niſi conſtet eum legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi. At cum dubitat rationabiliter, vt ſuppono, non id ei conſtat; Ergo, &c. Adde, quod in dubio fauendum eſt Reo. Ita *Caiet.*2.2. *qu.*69.*ar.*1. *Sotus de Sacr. memb.*3.*qu.*2.*concl.*2. *Adrianus quodl.*2. *Filliuc.tr.*40.*c.*9.*nu.*264. *Illſſung in arbore ſcientiæ tr.* 4.*d.*2.*qu.*1.*ar.*6.§.3.*nu.*35. *Piſtachius, Heinleia*, & alii addentes, Judicem teneri aperire Reo ſtatum cauſæ, probationes, indicia, & teſtes, vt videat iuridicè contra ſe procedi, ſeque interrogari poſſe: & vt ſi quid contra habeat, poſſit opponere, & excipere. Idem eſt de teſte dubitante, de iuridica Judicis interrogatione: in dubio enim fauendum eſt Reo, dum agitur de graui ſuo incommodo. Secus eſt; quando nullum ibi notabile incommodum metuitur. Ita *Leſſius l.*2.*c.*31. *dub.*3.*n.*10.& *Filliuc.tr.*40.*c.*8.*nu.*232. qui ait, eam regulam ſeruari poſſe ex *Soto cit. qu.*2. Vt vbi nullum damnum imminet bono publico, vel tertiæ perſonæ, inclinet in fauorem Judicis, ſecus ſi damnum ſequeretur tertiæ perſonæ: tunc enim in fauorem Rei, præſertim ſi de morte ipſius agatur, inclinandum erit.

5 Notandum eſt 4. Conuenire Doctores in ſequentibus. Primò. Quãdo factum aliquod criminoſum excuſatur à culpa ratione alicuius cir-

cumſtantiæ, poteſt interrogatus à Iudice cum iuramento, factum illud negare cum amphibologia tantum materiali, ſeù ſine reſtrictione mentali. E.g. Qui hominem vel ignoranter, vel ob ſui defenſionem occiſit, vel rem alienam in ſui debiti compenſationem vſurpauit, poteſt factum illud negare, intelligendo, non commiſiſſe culpabiliter; quia interrogatio Judicis intelligitur de facto criminoſo culpabiliter patrato. Ita *Bannez 2.2. qu.69.ar.2.dub.pen. Sayrus l.12.clauis c.17.nu.26. Sanchez l.3.c.6.nu.29. Andreas à Matre Dei tr.17.c.2.pu.18.§.6.nu.139. Illſung ſupra nu 34. Capycius Latro cit. conſult.107.nu.36. Piſtacbius, Leander à Sacram.* & alii cum *Leſſio l.2.c.31.dub.3.nu.14.* & *Trullench l.2.in Decal.c.1.dub.15. nu.8.* Et idem dicitur de teſte, qui ſi ſciat abſque occiſoris culpa fuiſſe aliquem occiſum, puta ad neceſſariam defenſionem poteſt iurare coram Judice non fuiſſe ab illo occiſum, vtendo amphibologia ſine reſtrictione mentali, ſcilicet, iuxta intentionem Judicis, intelligendo culpabiliter, ita vt ad pœnam condemnari valeat; quia Judex quærit de occiſione criminoſa. Ita *Leſſius ſupra, Sanchez l.2. de Matr.d. 10. n.27. Salonius 2.2.qu.69.ar.2. Fagundez l.2.c.11.nu.21. Piſtacbius,* & alii communiter. Secundò. Quis interrogatus à Judice cum iuramento de aliqua circumſtantia ad ipſum verè ſpectante, ſed tamquam indicio alicuius delicti, quod ipſe non commiſit, poteſt circumſtantiam illam Judici amphibologice ſine reſtrictione mentali negare. E.g. Interrogatur quis, vt teſtetur, an gladius repertus cum occiſo ſit ſuus, & reuera ſuus eſt; vel ſi tali die; & hora tranſierit per illum locum; in quo homicidium commiſſum fuit, & re vera tranſierit; ſi ab eo petantur tanquam indicia illius homicidii, quod verè ille non commiſit, poteſt ille negare; quia vtique ad mentem Judicis reſpondet, quæ eſt inueſtigare reum homicidii patratorem. Ita *Sotus lib. de ſecreto memb.2.qu.7.poſt 3. concl.ſ.dub.2. Sayrus l.c.n.11. Sanchez ſupra n.30. Leſſius, & Illſung locis relatis, Diana p.3.tr.6.miſcell.2.reſ.30. Caſalichius l.c.nu.4. Capyc. Latr. l.c.num. 379. Piſtacbius,* & alii. Tertiò. Si ſermo eſſet in congreſſu de aliquibus, qui ſimul vineam ingreſſi, vuam inde excerpſerint, & ego cum eis fuerim, ſed cauſa tranſeundi, nec vuæ racemum tetigerim, ſi in diſcurſus progreſſu interrogaret, an cum eis fuerim, & reſpondeam, me non interfuiſſe, quod ſecundum circumſtantiam diſcurſus intelligi debet, non interfuiſſe ad furandum, licitè tali amphibologia vterer; quia eſt ſine reſtrictione mentali. Ita *Piſanus hic propoſ.26.* & alii communiter. Quartus. Rogatus iuridice à Judice, an crimen aliquod admiſerit, quod per ſe non admiſit, ſed per tertiam perſonam, cui id præcipit, eſt periurus, ſi iuramento ſe admiſiſſe neget; quia id iuſiurandum accipiendum eſt ſecundum legitimum verborum ſenſum, quem aut ſuapte natura verba habent, aut in quo canones, & leges accipiunt. Atqui feciſſe verè dicitur non ſolum ille, qui per ſe ipſum fecit, ſed & qui fieri mandauit *l.1.verſ.deieciſſe, ff.de vi, & vi armata.* Ergo, &c. Ita *Azorius to.1.l.11.c.8.quæſ.2. Sanchez l.3.c.7. num.3.*

& alii

& alii communiter. Quintò. Juridicè de delicto rogatus non poteſt iurare, ſe ab eo delicto liberum, eo quod illud in Confeſſione Sacramentali detexit, & ſi certus eſſet, id delictum per abſolutionem eſſe à Deo condonatum; quia adhuc Judex habet ius de illo interrogandi ad punitionem in foro externo. Ita *Paludan.in 4,d.35.qu.1.ar.3.nu.26. Azorius cit.l.11.c.11.quæſ.1.Sanchez ſupra n.4.* aliique, ex *c.accepimus, de purgatione canonica.*

6 Dicta de Reo, proportione ſeruata, procedunt in Teſte. Et primò legitimè interrogatus à Judice tenetur abſque amphibologia fateri veritatem. Ita docent cum *D.Thoma 2.2.qu.70. ar.1.* communiter Theologi. Legitimè autem teſtis à Iudice dicitur interrogatus, quando interrogatur a Judice competenti de crimine, vel manifeſto, vel de quo præceſſit infamia, vel de quo imminet damni periculum communitati, vel ſi damnum immineat alteri particulari, nec poſſet aliter damnum illud impediri, vel delictum ſit ſemiplene probatum, vel poſſit plenè probari. In quocumque caſu ex his Judex iuſtè, ac iuridicè teſtem interrogat. Ita *D.Thomas l.c.Leſſius l.2.c.30.dub.6.nu.42. Filliuc,tr.40.c.8. nu.229.* & alij communiter. Secundò, Teſtis non legitimè à Iudice interrogatus, poteſt iurare, ſe neſcire, quod verè ſcit, vſurpando *non ſcio,* iuxtà *Card. de Lugo,* quatenus hæc verba ſignificant ſcientiam vtilem ad reſpondendum. Et ita tunc idem erit dicere, *Non ſcio ſcientia vtili ad reſpondendum.* Vel iuxta *S.Auguſtinum: Non ſcio tanquam manifeſtabile*: in quo nulla eſt reſtrictio mentalis; quia ipſum verbum *neſcio* idem ſignificat: iuxta humanam loquendi conſuetudinem, ſecundum quam neſcire quis dicitur, quod occultat, dum adeſt obligatio occultandi, aut non adeſt obligatio declarandi, vt hic ſupponitur. Ita *Nau.in c.Humanæ aures 22.qu.5.in ſua qu.1.n.9.Sayr.l.4.c.5.nu.24.& l.12.c.17.n.2.Sanchez l.3. Suar.c.6.n.23. Andreas à Matre Dei l.c.§.6.n.139.* & alii communiter. Tertiò. Si Iudex interroget iuridicè teſtem, ſi hic alias ex aliquo capite non tenetur ferre teſtimonium; quia nimirum ipſi ex eo notabile imminet damnum, poteſt reſpondere, ſe neſcire, non audiuiſſe, &c. vſurpando ſecundum S.Auguſtinum hæc verba, quatenus neſcire quis dicitur, quod occultat; & non audire quis dicitur tanquam rem manifeſtabilem. quod aperire non poteſt. Ita *Filliuc. l.c.nu.231.Sanchez, & Andreas à Matre Dei locis relatis.* Quartò. Idem eſt, ſi teſtis illud ſciat in Confeſſione Sacramentali: poteſt enim iurare, ſe illud neſcire, vtendo amphibologia ſine reſtrictione mentali, reſpondendo ad mentem interrogantis; quia re vera neſcit ut homo, quomodo interrogatur, ſed tantum ſcit vt Deus. Ita *D.Thomas in 4.d.21.qu.3.ar.1.quæſtiunc.1.ad 2. Sanchez ſupra, Piſanus hic propoſ.26.nu.3. Felix à Panormo cit.d.4.nu.362. & ſeq.Illſung ſupra n.351. Piſtachius,* & alii; addentes, idem eſſe, ſi ſciat ſub ſigillo ſecreti naturalis, vt tanquam Conſiliarius, Auditor, Aduocatus, Medicus, Obſtetrix, vel ſimilis: niſi teſtificatio neceſſaria eſſet ad auertendum aliquod graue damnum publicum, vel priuatum: hoc ipſum

docet

docet *Caſalicbius l.3.reſ.mor.c.21.nu.4.* Quintò. Licet teſti iuridicè interrogato, an aliquid ſciat, non tamen rogato, an audiuit, iurare, ſe neſcire, ſi ſolum audierit. Quia hæc verba plana ſunt, & ab omni amphibologia formali libera. Quippe verbum ſcio ſignificat cognitionem euidentem; vnde ea ſola cenſentur teſtes ſcire, quæ in eorum præſentia geſta ſunt, *c. Teſtes 3.q.9.* Ita *Sotus in 4.d. 18.qu.4.ar.5.in ſolut.ad 4. & de iuſt. & iure l.6.ar.2.concl.7. & de ſecreto memb.3.qu.3.poſt 4.concluſ. Aragonius 2.2.qu. 70.ar.1.fol.520.col.2. Sanchez l.3.c.7.n.5.* His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

7 DIco 1. Qui mediante commendatione, vel munere, ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, non poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus poteſt exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, ſed tenetur iurare iuxta intentionem exigentis, etiam ſi ſubornatio, vel commendatio ſit occulta. Et contrarium in hac Propoſitione aſſertum merito proſcribitur.

8 Probatur. Tum quia, eſto verum ſit, nullam dari obligationem fatendi crimen occultum ſuperiori criminaliter agenti, & ad punitionem eius interroganti ſuum ſubditum: oppoſitum tamen ſine dubio dicendum eſt, cum interrogatio primario ad punitionem non tendit; ſed ad impediendum peccatum, aut frequentes occaſiones eius, vel pernicioſa alia damna Reipublicæ impendentia ex inde. Vt cum inquiruntur merita perſonæ, & quæritur de habilitate ipſius ad matrimonium, Ordines, Epiſcopatum, vel aliud huiuſmodi: intereſt enim Reipublicæ, ne inidonei, vel inhabiles his muneribus ſe immiſceant; & propter commune bonum ius habet interrogandi de impedimentis ipſorum, quæ non minus ſibi nocent ex eo; quod ſunt occulta. Atqui ſic in præſenti accidit: primario enim non inquiritur ex affectu vindicandi crimen ſubornandi, aut ſeſe commendandi, ſed ex affectu iuſtitiæ diſtributiuæ, aut legalis detegendo impedimenta illa, quæ per ſtatutum reddunt homines inidoneos, aut inhabiles ad magiſtratus, & officia publica. Et hæc non eſt actio rigorosè iudicialis, quæ tendit ad punitionem rei, ſed ad correctionem, & emendationem abuſuum, vt forſan timore non peierandi, dum ſciunt ſe iuraturos, à procuratione officiorum, mediantibus muneribus abſtineant; quod ad bonum commune, Reibublicæ conſeruationem maximoperè conducit, dum indignorum promotio vitetur. Fruſtraretur autem & Reipublicæ finis, & communis vtilitas, ſi occultam muneris largitio-

gitionem non teneretur confiteri: cum ſemper hæc occulta ſit; Ergo, &c. Vnde erroneè ponitur in theſi ratio illa; *quia non tenetur fa.eri crimen occultum*; Omnium namque doctrina eſt (teſte *Card. de Lugo d.37. de iuſt. & iure nu.63. in fin.*) qua aſſeritur ad impediendum damnum, quamuis non ad punitionem, iudicialiter inquiri poſſe de occultis, & imponi criminoſo nolenti deſiſtere à cœptis obligationem reſpondendi ad mentem interrogantis veritatem illius facti, cuius nulla ſemiplena probatio, neque infamia antea præceſſit, vel æquipollentia indicia. Hoc docent *Nauar. in Rubr. de Iudicijs nu.92. Salas d.15. de legibus nu.44. Suar. l.5. de legibus c.9.n. 15. Laym, Giballinus*, aliique, & cum *Angelo, Soto, Syln. Tabiena, & Armilla, Sanch. l.6. conſil. c.3. dub.19. nu.2.* dicens certum. Tum quia cum promotio ad magiſtratum, vel officium publicum ſit materia gratuita poteſt ei aliquod onus, vel conditio apponi: quod non apponitur in iudicio punitiuo. Poteſt ergo imponi hoc onus iurandi, & manifeſtandi occultam muneris largitionem tanquam conditionem; ſi enim alicui graue hoc onus videtur, eſt in eius libertate ab eo ſe eximere, magiſtratum non quærẽdo.

9 Hinc in dicto euentu duplex peccatum mortale, vt minimum cõmittitur, reſpondendo negatiuè. Primum eſt contra obedientiam Principis iure ſuo præcipientis planam, & minimè ambiguam criminis declarationem, ſi fortè fuerit commiſſum. Secundum eſt periurii aſſertorii; quia reſtrictio occultè adhibita non liberat à peccato, nec tollit crimen periurii. Addit *Hurtadus De La Fuente* ex mente aliorum, tertium peccatum periurii promiſſorii; quia ſubditus ſub iuramento promiſit externam confeſſionem veritatis, qualem exigebat Princeps: & hanc non exhibet, ſed aliam ſubdolam, qua ille decipiatur.

10 Vt autem hæc peccata euitet tenetur, vel fateri veritatem, vel deſiſtere à propoſito obtinendi officium, &c. ſicut habens impedimentum ad matrimonium, interrogatus ab Ordinario, tenetur illud fateri, vel deſiſtere à matrimonio; quantumuis impedimentum occultum, & infamatorium ſit, vt docent *Henriquez l.10. de Sacram. ordinis c.10. nu.2. in commen. lit. D. Sanchez l.3. de matr. d.14. nu.2.* & alii communiter, ex doctrina *Abbatis, & Innocentij*; & ſicut tenetur ordinandus interrogatus pandere vitium occultum, quod reddit ipſum incapacem ordinis; vt ſi ſit irregularis, vel ætatis defectum patiatur; aut ab ordinibus deſiſtere tenetur, vt patet ex *c. Niſi cum pridem, de renunciat. verſ. Pergraui*, vbi *Gloſſa V. non potuerit*, & ex *c. innotuit de elect. verſ. multò enim*, vbi *Gloſſa V. Reatum*, & ex *Conc. Carthaginenſi 4. relato in c. ex pænitentibus 50. d.* & cum *Archid. Hoſtienſi, Innocentio, Abbate, Felino, Turrecremata, D. Antonino, Syln. Matolo, Henriquez*, & aliis, *Sanchez ſupra*.

11 Dico 2. Iſte, qui aliquid egit, vt commendaretur, ſi res adhuc eſt integra, tenetur, quantum in ſe eſt curare, ne electores, apud quos ſe commendauit, habeant rationem illius commendationis; ſed purè ſpe-

ctent

Digitized by Google

ſtent bonum commune, & merita perſonarum. Quod ſi illi fecerint, poterit iurare, quod ſe non commendauit, intelligendo, commendatione efficaci ex qua ſit electus. Ita *Briſacenſis to. 4. tr. 5. de iuſt. & iure d. 3. q. 4. art 8. n. 158. Gobat. in Alphabeto quadruplici de Iuramento caſu 17. n. 518.* aliiq.

Probatur. Nam de efficaci intelligendum eſt ſtatutum, vel mandatum Regis poſtulans iuramentum: verba enim cum effectu intelligenda ſunt: actus quippe inefficax perinde eſt, ac ſi non fuerit. Non enim fateri debet crimen occultum, quod eſt impertinens ad propoſitum. Sic etiam ſi aliquid promiſiſti alicui electori, vt te eligeret in Prælatum, ſi ille ſe non eligat, vel tuæ promiſſionis nullam rationem habeat, electio non eſt vitioſa, & ſi cogeris iurare, poteris iurare, te nihil promiſiſſe; nam intelligitur iuxta mentem exigentis iuramentum de promiſſione, ratione cuius electio ſequatur. Et in hoc benè proceſſit *Leſſius* ſupra, quem alii ſequuntur. Et idem eſt, ſi promiſiſti modo vetito, ſed tua promiſſio non habuit vllum effectum; eo quod ſis promotus ſuffragiis aliorum, cum quibus nihil pactus fuiſti: poteris iurare, te non practicaſſe, quia reſpondebis iuxta mentem legislatoris exigentis iuramentum dumtaxat circa priuationem efficacem. Ita *Gobat. & Briſacenſis ſupra.*

12 Sicut etiam Scholaſticus à Judice interrogatus, an loquutus fuerit cum aliquo ex oppoſitoribus ad Cathedram, vel illius domum ingreſſus, poteſt reſpondere negatiuè, ſi verba, & ingreſſus non fuerint ſubornationis cauſa; quia hæc debet eſſe mens Judicis interrogantis. Ita *Sanchez l. 3. ſum. c. 6. n. 34.* & cum aliis *Leand. à Sacram. d. 45. q. 21.*

13 Dico 3. Damnatio huius Propoſitionis non extenditur ad caſum de Rei occultis criminibus reſolutis §. præcedenti prænot. 2. Ita *Piſanus hic,* & alii contra *Filgueram.*

Patet. Quia ea doctrina eſt communis ſententia, & eſt quid naturam Iudicis concomitans; & habetur in *c. qualiter, & quando, de accuſat.* Aliud verò eſt in caſu huius Propoſitionis: in hoc enim iuridicè Reus interrogatur. Omninò autem euidens eſt, interrogari iuridicè, cum interrogatio non tendit per ſe primo ad punitionem, ſed ad præcauenda peccata, & impedienda alia damna pernicioſa Reipublicæ.

§. TERTIVS.

Duo dubia reſoluuntur pro complemento materiæ Amphibologiæ.

14 PRimò hìc dubitatur. An quoties licitum eſt vti amphibologia aliqua, excepta formali, adhuc liceat illa vti, quando vrget interrogans, omnem excludendo amphibologiam?

Reſp.

Reſp.affirmanter. Sic ſi Judex interroget teſtem, ſed non iuſto ordine iuris ſeruato, an ſciat hoc crimen; & ille reſpondeat, neſcio, ſubintelligendo, quod tibi reuelare debeam; & Iudex vrgeat, an id dicat, & iuret ſincerè abſque vllo artificio, ambiguitate, & amphibologia, adhuc iurare poteſt, ſe abſque vlla amphibologia loqui, ſubintelligendo, ex qua mihi vti non licet. Et ſi millies interrogans reduplicet, an id ſciat, vel in ſecreto, vel in publico, vel quocumque modo, vel ita, vt manifeſtare non debeat, adhuc vti ſuper hoc alia vſque in infinitum, reflexa amphibologia; quia ſemper reſpondet iuxta legitimam interrogationem, quæ ineſſe deberet interroganti; & improbitati ſuæ tribuere debet, quod aliud, & aliud ex verbis percipiat, & decipiatur. Sic *Sanchez l.3.ſum.c.6.nu.45.Valen.tom.4. d.7.qu 3.pu.vlt.concl.2.Leand.à Sacram.ſupra qu.37.Caſtrop.tr.14.d.1. pu.7. in fin. Bonac.* & alii, quos relatos ſequitur *Andreas à Matre Dei ſupra §.5. nu.131. Salmant. ſupra num.31.* Similiter, ſi quis petat, iura mihi, te nullo modo vſurum in tali promiſſione amphibologia, poteſt iurare ſe non vſurum amphibologia, ſubintelligendo, qua mihi vti non licet, vel quid ſimile, & poſtea vti licita, nempe materiali. Ita cum *Maiori, Azorio, Fagundez, & Rodriquez, Piſtachius ſupra nu. 12.* Et ſi Confeſſarius compelleretur dicere, an audierit crimen, vt Deus, vel vt Dei miniſter, adhuc debet reſpondere, & poteſt ſe iurare, ſe non audiuiſſe, vt Deum, neque vt Dei miniſtrum illud crimen; eſt enim adhuc reſponſio amphibologica materialiter, & intelligitur, non audiuiſſe ad dicendum, vel eo modo, quo teneatur dicere. Ita cum *D.Thoma*, & aliis, *Piſtachius nu.22.Salman. vbi ſupra, Sotus in 4.d.18.qu.4.ar.5.ad 4.Nau.Valen.* & alii, quos citat, & ſequitur *Sanchez l.c.* Et Reus rogatus de delicto ſecreto, ſi vrgeatur, vt dicat, ſiue fecerit publicè, ſiue occultè, ſiue ipſe Iudex iuridicè roget, ſiue non, adhuc poteſt reſpondere, ſe non feciſſe, intelligendo, non vt tu, iniquitate tua roges. Sed vt teneris tanquam Iudex rogare. Ita cum *Salonio, Sanchez ſupra.*

14 Secundò dubitatur. An liceat amphibologia per additionem vocis alicuius ſubmiſse prolatè, aut alicuius actionis externæ. Senſus eſt. Vtrum ſi quis rogatus an comederit, reſpondeat licitè clara voce, *non comedi*, addendo voce ſubmiſſa *ex piſcibus*, & carnem comederat. Vel ſi rogatus, an Petrus per hanc viam tranſierit, licitè reſpondeat verbis, *non tranſiui per hanc partem*, immittendo ſimul manum in manicam, & Petrus per illam viam tranſierit.

Affirmant Recentiores complures; quia locutio exterior tunc eſt uera, quando exterius concordat conceptui interno, ſiue locutio fiat nutibus, aut ſignis, tàm verè, quàm ſubmiſsè prolatis: & ſiue adæquatè conſtet ex verbis, ſiue adæquatè ex nutibus, ſiue partim ex verbis, partim ex nutibus (hæc quippe diuerſitas prorſus materialis videtur.) Atqui in exemplis proximè relatis illæ locutiones externæ, vt conſtant adæquatè ex nu-

tibus, & ex verbis, tàm clarè, quam ſubmiſſa voce prolatis, concordat conceptibus internis, quibus homo iudicat, ſe non comediſſe ex piſcibus, & Petrum non tranſiſſe per manicam; Ergo prædictæ locutiones ſunt veræ, & conſequenter licitæ, ſaltē occurrente notabili neceſſitate celandi veritatem, quā alter inueſtigat, ex quo vlterius fiet, quod Deo non repugnet vti huiuſmodi locutionibus. Ita alios referens *Sanch. l. 3. c. 6. n. 42.* dicens, licitā fuiſſe amphibologiam, qua S. Frāciſcū vsū fuiſſe referunt *Angelus de Peruſio in l. Ideo §. ſi tibi, ff de condit. ob turp. cauſ.* & *Io. de Amanta in c. qui cū fure col. fin. ff. de furtis*, qui à Iudicis miniſtris rogatus, an illac quidam reus tranſijſſet, manus in auriculam, vel in veſtis manicas introducens, dixit ſic, *non tranſijt hac*, intelligens de loco, in quo manus habebat, & citat præter hos Doctores, *Nauar.* & alios. idem docent cum eodem exemplo *D. Franciſci Pratellus p. 3. c. 1. §. 2. nu. 42.* & *Briſacenſis cit qu. 4. ar. 3. n. 121.* Idem ſimiliter tenent *Io: de Cardenas ſupra c. 4. num. 37.* & *Carolus de Alexio cit. obſer. 107. nu. 31.* qui admiſſo hoc modo amphibologiæ attributo D. Franciſco, addunt, quod pariter ſi fixiſſet pedem ſuper vno lapide, poſſet ſine mendacio dicere: *Non tranſijt hac*, quia per illum lapidem non tranſiit, & *c. 6. num. 71.* idem *Cardenas cit.* quod famulus, qui iubetur negare exiſtentiam domini in ſua domo, poteſt figere pedem in vno lapide, & ſic ſine mendacio reſpondere: *Non eſt hic*, ideſt in iſto lapide. Idem docet *Molfeſius tr. 11. c. 22. nu. 48.* & *Filliuc. to. 4. tr. 25. c. 11. quæſ. 4. n. 328.* dicens, quem poſſe ex cauſa iurare ſic, *Iuro*, & interponere ſubmiſsè *me dicere*, tum abſoluere alta voce, *quod non feci hoc, vel illud. Felix à Panormo cit. d. 4. nu. 360.* admittit licitè ex cauſa poſſe fieri hanc amphibologiam, nempe ſi quis pro aliqua gratia rogatus reſpondeat: *factam*, ſed ſimul manum erga tergum vertens, quo dicit idem, *ac non faciam*. Horum doctrinam damnare, non auſim: Licet *Salmant. ſupra n. 34.* contradicant, quoad additiones ità occultas, vt quamuis exterius fiant, lateant prorſus audientem; has enim æquiparant reſtrictionibus purè mentalibus proſcriptis.

16 Poteſt etiam hic adhiberi circumlocutio ſine amphibologia. Sic qui interrogatur de homine illic tranſeunte, poteſt reſpondere ſine mendacio: *Gauderem vidiſſe, vt tibi ſatisfacerem*; quia in hoc mendacium deeſt: cum nihil affirmet, aut neget reſpondens. Ita *Io. de Cardenas ſupra c. 4. nu. 53. Carolus de Alexio l. c. n. 34.*

PROPOSITIO XXIX.

Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtratione ſimulandi.

1 HÆc tribuitur *Matthæo de Moya p. 1. tr. 4. qu. 3. §. 3.* & à *Diana p. 3. tr. 6. reſ. 83. Ioanni Sancio in ſelectis d. 35. à n. 6.*

SVM-

SVMMARIVM.

§. I.

2 Vnde ſimulatio dicta. Quid ſit largè ſumpta quotuplex licita. Striptè accepta quid ſit, & in quo ab Hypocriti diſtincta?

3 Simulatio propriè dicta alia eſt formalis, quæ eſt intrinſecè mala. Alia eſt materialis, quæ ſi reſpiciat obiectum; aut circumſtantiam vitioſam, non poteſt excuſari à culpa: reſoluendum quid in adminiſtratione Sacramentorum.

4 Licet ſimulatio ſemper ſit peccatum, non tamen ſemper diſſimulatio. Quod plenè explicatur.

§. II.

5 Simulans ſimulatione formali, vel etiam materiali adminiſtrationem Sacramentorum, ob nullam cauſam, aut metum excuſari poteſt à peccato. Et contraria Propoſitio meritò cenſuræ ſubijcitur.

6 Probatur, & ſimul confirmatur validè paritate iuramenti ſine intentione iurandi emiſſi.

7 Quid de ſimulatione D. Petri, & D. Pauli actu circumciſionis Timothæi?

8 Hæc procedunt quo ad proſcriptionem, ſiue ſimulatio ſit formalis, ſiue materialis, & oſtenditur.

9 Quid dicendum de Sacerdote, qui conſtitutus in mortali, & neceſſitate celebrandi, celebrat, ſuppreſſis verbis conſecrationis?

10 In caſu, quo hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, niſi conſecraret totum panem expoſitum venditori in platea, num ei Sacerdoti liceat proferre verba conſecrationis ſine intentione conſecrandi. Et quid ſi recitaret orationem Dominicam ſimulando in hunc modum conſecrationem illius panis coram illo hæretico ignaro verborum conſecrationis.

11 Num Miniſtro non habenti Euchariſtiam repoſitam in Sacrario, liceat ad vitandum ſcandalum, fugiendamque pœnam, & palliandam ſuam incuriam dare hoſtiam non conſecratam communionem poſtulanti in extremis? Et quid ſi poſtulat Euchariſtiam excommunicatus, aut peccator occultus, ad euitandam eius infamiam, & periculum mortis ipſi miniſtro imminens?

12 Quid ſi Sacerdos fingit præbere hoſtiam conſecratam peccatori occulto, & nullam præbet?

13 In caſu, quo mulier indiſpoſita ſi non abſoluatur ſubeat infamiam, vel periculum mortis à marito, liceat ne Sacerdoti proferre abſolutionis verba ſine intentione abſoluendi, ſi alias aperiretur ſigillum confeſſionis, vel ſaltem poſſit obmurmurando recitare aliquam orationem breuem, vel quid ſimile?

14 Quid ſi peccator indiſpoſitus minetur mortem Confeſſario, niſi abſoluat?

15 Si metus grauis verſetur circa matrimonium num ſimulatè poſſit contrahi; vel ſaltem conſenſu non abſoluto?

16 Qui in carcere detinetur, vt contrahat cum Berta, cum qua nequit contra-

Digitized by Google

trahere ex impedimento dirimenti, num poſſit ſimulare contrahere matrimonium, vt contractus eſt, & non vt Sacramentum?

17 *Num hoc Decreto damnetur etiam ſimulatio ſuſceptionis Sacramentorum.*

§. PRIMVS

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt 1. ex *Sylu. V. ſimulatio*. Quod ſimulatio ex eo dicitur, quod vnum aliud ſignificat, vel repræſentat, quaſi ei ſimile; ſicut ſi dicamus, auricalchum ſimulare aurum verum. Et generaliter, ſeù largè ſumitur, vel ſtrictè. Largè ſumpta eſt idem, quod aſſumptio actus, vel rei alicuius ad aliud repręſentandum. Et ſic etiam, vt dicit *D. Th.* 2.2. *qu.* 111. *ar.* 1. *ad* 2, ſimulatio largè eſt fictio. Quæ quidem fictio ſecundum *D. Gregorium* à compoſitione actuum, vel operum dicta eſt: eo modo, quo luſi compoſitores figulos vocamus; & ſignificat compoſitionem exteriorem actuum, vel rerum, ad aliquid falſum, vel etiam verum ſignificandum; ſicut dicitur fingere ſanus tibias claudicando, dum claudicationem ordinat ad ſignificandum ſe debilem, quod eſt falſum: & ſimiliter dum ordinat ad repræſentandum incertum alterius, qui verè eſt claudus. Et hæc triplex eſt. Prima eſt ſignificationis, ſicut Iacob ſimulauit ſe Eſau *Geneſ.* 27. in ſignum, quod populus minor, ideſt Chriſtianus, præferendus erat maiori, ideſt Iudaico: & ſecundum omnes non eſt peccatum hæc, niſi addatur mendacium. Secunda dicitur cautelæ, ſicut Ioſue fugam ſimulauit, vt auerteret Hairas hoſtes à ſua Ciuitate *Ioſue* 8. Et hæc etiam non eſt peccatum, quia non continet mendacium; nam in ea eſt vſus rerum, quæ ſignificare poſſunt verum, & falſum; fuga enim Ioſuæ poterat ſignificare timorem, & prudentiam eius; poſſumus autem vti bono fine, licet alius inde capiat ſenſum falſum. Hinc quamuis non poſſim dicere hoſtibus, vt ad illum locum accedant, promittendo ſecuritatem, & poſtea ſi acceſſerint, eos occidere, ex *D. Thoma* 2.2. *q.* 3. quia fides data etiam hoſti ſeruanda eſt, *c. noli* 23. *q.* 1. nihilominus tamen poteſt Dux facto fugam ſimulare, vt hoſtes ipſum inſequens in aliquas inſidias eis paratas, occidat, *c. Dominus*, ibi: *cum aut bellum iuſtum ſuſceperit*, & *c.* 23. *q.* 2. & patet ex præfato *Ioſue* 8. vbi Dominus præcepit Iſraelitis, vt ponerent inſidias, & ſimularent ſe fugere: & iuxta hanc doctrinam eſt intelligendus textus in *l.* 1. *§. non fuit*, ibi: *Maximè ſi aduerſus hoſtem*, *ff. de dolo*. Ita *Barb. in c. vtilem* 22. *q.* 2. *n.* 11. Tertia eſt inſtructionis, & doctrinæ: ſicut Prædicatores fingunt parabolas, & Chriſtus *Lucæ vlt. Finxit ſe longius ire*, ad inſtruendum Diſcipulos, quod longè eſſet ab eorum cordibus. Simulatio ſtrictè, & propriè ſumpta ſemper eſt ad ſignificandum, quod

non

non eſt. *D. Thomas cit. qu. 111. art. 1. in corp.* hinc dicens, quod opponitur veritati. Et ab eodem S. Doctore ibidem deſcribitur, quod *ſit mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens*. Hinc differt ab Hypocriſi, ſicut genus à ſpecie: nam hypocriſis eſt ſimulatio non omnis, ſed illa, quæ ſimulat perſonam alterius, ſicut cum peccator ſimulat perſonam iuſti. *D. Thomas l. c. ar. 2.* Huic oppoſita etiam eſt ſimulatio vitioſa: non enim poteſt quis ſimulare ſe malum, etiam ſi ſe ſimulet per opera, quæ in ſe mala non ſunt, ſed habent in ſe quandam ſpeciem mali: adhuc enim ſimulatio mala eſt, tum ratione mendacii, tum ratione ſcandali. *D. Thom. cit. ar. 1. ad 3.*

3 Notandum eſt 2. ex *Suarez de legibus l. 9. c. 17. nu. 15.* & aliis, quod ſimulatio ſtricte dicta duplex eſt, formalis, & materialis. Formalis eſt facta cum intentione decipiendi, diciturque ſimulatio duplicitatis: fit enim ad decipiendum, ſignificando quod non eſt. Et hæc ratione mendacii nunquam licita eſt, ſemper, & in omni caſu peccatum contra naturæ legum. *D. Thomas cit. ar. 1. Sylu: vbi ſupra, Layman l. 4. tr. 3. c. 13.* & alii communiter. Ad exempla verò adducta à *D. Hieronymo* relato in *c. vtilem 22. qu. 2.* ſi volumus ſaluare à peccato ſimulationem Dauid, qua ſimulauit inſaniam dicere poſſumus cum *D. Thoma cit. qu. 111. ar. 1. ad 2.* quod commutatio faciei Dauid fuit fictio figuralis, ſicut *Gloſſa* expoſuit in titulo illius Pſalmi: *Benedicam Dominum in omni tempore*. Vel cum *Laymano l. c. nu. 9.* poſſumus admittere illam ſimulationem non caruiſſe mendacio, caruiſſe tamen culpa, ex ignorantia inuincibili; nam veritas iſta, quod mendacium nullo caſu licitum ſit, nondum eo tempore cognita erat; cum neque Auguſtini tempore communiter recepta fuerit. Simulationem vero Iehu Regis Iſrael interficientis Sacerdotes Baal ſimulando ſe Idola colere velle, vt habetur 2. *Reg.* 10. communis non excuſat a peccato, vel mendacio; quia malus fuit, vtpotè ab idolatria Jeroboam non recedens; commendatur tamen; & temporaliter remuneratur à Deo, non pro ſimulatione, ſed pro zelo, quo deſtruxit cultum Baal, inquit *S. Thomas l. c.* Simulatio verò materialis èſt, quæ fit ſine intentione decipiendi, ſed alio fine. Et hæc ſi reſpiciat obiectum, aut circumſtantiam vitioſam, apud omnes non poteſt excuſari à culpa; vt cum Catholicus ſimulat ſe Iudæum, aut Lutheranum, quamuis non ſimulatione formali, quia non ita ſe ſimulat ex intentione decipiendi, ſed ex alia diuerſa intentione. Hic pro Decreto eſt reſoluendum, dum ſimulatio hæc eſt in adminiſtratione Sacramentorum.

4 Notandum eſt 3. Quod ſicut aliquis verbo mentitur, quando ſignificat quod non eſt, non autem, quando tacet, quod eſt: quod aliquando licet: ita etiam ſimulatio eſt, quando aliquis per exteriora ſigna factorum, vel rerum ſignificat aliquid, quod non eſt; non autem ſi aliquis prætermittat ſignificare quod eſt, Vnde aliquis poteſt peccatum ſuum occultare

tare abſque ſimulatione. Ita *D. Thomas qu. 110. ar. 3. ad 2.* vbi ait: *Tametſi mentiri, aut ſimulare nullo caſu licitum ſit; tamen licet veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione.* Ratio eſt, quia ſimulatio mendacium eſt falſi: diſſimulatio autem eſt veri: ſed falsum ſcienter edicere per ſe eſt malum, quia repugnat naturali præcepto negatiuo, *ne mentiaris*, At quod verum eſt, interdum iuſtè, ac licitè celatur; quia non ſemper obligat præceptum affirmatiuum manifeſtandæ veritatis. Imo interdum eſt neceſſarium diſſimulare. Sic Religioſus, vel clericus tranſiens per terras hæreticorum licitè cælat ſtatum Religioſum, vel clericalem ſub ſtatu ſæculari mercatoris, vel militis, & Chriſtianus iter habens per terras Turcarum, vel aliorum hoſtium Chriſtiani nominis, licitè occultat ſe Chriſtianum, dummodo in verbis non mentiatur. Ita *Baſſæus V. mendacium in ſupplem. n. 4.* ſimiliter non eſt rea mendacij fæmina, dum bonis artibus, & medijs alias licitis, defectum virginitatis tegit, & tanquam virgo matrimonium contrahit; quia cum non intendat alterum decipere, ſed ius ſuum tueri, & ad illud tuendum vti poſſit mediis alias licitis, non dicitur mentiri; Si verò vxor probabiliter credat, defectum viro detegendum, eoque detecto peſſimè cum ea acturam, vel ipſam interfecturam, aut vitam plenam diſcordijs tranſiturum, grauiter peccaret, ſaltem contra charitatem, imò contra iuſtitiam, ſi vir graue damnum, ob defectum manifeſtatum non patiatur; aut ſi vir in contractu matrimonii, vel in ſponſalibus expreſſerit, ſe nolle cum ea contrahere, niſi virgo ſit; tunc enim dicitur virum decipere, illique iniuriam irrogare. Ita *Nau. in c. Inter verba concl. 1. coroll. 6. n. 60. Sotus in 4. d. 29. q. 2. ar. 3. Sanchez l. 6. de matr. d. 27. n. 8. Baſſæus V. Mendacium n. 6.* His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxtà Decretum.

5 Dico 1. Ob nullam cauſam, aut metum excuſari poteſt à peccato ſimulans ſimulatione formali, vel etiam materiali adminiſtrationem Sacramentorum. Ita communiter Theologi cum *D. Auguſtino lib. 10. homiliarum hom. 50. c. 3.* ibi: *Ex hoc ipſo certè, & grauiter, nullo dubitante peccamus, cum inter ipſa Sacramenta mentimur*, & *D. Thoma*, qui *quodlib. 5. ar. 12. in corp.* dixit: *In Sacramentis Eccleſiæ nihil eſſe per fictionem agendum.* Et contraria Propoſitio meritò vt minimum tanquam in praxi pernicioſa proſcribitur, quam prius Vniuerſitas Louanienſis die 4. Maii 1657. hac cenſura perſtrinxerat: *Irreligioſa eſt, & Sacramentis Chriſti iniurioſa.* Et *Caſtropalaus to. 1. tr. 2. d. 1. pu. 13. nu. 8.* audaciam, ac temeritatem redolere dixerat, Alii quoque plurimi ex antiquis, quos ſequitur *Vaſq. tom. 3. in*

3. p.

3.p.d.209.c.4. & *Gaſp.Hurtadus d.9.de Euchar.in fin.* monuerunt, in Sacramentis fictionem pernicioſam eſſe, & execrandam.

6 Probatur. Iſta ſimulatio ſine cauſa, & metu facta non eſt licita: ergo neque cum quacumque cauſa, & metu. Antecedens patet; quia adeſt mendacium, & irreligioſitas, ac iniuria Sacramentorum. Vnde *Sapien.1.* dicitur: *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*, ideſt, Spiritus Sanctus diſciplinæ auctor, & doctrinæ, effugiet hominem aliud efficientem, quam apparentem efficere, vt explicant *Gloſſa Interlinearis*, & *Lyranus* ibidem. Probatur conſequentia. Quia metus, aut alia cauſa quantumuis grauis, non tollit deformitatem prædictæ ſimulationis: Ergo neque poteſt eſſe iuſta cauſa illam exercendi; ſed eam ipſam malitiam ex obiecto retinebit facta ex metu, quam ſi fieret ſine vlla cauſa. Conſequentia ſatis liquet; quia dum perſeuerat deformitas, actio nequit exerceri abſque peccato. Antecedens autem ſic ſuadetur. Nam metus in primis non tollit malitiam propriam mendacii, cum fictio adhuc perſeueret, & contrarium eius, quod in mente habetur, tanquam verum, atque fide dignum, voce externa proferatur. Miniſter enim ſignificat, vt incutienti metum ſatisfaciat, ſe velle validè abſoluere, ac nomine Chriſti agere, & ſententiam abſolutionis proferre, accipiendo verba illius, vt Sacramentalia ſunt, & in eo ſenſu, quem habent ex diuina inſtitutione; & cum hoc ſignificare intendat planè nouit eſſe falſum, vtpotè intra ſe cognoſcens abſolutionem externam, ſublata voluntate abſoluendi eſſe figmentum inutile, & nullius auctoritatis. Rurſus neque metus tollit malitiam illam ſpecialem virtuti Religionis oppoſitam, quæ huic ſimulationi accreſcit ex eo, quod verſetur circa Sacramenta adminiſtranda. Illa namque in eo conſiſtit, dum abſque metu exercetur, quod miniſter ſuo mendacio, & rebus ſacris illudat, & ex defectu intentionis falſificet verba miniſterii ſacri; fingatque ſe Chriſti nomine tanquam cauſæ principalis exercere actionèm valdè ſacram, inſtitutamque ad Dei cultum, & fidelium ſanctitatem, cum re vera non exerceat illam, neque eam, quam Chriſtus inſtituit; ſed aliam valdè profanam, indignamque, vt ei tribuatur tanquam principali agenti, cum repugnet ipſi. E.g. falſo abſoluere, aut offerre ſacrificium falſum. Atqui totam hanc irreuerentiam metus non tollit, nec vlla quantumuis magna neceſſitas, ſed eadem perſeuerat, ſiue ille deſit, ſiue adſit; poſitiua enim irreuerentia erga Chriſtum, & res ſacras nullam excuſationem admittit, cum ſit intrinſecè turpis, ac deterior, quam ipſa ſimulatio: & non mala, quia prohibita ex motiuo Religionis, ſed prohibita, quia mala: Ergo, &c. Confirmatur paritate iuramenti ſine intentione iurandi prolati. Sicut enim ille; qui ſimulat ſe iurare, cum non habeat intentionem iurandi, quam vox externa ſignificat, verum iuramentum non præſtat, ſed ſolum apparens, & fictum: & nihilominus ex hac ipſa fictione contra virtutem Religionis delinquit, & turpitudinem contrahit, quam nulla cauſa iuſtificat,

cat. Sic in præſenti. Nec enim minus abſurdum eſt agere contra Sacramenti veritatem in eſſendo, quam contra iuramenti veritatem in iurando; ſed vtrobique Deo illuditur, abutendo ſignis ſacris contra eorum inſtitutionem: alibi fingendo ſe interponere nomen, & auctoritatem Dei ad ſua dicta confirmanda: alibi veró fingendo, ſe conferre, & miniſtrare nomine, & auctoritate Dei rem valdè ſacram, ſummique momenti, cum nil faciat, niſi propria auctoritate, & nil præſtet, niſi verba inania, & vacua, valore, fructuque.

7 Si dicas, Petrum ſimulaſſe veteris legis cęremonias adhuc neceſſarias eſſe, *c.2.ad Gal.* & Paulum Timothęum circumcidiſſe *Actor.16.* cum tamen circumciſio nihil faceret. Ad *Gal.5.* ſcribens: *Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Reſpondet optimè *S. Auguſt.l.1 de mendacio c.5.* aduerſus *Hieronymum in c.2.ad Gal. & epiſt.11.* Petrum Apoſtolum ſimulatione illa peccaſſe, ideoque à Paulo reprehenſum eſſe; quamuis à grauitate culpæ excuſari debeat Petrus; quia repentino aduentu Iudæorum perterritus, dum eorum ſcandalum cauere voluit, minus rem conſiderauit, quod ſubducendo ſe à Gentium conuictu, eorum cibos tanquam immundos aſpernari videretur, contra quam cælitus edoctus fuerat *Act.10.* At verò Paulus ſciens, ac docens *1.ad Corinth.7.* cęremonias veteris legis neque poſt Chriſti paſſionem neceſſarias; neque tamen ita ſublatas, vt à Iudæis retineri, & vſurpari non poſſent, donec ex Iudæis, & Gentibus vna Eccleſia conſtitueretur, circumcidit Timothęum, petentibus Iudæis, quia ex matre Iudæa natus erat, ne illorum cęremonias tanquam malas, & noxias damnare videretur. Ex Gentibus autem ad Fidem conuerſis ſcripſit *c.2.ad Gal.* ſi circumciſionem accipient, tanquam ſibi ad ſalutem neceſſariam (ſicut à quibuſdam Pſeudoapoſtolis perſuaſi erant) Chriſti Fidem ipſis nihil profuturam. Ex quibus omnibus nihil poteſt deduci contra hanc aſſertionem.

8 Dico 2. Hæc autem procedunt quoad proſcriptionem, ſiue ſimulatio ſit formalis, ſiue materialis; Ita communiter DD.

Probatur. Quia iſthæc Propoſitio damnatur, quia continet irreuerentiam reſpectu Sacramentorum, præter mendacium. Eandem autem irreuerentiam affert ſimulatio ſiue formalis, ſiue materialis; ſicut enim reuerentia externa exhibita Idolo, etiam cum ſimulatione materiali non excuſatur à peccato contra præceptum adorandi ſolum Deum; ita irreuerentia contra rem ſacram, etiam cum ſimulatione materiali non excuſatur à peccato irreuerentiæ. Præterea nomine ſimulationis in communi modo loquendi, non ſolum venit ſimulatio formalis, ſed etiam materialis: cuius manifeſtum ſignum eſt, quod Auctores, qui concedunt, vel negant, licitam eſſe ſimulationem in adminiſtratione Sacramentorum, non diſtinguunt inter ſimulationem formalem, & materialem; ſed indiſtinctè de omni ſimulatione loquuntur. Ergo Propoſitio damnata loquitur indi-

ſtin-

ſtinctè de vtraq; ſimulatione; atq; adeo damnatio vtramque afficit.

9 Ex his habes id, quid cenſendum ſit de illo Sacerdote, qui cum ſciat ſe eſſe conſtitutum in peccato mortali, & neceſſitate conſtrictus, miſſarum ſolemnia omittere non poteſt, miſſam celebrare ſe fingit, & ſuppreſſis verbis, quibus conficitur Corpus Chriſti, panem, & vinum tantummodò purè ſumit. In quo reſpondet *Innocentius III. c. 6. de homine 7. de celebr. Miſſ.* qualibet neceſſitate, & indignitate non obſtante, id minimè eſſe faciendum: *Sed falſa potius abijcienda remedia, quæ ſunt veris periculis grauiora. Nam licet ille, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum ad tale, tantumque miniſterium, peccet grauiter, ſi ſe ingerat irreuerenter ad illud; grauius tamen videtur offendere, qui ita fraudulenter præſumpſerit ſimulare. Cum ille in ſolius miſericordis Dei manus incidit: iſte verò non ſolum Deo, quem illudere non veretur, ſed etiam populo, quem decipit, ſe abſtringat. Lucenſis in Cautela Confeſſ. l. 2. c. 18. n. 7.* & alii communiter.

10 Habes 2. In caſu, quo hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, niſi conſecraret totum panem, qui eſſet expoſitus venditioni in platea Ciuitatis, licitum non eſt ei Sacerdoti proferre verba conſecrationis, ſine intentione conſecrandi, & oppoſita opinio *Sancij* ſupra ſubiacet proſcriptioni huius Propoſitionis, Ita *Io. de Cardenas ſupra c. 4. nu. 37. Corella hìc nu. 117.* aliique. Patet ex dictis. Et quidem error *Sancij* ſpecialiter oſtenditur in hoc caſu confeſſionis Euchariſtiæ, cuius verba proferuntur in perſona Chriſti à Sacerdote; non verò in perſona ſua dicendo enim: *Hoc eſt Corpus meum*, non ſignificat id eſſe ſuum corpus Chriſti. Quo fit, vt prædicta ſimulatio in Chriſtum ipſum redundet, qui per Sacerdotem loquitur, illumque ſimulatorem, atque deceptorem faciat, ſicut contingeret caſu, quo Angelus, qui Moyſi, aut aliis Patriarchis veteris teſtamenti loquebatur in perſona Dei, quidquam fallaciter, aut ſimulatoriè diceret. Si dicas. Ex duobus malis, ſcilicet, ſi verè conſecraret, perirent multæ particulæ conſecratæ: ſi autem non conſecraret, exponeretur adorationi creatura, quorum primum exiſtimatur maius, debet eligere ſecundum, quod eſt minus. Reſp. Hoc licere, quando minus includitur in maiori, tanquam pars in toto: non autem quando ſunt duo mala diſparata: neutrum enim ex his debet Sacerdos admittere; ſed potius mortem ſubſtinere, etiamſi hoc ei non præcipiatur in contemptum Fidei: nam mors non ſolum pro Fide eſt ſubſtinenda; ſed etiam pro quocumque malo non faciendo; ſicut potius mortem ſubire, quam contra caſtitatem agere, vel aliud malum, quod eſt intrinſecè tale facere; vt docet *S. Auguſt. lib. de mendacio*. Ita *Piſanus hìc n. 7. Lucenſis ſupra nu. 9.* qui *nu. 8.* idem ait, etiam ſi ad euitandam mortem recitaret Orationem Dominicam coram illo hæretico ignaro verburum conſecrationis; at rectius *Io. de Carden. cit. c. 4. n. 44.* putat, quod iſte Sacerdos non peccet; quia licet verum ſit, illicitam eſſe ſimulationem etiā materialem in adminiſtratione Sacramentorum: at in ea hypotheſi non

Digitized by Google

datur ſimulatio circa adminiſtrationem Sacramentorum ; quia recitare Orationem Dominicam omninò indifferenter ſe habeat ad adminiſtrationem, & confectionem Sacramenti: eſt enim latiſſimum diſcrimen inter hoc, quod eſt dicere verba conſecrationis abſque intentione conſecrandi, & recitare Orationem Dominicam: nam verba conſecrationis inſtituta ſunt à Chriſto Domino ad conſecrandam Euchariſtiam : non ſic Oratio Dominica.

11 Habes 3. Miniſtro non habenti Euchariſtiam repoſitam in Sacrario non licere, ad vitandum ſcandulum, fugiendamque pœnam, & palliandam ſuam incuriam dare hoſtiam non conſecratam, communionem poſtulanti, etiam exiſtenti in extremis per modum viatici. Ita Theologi communiter cum *Suarez to.3.in 3.p.d.67.ſect.4.* cui ſententiam oppoſitam *Altiſiodorenſis l.4.tr.4.c.5. qu.5.* vocat improbabilem, & intolerabilem. Vanus namque eſt ille prætextus, vt in re tanti momenti liceat fideles decipere, & facere, vt infirmus deferat pani communi eum honorem, qui ſoli Chriſto debetur, & in eo, quod ibi latet, ſuam ſpem collocet, illudque diligat ſuper omnia ea: nam Deum, à quo gratiam, atque redemptionem requirit. Et à fortiori non licet miniſtro porrigere hoſtiam non conſecratam excommunicato, aut peccatori occulto, ad euitandam eius infamiam, & periculum ipſi miniſtro imminens, niſi communicet; vt omnes ferè Doctores docent, & mihi cum *Suarez* ſupra videtur res certa; quia nec vitatur ſacrilegiū ſuſcipientis, qui ſe videt indiſpoſitū, & nihilominus audet accedere ad menſā Chriſti, putans eſſe menſā eius; & ipſius corpus ſe manducaturum. Aliundè verò hic pariter concurrit graue aliud flagitium miniſtri ſimulantis eſſe Deū, quod non eſt, niſi profanus cibus, proponentiſq; creaturā adorandā exterius cultu diuino. Quod ſi id fiat ex conuentione ſuſcipientis, ac miniſtri. Quamuis licere ſentiant *B. Albertus in 4.d.13.ar.20.qu.1. D. Bonau.in 4.d.9.ar.2.qu.4.ad vlt. Adrianus, Iacullus, Angles, Ludouicus de S. Ioanne, & Villalobus,* moti: quia tunc & vitatur ſacrilegium indignè communicandi, & exterior idolatria adſtantium, ac ignorantium fictio declinari poteſt, oſtendendo adoraturis alteram hoſtiam verè conſecratam, vel ſolum ſi fieri poteſt, vel ſimul cum non conſecrata à tergo ipſius. Nihilominus dicendum eſt, nec in iſto caſu id eſſe licitum, ſed ſemper graue peccatum ſacrilegii. Ita *D. Thomas 3.p.qu.80.ar.6.ad 2.& quodl.5.ar.12. Alenſis, Palud. Durandus, Richardus, Maior. & Sotus*, quos refert, & ſequitur *Suarez l.c.* & cum *Vaſquez, Henriquez, Valen. Reginaldo, Card. de Lugo*; & *Franciſco de Lugo, Dicaſtillo, Caſtropalao, Granado, & Gaſp. Hurtado, Leander à Sacram. to.2. de Sacram d.7.q.60.* dicens hanc ſententiam ſibi eſſe certiſſimam: eſtque hoc abſolutè certum, itaut oppoſitum nōn probabile, ſed prorſus improbabile ſit, vt ait *Lucenſis ſupra nu.5.* imò *Ioan. de Cardenas ſupra c.3.nu.17.* putat ſubire damnationem huius Propoſitionis; quia damnat Pontifex Propoſitionem aſſerentem, licere ſimulationem in adminiſ-

miniſtratione Sacramentorum, etiam ex cauſa metus vrgentis: atqui ea ficta communio eſt ſimulatio in adminiſtratione Euchariſtiæ; quia fingitur eſſe Euchariſtia ea, quæ non eſt talis. Equidem vel verbis, vel geſtu, vel facto ipſo affirmat Sacerdos, eſſe Chriſtum, ac verum Deum, quod re vera non eſt;& non poteſt euitari moraliter loquendo, exterior idolatria, reſpectu quidem ipſius hominis, qui communicat, quia (vt rectè *Suarez*) ipſamet ſumptio tali modo facta, eſt actus religionis, & cultus: reſpectu verò aliorum, qui etiam ſi oculis non videant, adorant id, quod alteri datur ad communicandum. Hocque etiam colligitur ex *Innoc. III. in cit. c. de Homine*, vbi ad hoc propoſitum dixit: *Falſa ſunt abijcienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.*

12 Aliud verò aſſerendum eſt de Sacerdote, qui fingit ſe præbere hoſtiam conſecratam peccatori occulto,& nullam præbet, vt infamiam eius, & ſacrilegam communionem deuitet; hic enim excuſatur à peccato, poſita cauſa ſufficienti id faciendi; quia in primis deficit idolatria, ſiue ficta, ſiue vera; cum nihil adorandum proponatur peccatori, aut aliis, niſi verum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti: deficit etiam pernicioſa fictio; nam non fingitur perfectio ſacrificii, aut confectio Sacramenti; ſed dumtaxat vſus, & receptio illius, neque adſtantes decipiuntur circa quidqua m aliud; ſed totus eorum error in eo conſiſtit, quod ſupponant, aut præſumant, eum vere communicaſſe, eo quod non videant hoſtiam ori eius admotam continuò fuiſſe ſubtractam, nec hic interuenit ſimulatio adminiſtrationis Sacramenti, ſed tantum diſſimulatio veri, quę ſola ad hoc factum ſufficit. Ita *Henriq. l. 8. c. 33. n. 4. Diana p. 4. tr. 4. reſ. 47. in fin. Leand. à Sacr. ſup. d. 7. q 61. Eſcob. l. 20. Theol. mor. n. 237. Franc. de Lugo l. 1. de Sacr. c. 6. n. 66. Raynaudus to. 16. in Heteroclitis ſpiritualibus ſect. 1. pag. 4.* cuius ſẽtentiam refert, putatq; probabilem *Gonzal. in cit. c. de homine*: nec diſplicet *Anello Perſico l. 3. de off. Sacerd. c. 6. n. 113.* vbi addit, doctum quendam, & prudentem Sacerdotem, hoc medio in praxi vſum fuiſſe. Et idem de ſe teſtatur *Eſcob. in ſum. tr. 7. exam. 6. n 41.* Eſt contra *Piſanum hic n 8. in fin.*

13 Habes 4. In caſu mulieris, quæ non debet abſolui, quia eſt indiſpoſita; ſed tamen ſi non abſoluatur, infamia ei oritur, propter adſtantes, imò & periculum, ſi maritus ſit præſens, quinimò & ex eius receſſu ſine abſolutione ſigillum confeſſionis aperitur. In hoc inquam non licere Sacerdoti proferre abſolutionis verba ſine intentione abſoluendi, vt rectè docent *Piſanus hic n. 5. Io de Cardenas ſup. c. 5. n. 49.* & alii communiter, contra *Hozes hic n. 11.* Ratio eſt; quia & hic interuenit mendacium, dum affirmat miniſter ſe abſoluere, cum re vera non abſoluat; & non minor irreuerentia Sacramenti, quam ſi ſupprimerentur verba conſecrationis in caſu quo teneatur ea proferre, in quo illuditur Deo ex declaratione *Innoc. III. in cit. c. de homine.* Vnde oppoſitum in iſto caſu ſubiacet damnationi huius Propoſitionis, vt benè notat *Io. de Cardenas n. 51.* & alii; nam dam-

Iii 2 natio

natio iſta afficit quamcumque ſimulationem Sacramenti, quæ verè, & propriè eſt ſimulatio eius; vt eſt hic. Cæterum Confeſſarius, qui in conſpectu plurium circumſtantium videt, mulierem illam indignam eſſe abſolutione, ob defectum diſpoſitionis, ne pradat indignitatem illius, violando ſigillum, debet, quaſi obmurmurando recitare aliquam breuem orationem, aut quid ſimile, non quidem intendendo deceptionem circumſtantium, ſed permittendo illam. Ratio eſt; quia ex vna parte habet ſtrictiſſimam obligationem iuris diuini, non prodendi indignitatem pœnitentis cognitam in confeſſione: ex alia verò parte hæc non eſt propriè, & in rigore ſimulatio Sacramenti; ſed omninò materialiter ſe habet ad Sacramentum, & partes eſſentiales illius: vt docent *D. Thomas in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. & 2. Suarez*, & alii communiter. Vnde hæc ſententia non ſubiacet damnationi huius Propoſitionis, vt benè notant *Piſanus ſupra, Io. de Cardenas n. 55. Felix à Panormo to. 2. d. 4. n. 931. Corella hic d 119. Filguera fol. 145. §. neque, Torrecilla ſub n. 29. Lucenſis n. 12. Hozes*, & alii. Et cum *Io. de Cardenas n. 53. Felix à Panormo* ſupra addit, idem eſſe, ſi Sacerdos dicat: Ego te abſoluo à cenſuris, in quantum poſſum, & tu indiges, ita vt vox *à cenſuris* dicatur ſubmiſsè taliter, quod non intelligatur diſtinctè à circumſtantibus, quia tunc abſolutio non eſt ſacramentalis. Et inſuper vult idem *Cardenas*, quod poſſet Sacerdos etiam dicere: Ego neutiquam te abſoluo: ita vt id verbum *neutiquam* dicatur ſubmiſſa voce, ne intelligatur à circumſtantibus.]

14 Habes 5. In peccatore nolente deſerere peccata, qui tamen minatur mortem Confeſſario, niſi abſoluat, nec licitum eſt ſimulare abſolutionem dicendo formam abſolutionis Sacramentalis, quamuis dicatur ſine intentione abſoluendi à peccatis. Ita *Io. de Cardenas n. 61. Corella n. 117. Felix à Panormo ſupra, Piſanus*, & alii communiter, qui hunc caſum dicunt ſubiici proſcriptioni huius Propoſitionis; quia hæc eſt ſimulatio immediatè verſans circa partem eſſentialem Sacramenti: quæ quia eſt contra reuerentiam Sacramenti, continetque mendacium, nullo metu iuſtificari poteſt. Vnde non eſt audiendus *Dominicus Antonius de Leone in Synon. mor. Parochi p. 1. ſynon. 2. n. 54. & ſeqq.* contrarium docens, & malè Decretum hoc explicans. Addit *Cardenas n. 62.* licitum eſſe in eo caſu ſimulare abſolutionem per alia verba diſtincta à forma abſolutionis Sacramentalis, eo modo, quo ſupra: neque hoc eſſe contra damnationem huius Propoſitionis; quia non eſt propria ſimulatio adminiſtrationis Sacramenti: & ſicuti licita eſt ad declinandum peccatum violationis ſigilli, ita etiam ad vitandam mortem violentam. Quod ſi pœnitens minaretur mortem Confeſſario, niſi expreſsè, & diſtinctè dicat verba abſolutionis Sacramentalis *Cardenas, & Felix à Panormo* putant, quod poteſt dicere expreſsè, & diſtinctè illa verba: Ego te abſoluo, non vt verba eſſentialia abſolutioni Sacramentali, ſed cum intentione abſoluendi à cenſuris, & pronunciando

ſub-

Digitized by Google

ſubmiſſa voce *à cenſuris*: quo pacto non eſt forma Sacramentalis. Quod non approbat *Lucenſis n.14.* Ideſt certius, quod docet *n.16.* nimirum non poſſe Confeſſarium, ad non ſimulandam abſolutionem exiſtentis in occaſione proxima, ſi metu mortis adigatur, apponere conditionem, *te abſoluo*, ſi occaſionem dimiſeris: nam non valet abſolutio conditionata: ſeu quæ datur cum conditione de futuro.

15 Habes vltimò: Illicitè etiàm fieri ſimulationem circa matrimoniū ex graui metu ineundum, quia nullibi reperitur, contrahentibus matrimonium eſſe omninò licitum ſimulare intentionem, quam non habent; aut proferre abſolute verba illa: *Accipio te in meam vxorem*, eo ſenſu, quo proferuntur ab illis, qui verè contrahunt, & Sacramentum conficiunt, abſque intentione faciendi, quod ſignificant ſe facere; iſta enim ſimulatio continet mendacium, quod fit, ſiue verbis, ſiue factis, ſiue ſilentio ſolo; nam ſilentium quoque interdum vim habet ſignificandi ex circumſtantiis adiunctis. Ita expreſsè *S. Thomas in 4.d.29. qu.1.ar.3. quodl 1. in corp.* & certum vocant *Sanch.l.4.de matr.d.16.n.1.* & *Corneius in 3.p. tr.6. d.7. dub. 25.nu.3.* extra controuerſiam verò, communemque ſententiam Doctorum *Baſilius Pontius l.4.de matr.c.16.n.1.* Sic poſt hoc Decretum *Torrecilla hìc à n.7.* & *Corella n.118.* qui aſſerunt, quod ſi filiæ metum incutit ſuus pater, aut alius mortis, aut alterius grauis damni, ſi non nubit, non eſt licitum coram Parocho, & teſtibus contrahere exterius matrimonium ſine conſenſu interiori; quia hoc eſſet fingere adminiſtrationem Sacramenti matrimonii. Idem docet *Sporer p.4.c.1.ſect.1. n.21.* qui tamen dicit, quod re ipſa non conſenſiens peccat ſolo veniali mendacii peccato, non ſacrilegii, quaſi annullans Sacramentum; quia nihil ponit, cui ex inſtitutione Chriſti annexa ſit ratio Sacramenti. Verum poſſet ipſa fœmina, ob metum grauem contrahere cum conſenſu legitimo, quantum eſt ex parte ſua; vt docent *D. Thomas*, & alii relati, quamuis ſciat alias tale matrimonium eſſe nullum, ob impedimentum dirimens metus, ſine tamen intentione conſummandi, ſed exercendi actus conceſſus legitimis coniugibus; tunc enim peccaret mortaliter; vt *Sporer n.23.* cum communi. Hic autem conſenſus non dicitur abſolutus, ſed modalis, quo ſcilicet metum patiens decernit contrahere, in quantum poteſt, & ex parte ſua nullum interponere impedimentum ſpeciale. Quæ modificatio omnia inconuenientia remouet, quæ ex virtute Religionis abſoluto conſenſui opponuntur, & veracitati ſatisfacit.

16 Porrò ille, qui in carcere detinetur, vt contrahat cum Berta, cum qua nequit contrahere ex impedimento dirimente occulto, non poteſt contrahere nulliter, intendendo ſimulare matrimonium, vt contractus eſt, & non vt Sacramentum. *Lucenſis ſupra n.17.*

17 Pro coronide adnecto. Quod quamuis non damnetur expreſsè, & formaliter ſimulatio ſuſceptionis Sacramenti, reprobatur tamen virtualiter

ter; quatenus ex damnatione ſimulationis circa adminiſtrationem Sacramenti infertur reprobatio ſimulationis circa ſuſceptionem Sacramenti; nam damnatio hæc fundatur in eo, quod ſimulare adminiſtrationem Sacramenti ſit irreuerentia contra Sacramentum: Similis autem eſt irreuerentia ſimulare ſuſceptionem Sacramenti, vt patet; ſic enim irrogaret iniuriam Sacramento, qui fingeret ſe accipere Baptiſmum; ſicut miniſter, qui fingeret ſe baptizare; & ſicut irreuerentiam committeret in Euchariſtiam, qui fingeret ſe eam miniſtrare, ita etiam, qui fingeret ſe Euchariſtiam recipere. Quod euenit etiam quoad Sacramentum Pœnitentiæ in eo, qui accedit cum intentione, vt circumſtantes decipiantur, putantes illum confiteri Sacramentaliter; hic enim Reus eſt mendacii; non enim refert, vtrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, vt inquit *D. Thomas*. Et irrogat iniuriam Sacramento, vt miniſter. Et ſi fiat ſimulatio ad ſolicitandum Confeſſarium ad venerea, non ſolum eſt peccatum mortale ſollicitationis, ſed etiam ſimulationis Sacramenti. Verum ſi accedat ad Confeſſarium ad tractandum negotium pium, vel indifferens, etiamſi accedat genibus flexis eo modo, quo pœnitentes accedere ſolent, ſine intentione tamen decipiendi circumſtantes, non peccat, neque ſubit damnationem huius Decreti. Nam eo ipſo, quod ſit valde vſitatum, quod fœminæ ſic accedant ad Confeſſarium, vel cauſa petendi eleemoſynam, vel poſcendi interceſſionem pro aliquo negotio, vel conſulendi ſcrupulum; colligitur, eam actionem non eſſe ſignum externum determinatum ſignificans confeſſionem, ſed potius ſignificans vnum e duobus, vel confeſſionem, vel tractationem negotii: Ergo cum in tali caſu illa fœmina præſtet actionem, quæ neque ex ſe, neque ex intentione illius ſignificat determinatè confeſſionem, non eſt ſimulatio confeſſionis Sacramentalis. Ita *Io. de Cardenas cit. diſſer.* 20. *c.* 6. *n.* 65. *& ſeqq.* aliique.

PROPOSITIO XXX.

Fas es viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

1 PRimam partem huius Propoſitionis ante Decretum propugnarunt *Layman l.* 3. *tr.* 3 *par.* 3. *c.* 3, *verſ. Idque ſentiendum, Gaſp. Hurtadus de iuſt. & iure d.* 11. *Io. de Eſcobar, Henricus Strouerſdorf, Baldellus*, & cum alis; *Leander à Sacr. to.* 5. *de irregulari tr.* 2. *d.* 12. *q.* 30.

2 Si-

2 Similiter circa ſecundam partem, aliqui ante hoc Decretum putarunt, licitum eſſe poſt impactam alapam, vel fuſtem, ad honorem recuperandum incontinenti inuaſorem repercutere, fugientem inſequi, vel etiam occidere. Ita *Nau. in man. c. 15. n. 4. Gaſp. Hurtad. cit. d. 11. Carafa de duello tr. 14. ſect. 5. quæſ. 2. nu. 10. Leand. à Sacram. ſup. d. 14. qu. 4. Iſon, Corduba, Pegna, Clarus, Caiet.* & alii, quos refert, & ſequitur *Henriquez de irregul. c. 10*, & cum *Fernandez*, & aliis, *Diana p. 2. tr. 15. & p. 4. tr. 4. reſ. 11.* & licet poſtea huic ſententiæ cum *Leſſio* tantum probabilitatem ſpeculatiuam aſſignet; tamen poſtea *p. 9. tr. 4. reſ. 25.* cum *Serra* iudicat probabilem in praxi; vnde ſi Clericum fugientem inſequitur, & percutit, probabiliter cenſet excuſari ab excommunicatione.

PROPOSITIO XXXI.

Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

3 HAnc attribuunt *Lumbier, Filguera, & Hozes hic, Molinæ to. 4. de iuſt. d. 16. n. 7.* At perperam; quia *Molina* loquitur de furto cum rapina. Propoſitio verò loquitur de furto etiam ſine rapina. Poteſt verò attribui *Verde Inſtit. ciuil. l. 1. tit. 2.* vbi ait ex *Molina* (vt ipſe cenſet) poſſe defendi rem valoris vnius aurei, vel minoris, ſi fur nolit recedere, niſi occidatur; quia tunc fur grauem domino facit iniuriam, eumque contemnit. Vbi in margine inquit, Rem parui valoris poſſe defendi.

PROPOSITIO XXXII.

Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus; ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus; & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

PROPOSITIO XXXIII.

Licitum eſt tam hæredi, quam legatario, contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

4 VTraque hæc tribuitur *Franciſco Amico in edit. Duacenſi anni 1642. to. 5. curſus Theol. d. 36. de iuſt. & iure n. 131. & 132.* Verum in prio-

priori deeſt adiectiuum illud *occiſiua*, & in poſteriori, aduerbium *taliter*; quo ad defenſionem occiſiuam refertur. Cæterum, quia interdum euenit, vt aiebat *Tertullianus in Apologet.c.* 10. vt qui non vident ea, quæ ſunt, videant ea, quæ non ſunt, ne cui eſſet offendiculo, in edit. Antuerpienſi anni 1650. expunſit vtrumque illum numerum.

SVMMARIVM.

§. I.

5 *Quibus modis poteſt quis inuadi in Iudicio, & extra?*

6 *Numquam licet dare mortem amenti, infanti, ebrio, qui contra te calumnias proferrent.*

7 *Pro tuendis bonis temporalibus ad conſeruationem vitæ valdè neceſſarijs: imò & pro quibus vis bonis temporalibus magni momenti licetne furem, raptorem, ſeù inuaſorem iniquum occidere? Et quæ eſt differentia furis nocturni à diurno? Ad quæ bona ſe extendit, & num contra fugientem cum bonis furantis?*

8 *Si vir honoratus in aliquo caſu aliter ignominiam, vel contumeliam repellere, honoremquè ſibi auferendum aliter tueri non poſſit, niſi occidendo aggreſſorem contumelioſum, licet ne? Et caſus afferuntur. Et quid de defenſione honoris proximi?*

9 *Num liceat occidere pro defenſione pudicitiæ, ac integritatis virginalis propria, vel proximi?*

10 *Num pro defenſione bonorum temporalium, honoris, vel pudicitiæ (ſecluſo periculo conſenſus) teneris occidere iniuſtum inuaſorem? Et è contra quid requiritur, vt inuaſus in his licitè repellere poſſit inuaſorem?*

11. *An, & qui teneantur occidere inuaſorem pro defenſione vitæ, bonorum, vel pudicitiæ proximi?*

12 *Explicatur quid contineant Propoſitio 31. & 33. Et quid dicendum de impediente alterum à conſecutione bonorum, ad quæ habet ſpem, vel etiam ius incboatum, quoad peccatum, & reſtitutionem.*

§. II.

13 *Nefas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, vt in priori parte huius Propoſitionis 30. quæ meritò vt minimum tanquam ſcandaloſa abigitur.*

14 *Oſtenditur tamen ex parte, qua comprehendit calumniam in Iudicio, quam extra.*

15 *Quomodo vim vi repellere licet, propulſanti iniuriam verbalem?*

16 *Opinio docens, licere, honorem inuaſum, non verbis, ſed facti's fuſte, baculo, &c. defendi defenſione occiſiua, cum moderamine inculpato num hanc damnationem effugiat?*

17 *Opinio docens, quod vir honoratus poſſit occidere inuaſorē honoris poſt factū nempe poſt impactam alapā, vel ictum fuſtis fugientem, cur proſcripta ſit?*

18 *Quid*

18 *Quid de opinione aſſerentium, licitum eſſe occiſionem eius, qui continuat ictus cum arundine, vel repetit alapas, aut in eodem loco perſiſtit, defenſurus, quod perpetrarat?*
19 *Meritò damnatum eſſe, aſſerere, regulariter licere occidere furem, pro conſeruatione vnius aurei, ſuadetur. Quid pro conſeruatione duorum, aut trium aureorum?*
20 *Explicatur, quantus debeat eſſe valor rei, pro cuius conſeruatione poſſit quis vti defenſione occiſiua.*
21 *Quid de opinione* Molinæ, *de furto aurei, vel minoris, reſiſtente Domino?*
22 *Propoſitionum 32. & 33. permittentes defenſionem occiſiuam obijcientis impedimentum iniuſtum, ad conſecutionem hæreditatis, legati, &c. ad quæ ſpes, vel etiam ius incoatum ſupponitur, meritò vt in praxi perniciosas damnari, oſtenditur, nec raro, per accidens contrarium eſſe licitum.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

5 PRænotandum eſt 1. Quod quis inuaditur dictis, vel factis. Facta autem alia tendunt ad occiſionem inuaſi, alia ad ſolam mutilationem, ac ad ſolam læſionem in honore; vt contingit percutiendo aliqua fuſte, vel pugno, &c. Dictis, ſeu ſignis, ac nutibus inuaſio contingit, quando in aliquem contumeliæ, vel detractiones dicuntur; aut per ſigna afficitur aliquis contumelia. Verbis contumelioſis detrahit quis alicui, ipſo non audiente, vel abſente: detractiuis verò, in præſentia; ita enim Theologi diſtinguunt detractionem à contumelia. Vterque inuaſionis modus poteſt adhiberi in Iudicio, vel extra, in actu congreſſus iuſti, vel iniuſti.

6 Notandum eſt 2. Conuenire Doctores, nunquam licitum fore dare mortem amenti, ebrio, ac infanti, qui contra ſe calumnias proferrent. Siquidem attenta ipſorum qualitate verè iniuriam non irrogant, nec ex eius verbis eius ignominia aliqua infertur; & ipſorum verba contumelioſa formaliter non ſunt; vnde ipſorum occiſio nequit cohoneſtari ex motiuo aliquo proprium honorum defendendi, iniuriam repellendo; cum nulla adſit formalis iniuria, tanquam ſi Pſitacus ea verba proferret. Ita cum *Bojardo, Malderus in 2.2.tr.3.c.1.dub.12.* aliique.

7 Notandum eſt 3. Certum eſſe apud omnes, pro tuendis bonis temporalibus, ad conſeruationem vitæ valdè neceſſarijs, ſine quibus ſcilicet vita corporalis commodè conſeruari non poteſt, licere furem, vel raptorem, ſeu inuaſorem iniquum occidere, ſi aliter ſeruari, vel recuperari non poſſint; ius enim defendendi vitam ſuam extendi debet ad ea tuenda,

da, ſine quibus vita commodè ſeruari non poteſt; vt ſi auferrentur nobili bona ſua, ſine quibus cogeretur mendicare, vel ignominioſè viuere, aut ſeruire; indigenti in neceſſitate victualia, aut veſtes rigore ſæuiente: aut mili eunti per hoſtes; vel peregrinanti per latrones, & *c. arma ſua, &c.* Imò etiam pro quibuſuis bonis temporalibus magni momenti, ſi aliter ſeruari, vel recuperari poſſit; ſeu non ſit probabilis ſpes aliter illa recuperandi, licitum eſſe occidere iniuſtum inuaſorem, raptorem, furem, communiter docent cum *Sylu. Soto, Nau. Molina, Leſſio, & Laymano, Sporer tr. 5. in 5. præd cal. c. 2. ſect. 3. nu. 55. Tambur. l. 6. Decal. c. 1. §. 2. nu 1. Heinlein in caſibus pro Curatis caſu 97. qu. 2. Diana, Tbanerus*, aliique, addentes, id non tantùm in laicis ſæcularibus, ſed etiam in Clericis, & Religioſis locum habere. Quod oſtendunt ius naturæ, quo licet vim vi repellere, quantum opus eſt ad ſe, ſuaque tuenda; & conſuetudo bellandi Orbis iure gentium inducta, ac permittit Jus Canonicum *c. dilecto, & c. 3. de homicidio*, & Jus Ciuile; quia aliàs daretur occaſio bonos, & innocentes ſpoliandi, *l. ſi furtum, ff. ad leg. Corn. de ſicar. & l. 4. ff. ad l. Aquiliam*. Nec contradicit charitas, quæ minimè obligat, quando alius ſe ſpontè per malitiam in ſtatum perdendi vitam ponit, quem ſemper deſerere poteſt, ac debet. Quod autem iura dicant, *l. 4. ff. ad leg. Aquiliam*, & alibi, furem nocturnum quidem impunè interfici; non autem diurnum, niſi forte ſe defendat ex *c. 22. Exodi*: hoc intereſt diſcrimen, quod fur diurnus, ſi inermis ſit, plerumque ſine læſione vel abigi, vel capi, vel res allatæ recuperari poſſint: alioquin & ipſum occidere fas erit, ſi alias repelli, vel res ab eo ſeruari, vel recuperari non poſſint, vt eadem iura permittunt. In fure nocturno autem plerumque diſcerni non poteſt, vtrum occidendi, an ſolum furandi animo acceſſerit; ideoque periculi auertendi gratia, ſi homines clamore acciri nequeat, impunè occiditur, ſecundum leges: alioquin neque furem nocturnum, quantumuis armatum occidere licet, ſi alias repelli, vel capi, vel periculum auerti poſſit; vt explicant *P. Nauarra l. 2. de reſtit. c. 3. nu. 404. Layman, Heilein*, & alii. Hæc autem defenſio bonorum ſe extendit primo ad bona proximi, qui ſit conſanguineus, affinis, amicus, vel etiam extraneus præſens, vel abſens; ſi fit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita docent ex *D. Antonino, Trullencb in Decal. l. 5. c. 4. dub. 6. nu. 1.* & ex *Molina, Diana p 5. tr. 4. reſ. 20. Leander à Sacram.* & alii. Secundò fit extenſio ex parte actus defenſionis; nam non ſolum actualem violentum aggreſſorem, vel raptorem bonorum ſi ſit res ſuas, vel proximi liberare conanti vi, vel armis reſiſtat, occidere licet; ſed etiam iam fugientem cum rebus tuis, pecuniis, equo, & *c. inſequi*, iaculando, explodendo impetere, ac occidere potes, ſi ſpes nulla ſuperſit alia via ablata recuperandi; idque maximè (quod certè charitas ſuadet) ſi clamando eum præmonuiſti, quod niſi rem dimittat, ſclopum V. g. in ipſum explodas. *Leſſius l. 2. c. 9. dub. 12. Sanchez l. 2. de matr. d. 22. nu. 17. Tambur. ſupra, Laym. Sporer, Heinlein*, & alii

alii; & ſuadetur ex dictis. Id tamen ſolum durante actuali fuga, quan diu ſcilicet res cenſetur adhuc moraliter auferri, non dum ablata penitus: tandiu enim cenſetur moraliter durare actualis aggreſſio: non autem poſtea ex interuallo, poſtquam fur rem tuam domi ſuæ pacificè habet: tunc enim non poteris amplius occidere; quia eſſet mera vindicta, non defenſio; cum alia via res tuas recuperare poſſis,& debeas. Quod ſi tamen ſpes nulla ſit per viam iuſtitiæ ablata recuperandi, aut non niſi cum magna difficultate, vel periculo, adhuc poteris inuadere locum, vbi res tua in indiuiduo repoſita eſt, eamque tibi vendicare, & ſi raptor reſiſtat, vim vi repellere, quantum opus eſt, vſque ad occiſionem; quia tunc raptor iniuſtè reſiſtit, & moraliter æquiualenter adhuc te aggreditur, tibique in re violenter retenta vim iniuſtam infert, quam vi repellere fas erit, *Nau. Molina*, *Leſſius*, *Vaſquez*, & alii cum *Diana p.8.tr.7.reſ.47.Sporer*, *Heinlein*, aliique.

8 Notandum eſt 4. Etiam ad honorem neceſſarium tuendum viro honorato licere occidere iniuſtum, ac contumelioſum aggreſſorem; vt docent ferè omnes Doctores. Et ſine dubio veriſſimum eſt in hac ſuppoſitione, quod vir honoratus in aliquo caſu aliter ignominiam, vel contumeliam repellere, honoremque ſibi auferendum aliter tueri non poſſit, niſi occidendo aggreſſorem contumelioſum. Quod ſi enim ob defenſionem bonorum temporalium magni momenti inuaſorem occidere fas erit, ſi neceſſe ſit ad defendendum honorem, ſeu auertendam contumeliam; cum bonum honoris, ac famæ plus valeat, quam bonum fortunæ;& iniuria perſonæ grauior ſit, quam iniuria in bonis fortunæ. Hinc primò, ſi quis viro honorato alapam, fuſtem, vel ſcutulum intentet, aut ſimili facto atrocem iniuriam irrogare attentet, iſque ignominiam aliter auertere nequeat, poteſt occidere. Ita *Leſſius l.2.c.9.dub.12.nu.77. Sot. l.4.qu.1.art.8. Tolet.l.5.c.6.§.ſecundus caſus ad finem capitis, Sayrus l.7 clauis c.10.num.27. Trullench ſupra c.4.dub.5.num.2.* vbi alios citat, *Caroſa de duello tr.5 ſect.5. quæſ.1.* Secundò, *Tamburinus tr.de irregul.c.15.§.15.nu.6.* à peccato, & irregularitate liberat eum Sacerdotem, qui occidit hominem, a quo arrepta barba trahebatur, & illum à ſe aliter extrahere non potuit, niſi occidendo: eo quod grauiſſima eſſet iniuria contra perſonam, & honorem Sacerdotis. Tertiò, ſi ſit homo ingenuus, cui dedecore ſit fugere, quando alius eum aggreditur, tunc eſto fugiendo vitam propriam, & aggreſſoris poſſit conſeruare, non tenetur fugere, ſed defendendo propriam perſonam, & honorem interficere poteſt iniuſtum aggreſſorem, quando aliter non poteſt ſimul vtrumque conſeruare. Ita *Diana p.5.tr.4. reſ.9.* aliique communiter addentes, quod ſi perſonæ non ſit dedecori fugere, vt quia eſt perſona Eccleſiaſtica, aut Religioſa, cui dedecus eſt arma ſumere, tenetur fugiendo conſeruare vitam propriam, & proximi, de quo vide, quæ ſcripſi in *Lapide Lydio Theol. comm.ad Propoſ.17. num.11.* Dicta procedunt etiam quoad defenſionem honoris proximi. *Sà V. Homicidium*,

Leſſius l.c. dub. 13. num. 88. Sayr. l.c. num. 3. Suarez, Salon. aliique.

9 Notandum eſt 5. Dicta extendi ad defenſionem propriæ pudicitiæ, ſine enim controuerſia licitum eſt virgini tam maſculo, quam fœminæ, aut matronæ honeſtæ, violentum aggreſſorem, ſtupratorem, oppreſſorem, ſi nulla alia ratione vim impedire, vel declinare valeat, ſeu non poſſit fugere, aut reſiſtere, & proclamatio ſit illi inutilis, aut ignominioſa, cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, ipſo iure naturæ, imò longè maiori ratione, quam licet occidere furem, ſeu inuaſorem bonorum temporalium; cum integritas virginalis, & caſtitas cenſeatur inæſtimabilis pretii. Ita cum communi *Diana p.2.tr.15.reſ.16. Leander à Sacram.* & alii. Idem dicendum, & affirmandum eſt de defenſione pudicitiæ proximi inuaſi; & hoc homicidium non erit voluntarium, ſed neceſſarium in tanta neceſſitate tuendi pudicitiam proximi, qui expreſsè, vel tacitè à nobis auxilium flagitat. Ita *D. Anton. 3.p.tit.3.c.3.§.2. Leſſius ſupra, Sporer n.169. Nauarra, Sotus, Card. de Lugo,* aliique.

10 Notandum eſt 6. communiter conuenire Doctores, pro defenſione bonorum temporalium, honoris, vel pudicitiæ (ſecluſo periculo conſenſus) ſe non teneri occidere iniuſtum inuaſorem, ſed illa vitæ proximi ordine charitatis laudabiliter poſtponere poſſe. Et in materia pudicitiæ adeſt expreſſa ſententia *D. Auguſtini l. 1. de lib. arb. cap. 5.* At in facti contingentia, quia valde periculoſum eſt inuaſo in pudicitia conſentire in delectationem, propterea ei ſecurius eſt occidere inuaſorem, ſi poſſit occidi, prout docet *Toletus l.5. ſum. c.6.* quia remedium iſtud eſt adhibendum, dum aliud non præſto eſt. Sic cum *Toleto* ſentit *Fagundez in Decal. præc.5.l.5.c.3.num.25.* Vt inuaſus verò in his licitè repellere poſſit inuaſorem, requiritur, vt ſpes ſit euadendi ipſum ſalua vita: cum vitam propriam, vtpotè bonum altioris ordinis, numquam liceat exponere certo periculo pro conſeruando minori bono: quale eſt bonum temporale, honor humanus, aut integritas caſtitatis. Ita *P. Nauarra l.2.c.4.nu.17. Laym. Sporer,* & alii.

11 Notandum eſt 7. Neminem priuatum per ſe loquendo obligari grauiter occidere inuaſorem pro defenſione proximi priuati, multò minus pro defenſione bonorum, vel pudicitiæ. Sic contra *Phil. Fabrum, Trullech,* & alios, docet cum *Molina,* & aliis *Card. de Lugo to.1. de iuſt. d. 10.nu.108. Tambur.l.6.c.1.§.1.nu.11. Sporer n.170.* & alii; quia cum vterque ſit proximus inuaſus, & inuaſor, & damnum inferendum vtriuis çquale, charitas quaſi æqualiter, & non cum magno exceſſu inclinat, tam pro vita inuaſoris, quam pro vita inuaſi innocentis, imò magis vrgere poteſt pro vita inuaſoris, ratione eius maioris mali imminentis, vtpotè certè æternæ damnationis: aut ratione pietatis, vt ſi inuaſor eſſet mihi coniunctus, vel amicus. Quis enim dicat, pro tuenda vita proximi me teneri occidere meum patrem, filium, fratrem, &c. Immò nec licitè tunc occidere,

re,

Digitized by Google

re, docet communis Doctorum; quia excuſat, immò prohibet tanta coniunctio. Dixi autem: *neminem priuatum*; ſecus enim eſt de magiſtratibus, & iis, qui ex officio, & iuſtitia; ideoque grauiter obligantur defendere vitam, & bona aliorum. Dixi inſuper, *per ſe loquendo*; nam per accidens obligaberis etiam grauiter occidere aggreſſorem vitæ proximi ex virtute pietatis, vtpote ſi inuaſus ſit perſona coniuncta, pater, mater, filius, frater, filia, vxor, ſoror, aut perſona publica ad bonum commune neceſſaria, Princeps, Magiſtratus, &c. Ita omnes.

12 Notandum eſt vltimo, circa *Propoſ.32.& 33.* Quod vna eſt explicatio alterius, & ſubſequens nihil peculiare addit ei, quæ immediate præceſſerat, niſi varia exempla iuris inchoati, de quo alia erat locuta, quæ etiã exprimebat, quouis ſpeciali iure deſtitutam: quo pacto plerique ſperant, ſe inſtituendos eſſe hæredes ab extraneis, ſibi relinquenda eſſe legata, aut elargienda inter viuos alia bona mere liberaliter: & inſuper poſſe conſiderari ius prohibitum, licet imperfectum, quod ius ad rem vocari communiter ſolet: & huius rei exempla proponuntur *Propoſ. 33.* vt ſi quis obſtet in iuſtè hæredi legitimè inſtituto, ne adeat hæreditatem ſibi à defuncto relictam; ſi impediat, ne legatarii ſua legata perſoluantur; ſi habenti ius in præbendam, aut Cathedram, adeptionem poſſeſſionis ſibi debitæ intercipiat. Porrò impedimentum iniuſtum poteſt præſtari quoad conſecutionem eorum, quæ pertinent ad iuſtitiam commutatiuam; & eorum, quæ ſpectant ad iuſtitiam diſtributiuam, & de vtriuſque agitur in relata *Propoſ.33.* Conueniunt Doctores, quod qui impedit aliquem à conſecutione hæreditatis, legati, vel alterius boni ex iuſtitia commutatiua ei debiti, etiam ſi impediat ſine vi, & fraude, peccat, & ad reſtitutionem tenetur; quia eſt inuaſor iniuſtus. Et ſi impediat, ne alter inſtituatur hæres, vel legatarius, vel ne habeat aliquod bonum ex liberalitate, vt V.g. eleemoſynam, &c. & id impêdiat vi, fraude, vel ſimili, vt falſis informationibus ſuadeat, vel vi fraude, &c. coget teſtatorem, ne hæreditatem, vel legatum relinquat alicui, peccat, & ad reſtitutionem tenetur, quanti æſtimabitur à prudentibus, doctis, & pijs viris damnum, quod intulit; quia ille impediens eſt cauſa moralis alieni damni, & ſimul facit contra iuſtitiam, cum quilibet habeat ius, ne per viam, aut fraudem, ſeu per alias malas artes impediantur à conſecutione bonorum. Ita *Dicaſtillus de iuſt.l.2.tr.2.d.8 dub.1.* & alii communiter. Et ſimiliter qui impedit iniuſtè, né quis conſequatur bona diſtribuenda certis, & determinatis perſonis; ſi vna ex iſtis ſit illa, quæ impeditur peccat, & ad reſtitutionem tenetur; quia omnes, & ſingulæ illæ perſonæ habent ius ad eam rem, ſeu ad ea bona, quæ alter iniuſtè impedit, ne cõſequatur. Ita *Syluius 2.2.q.61.ar.2.quæſ.25.concl.5.* aliiq; Et qui vi, vel fraude impedit, ne alter conſequatur bona diſtribuenda perſonis indeterminatis, peccat, & reſtituere debet, ſecundum quod à prudenti virò iudicabitur, iuxta ſupradicta cum *Dicaſtillo*, & aliis. Ratio eſt eadem ibi poſita, His prænotatis, ſit

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

13 DIco 1. Prior pars *Propoſitionis* 30. nempè: *Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit*: meritò hoc Decreto vt minimum tanquam in praxi pernicioſa abigitur, & ante *Paſqualigus* dixerat *d.ſſ.r.*451. nullam habere probabilitatem.

14 Probatur. Quia hæc theſis, qua parte comprehendit calumniantem in Judicio, iam antea proſcripta erat ab Alex. VII. in Decreto 24. Septembris 1665. Propoſ.18. Qua verò parte complectitur etiam conantes calumniari extra Iudicium, ſuadetur argumento ex *Caramuele in Theolog.fundam.fund.*55.*nu.*1580. deducto. Legibus humanis Ciuilibus, & Canonicis prohibita eſt occiſio defenſiua contra calumniatorem; quæ leges, quia verſantur in materia grauiſſima, & pro bono publico, ſiue pro vitanda pernicie publica; maximè ſunt obligatoriæ. Quod talis defenſio eſſet in perniciem publicam patet; nam cum in republica ſint multæ querelæ, detractiones, inuidiæ; item cum commune ſit hominibus philautia (amore ſui ipſorum) plenis, famæ detractiones, quamuis tenues, reputare ingentes; fieret, quod homines plurimi exiſtimarent, ſibi eſſe ius occidendi; vnde innumeræ fierent occiſiones, & Reſpublica aſſiduis odiis, belliſque ciuilibus arderet. Et quamuis non inueniantur leges ciuiles ſcriptæ ſub his terminis: tamen moribus hominum illæ ſtabilitæ ſunt. Etenim nulla Reſpublica (niſi Barbara) eſt in Orbe, quæ non puniat grauiſſimè eos, qui occidunt, quamuis prouocatus quolibet calumniarum, aut detractionum genere. Item nulla eſt Reſpublica, (niſi Barbara) quæ non iudicet iuſte puniri tales occiſores. Vt etiam oſtendatur, talem defenſionem occiſiuam prohibitam ex legibus Eccleſiaſticis, ſufficit. quod ea prohibitio oriatur à Tribunalibus, tàm ſupremo, quam inferioribus Eccleſiaſticis, quæ dum puniunt eiuſmodi occiſionem, quamuis allegetur factam fuiſſe propter calumnias, ſatis declarant eam non tolerari, atque adeo prohibitam eſſe in Reipublica Eccleſiaſtica.

15 His non obſtat *L.vt vim* 3. *ff.de iuſt. & iure*, vbi *Florentinus* reſpondit, vim, atque iniuriam propulſare licitum eſſe. Quia propulſare quidem iniuriam licet, verum non occidendo, ſed verbis retorquendo. Ex communi enim *Layman*, *Tambur*, & *Sporer* cenſent, tolerabile eſſe, & à peccato excuſatum, ſi calumnia, vel verbo iniurioſo impetitus iniuriam repellas dicendo: *metiris*, aut *ſis ipſe talis, quouſque de me prodis*. Non enim vindictam ſumis, ſed ſolum, cum alio modo hic, & nunc non poſſis, il-

latam

latam iniuriam auertis. Damnatum verò hoc Decreto eſt, quod ſi viro honorato dicatur verbum iniurioſum, aut contumelioſum, poſſit educere gladium,& occidere illum,qui contumeliam,aut iniuriam intulit,etiamſi putet,ſe non poſſe alio modo euitare infamiam, quam illa iniuria cauſauit. Ita *Corella hic n.*121.*Filguera fol.*148. *& ſeq.* aliique. Vnde ſi quis dicat viro honorato, *mentiris*, non licet illum occidere, vbi etiam hoc verbũ eſt valde probroſum.Ita *Azor.t.* 3.*l* 2.*c.*1.*quæſ.*17.*Dian.p.*5.*tr.*4.*reſ.*13.aliiq; Contra *Henricum Strouerſdorf de iuſt.& iur.in* 2.2.*D.Tho.q.*64.*ar.*7.*cõſl.*5.

16 Dico 2. Opinio docens eſſe licitum, honorem inuaſum, non verbis, ſed factis, fuſte, baculo, &c. defendi defenſione occiſiua,cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ſubiacet huic damnationi. Ita ſcribentes poſt hoc Decretum; & ante huic Propoſitioni in ordine 4. *Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui fuſtem, vel alapam nititur impingere, vel calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Facultas Louanienſis die 4.Maii 1657. hanc cenſuram affixit:*ſub indiſcreta ſua generalitate nefariũ, & humana vitæ iniurioſã continet doctrinã.*Nõ ergo damnatur, niſi quando dictum de calumnia,quod Propoſitio non diſcernebat à conatu violationis honoris factis.

Probatur.Hæc opinio non ſubiacet damnationi formaliter;quia non continetur expreſſis, & formalibus terminis in Propoſitione damnata, vt omnibus perſpicuum eſt: nec virtualiter;quia nec continetur æquiualentibus terminis;& hæc nõ eſt antecedens, vnde infallibiliter infertur Propoſitio damnata; eo .n. quod licitũ ſit defendere ſe per occiſionẽ ab ignominioſa percuſſione fuſtis,nullo modo infertur, quod licitum ſit defendere ſe à detractionibus,& calumnijs;vt ſatis cõſtat:ergo nullo modo damnatur

17 Dico 3. Propoſitio docens,quod vir honoratus poſſit occidere inuaſorem honoris poſt factum, nempe ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat; meritò damnata eſt, vt minimum tanquam in praxi pernicioſa, & Vniuerſitas Louanienſis hanc cenſuram protulit;*Non tam iuſtam violentiæ repulſionem, quam priuatæ vindictæ executionem ſpirat.*

Probatur. Quia percuſſorem occidere, mutilare, aut repercutere in illis circumſtantijs nil aliud eſt, quam vindictam ſumere, ac reddere malum pro malo, idque putare honorificum peruerſa imaginatione, qua aduerſus claram Dei legem viri mundiales imbuuntur. Neque enim id eſt vim vi repellere, cum fugiens iã à vi ceſſauerit,ac deſtiterit; nec eſt ſe defendere, quia fugiendo non offendit, ſed potius oſtendit metum, & iniuriam iam illatam puſillanimitate diminuit. Neque eſt inſuper honorem ſuum in ſpecie recuperare; quia fugiens non portat illum in burſa, ſicut latro pecuniam furto ablatam,vt à poteſtate illius auferri poſſit illud ipsũ, quod abſtulerat. Nec demum eſt facere, vt alius ſibi reſtituat honorem;nã honoris reſtitutio fit retractatione iniuriæ, veniæ petitione, & aliis acti-

bus

Digitized by Google

bus honorificis offenſo, quos occiſus nequit facere. Relinquitur ergo; vt ſit tantum velle honorari ob vindictam ſumptam propria auctoritate, quaſi Deus ſibi, ac miniſtris ſuis vltionem non præſeruaſſet repugnante Sacra Scriptura, *Deuter.32. Eccleſiaſt.28. Rom.12. Ad Hebr.* 10. & alibi. Vndè meritò *Card.de Lugo* & alij dixerunt, illam ſententiam ſapere gentilitatem & non eſſe chriſtianam, ſed legem Euangelicam, imò eſt decalogum deſtruere. Et præterea ex ea ſequeretur, maritum poſſe in foro conſcientiæ licitè occidere adulterum in adulterio deprehenſum; quod per decretum Alex.VII.damnatum propugnauimus in *Lap.Lyd.comm.ad Propos.19.*

18 Non tamen vi iſtius decreti damnata remanet opinio *Armillæ V. Defenſio n.2.Tapiæ to.2.l.5.q.3.ar.12.n.2.Leand.à Sacr.d.14.q.2.Stroueſdorf, Garſi,Giballini* & aliorum aſſerentium, licitam eſſe occiſionem eius, qui continuat ictus cum arundine, vel repetit alapas, vel in eodem loco perſiſtit, defenſurus quod perpetrauerat. Ita *Corella hic n.122. Torrecilla fol. 424.n.7.* aliique. Quia decretum de ſolo fugiente loquitur; & cum in cæteris caſibus vis iniuſta continuetur, & non dum ſit conſummata iniuria, donec percutiens recedat, percuſſio non tranſit in aggreſſionem; ſed vim defenſionis habet, & vis alterius perſeuerãs adhuc alia via iuſte repellitur: dummodò ea maior non ſit, quam neceſſitas efflagitat; nam ſi proceſſus compellendo ad fugam continuationem iniuriæ poſſet euitare, non eſſet licita occiſio; immò neque mutilatio. Sicut dum iuuenis, puella, virgo, vel matrona honeſta ſollicitatur ad turpia, impudicè tangitus, oſculum libidinoſum violenter ſuſcipit, licitè, immò cũ laude poteſt, non tantũ verbis aſperioribus, ſed etiam alapis, pugnis, immò, & fuſte moderatè percutiẽdo impudicum repellere, vt cum alijs docet *Card.de Lugo ſup.n.196.Tambur. l.6.Decal.c.1.§.3.n.7.* Hoc enim non eſt vindictam ſumere, ſed puritatem animi, & conſtantem diſſenſum demonſtrare, impudicumque abſterrere.

19 Dico 4. Nefas eſt regulariter occidere furem pro conſeruatione vnius aurei. Et oppoſitum hoc Decreto proſternitur.

Probatur; quia vnus aureus per ſe, atq; ratione ſui, non eſt tantæ vtilitatis, nec adeò præiudicialis amiſſio illius, vt ſecluſis alijs extrinſecis damnis, eidem amiſſioni adiunctis, ſit ipſius conſeruatio digna tanta defenſione, quanta eſt alterius occiſio; aliud habet forum Dei, vt Iudicis reſpectu ipſius vt culpæ grauis; aliud enim eſt in Deo Iudice iuſtè puniente culpã; aliud in priuato, qui nequit niſi defenſioni vti, ad quã, vt benè *Spor.n.157.* & alij cõmuniter, requiritur longè maior quantitas, quam quæ ſufficiat ad peccatũ mortale. Vnde nec pro duobus aureis poteſt regulariter occidi fur ob ſupradictã rationẽ, vt docent *Iaſ.in l.vim vi,ff.de iuſt.& iur.Matheſilenus ſing.135.*& expreſsè aduertit etiã *Dian.p.5.tr.4.reſ.18.verſ.Verum h s ſentẽtias.*Nec pro tribus, vt docẽt *Arag.2.2.q.64.ar.7. Sotus, Bin ſfeldius,* & alii. Verum quamuis regulariter erit peccatum mortale occidere furem pro recuperatione duorum, aut trium aureorum; tamen non eſt damnatum

affe-

Digitized by Google

aſſerere, hoc eſſe licitum, vt cum *Hozes* dicit *Torrecilla hic n.28. Corella n.125.* Quia Propoſitio hæc condemnata ſolum loquitur de vno aureo.

20 *Strouerſdorf cit.q.64.ar.7.concl.3. Diana p.5.tr.4.reſ.18.* & alij, rem, propter quam alter interficiendus eſt, aſſerunt debere eſſe magni momenti, vel ex ſe, vel in ſui pretio, vel ex ſuo conſequenti, ſeu ex graui damno ex rei grauis momenti ablatione imminente. Conſonant *Torrecilla hic fol. 245.n.76.* & *Corella n.124.* dicentes, quod ſi ipſe aureus requireretur ad ſoluendum debitum, ob quod eſſet mittendus in carcerem, ibique incluſus per multos dies: in illo caſu non erit peccatum furem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Rectè etiam *Fagundez in 5. præc. Decal. c. 3.n.19.* inquit: *Quæ autem res ſit magni momenti, & quando ſit, arbitratur prudens, inſpectis circumſtantijs loci magis, ac minus penurioſi: perſonarum magis, vel minus indigentium: temporis, in quo magis, vel minus indiget, & ſimilibus, quæ in ſimili negotio conſiderari ſolent; tam in iudicio, quam extra illud.* Et *Renzi to.1.l.2. tr.5.c.1, quæſ.16.* ait, quod vnus aureus erit res magni momenti pro inope: contra decem aurei pro diuite non erit res magni momenti. Idem *Renzi* cum *Suario* dicit, quod ſi veſtes alicui tollerentur tempore magni frigoris, vel ſi arma tollerentur militi, quibus vitam tuetur, poſſet vterque furem occidere; quia cenſentur bona magni momenti, cum ab ipſis vita pendeat, vt etiam nos ſupra.

21 Dico 5. Opinio *Molinæ* docens licitam eſſe defenſionem vnius aurei, aut minoris, dum vſurpatio fit, reſiſtente domino, aut cuſtode illius, non ſubiacet damnationi, imo probabilis eſt. Ita *Io. de Cardenas, Hurtadus De la Fuente, Sporer,* & alij.

Quod non ſubiaceat damnationi, patet; quia damnatio loquitur in eodem ſenſu, in quo Propoſitio damnata: quæ non loquitur de fure auferente rem per rapinam, aut violentiam ignominioſam; horum .n. nullum verbum requiritur; ergo damnatio non ſe extendit ad caſum rapinæ, ſeu violentiæ ignominioſæ. Quod verò ſit probabilis etiam liquet. Quia hæc opinio gaudet probabilitate extrinſeca, & intrinſeca. Extrinſeca quidem, quia cum *Molina* eum docet *Bonac.to.2.d.2. de contr.q.vult.ſect.1. pu.10.n. 1. Card. de Lugo cit. d.10. ſect.9.nu.178. Leſſius l.2.c.9.dub.11.dub.68. Leand. à Sacr.tr.2.de irregul.p.13.qu.5. Tambur.d.c.1.§.2. n.2.* & alii Auctores magnæ auctoritatis. Intrinſeca verò: quia hæc ablatio cum violentia eſt ingens contumelia. Audi verba *Card. de Lugo*: *Quando res valoris vnius ducati aufertur cum reſiſtentia domini, aut cuſtodis rei illius, nec fur monitus deſiſtere velit à violentia, poſſet occidi; quia cum re illa honorem etiam auferre vult. Quare meritò te defendere poteris aduerſus ingentem illam iniuriam, & contumeliam.* Aduertendum tamen eſt in primis, non qualemcumque rapinam eſſe ignominioſam. Nam ſi Princeps auferat aureum de manu plebei hominis non cenſebitur ignominioſum; ſecus verò ſi plebeus rapiat de manu Principis. Deinde ſi fur per rapinam abſtulit vnum aureum, quem

portabat Titius in manibus, & fugit, non poteſt Titius pergere inſequendo furem, vt per defenſionem occiſiuam auferam aureum raptum: nam dum fur fugit rem illam ſecum portans iam non amplius inuadit honorē, ſed ſolum rem arreptam; vnde occiſio fieret in defenſionem illius aurei,& non in defenſionem honoris, qui iam ablatus eſt, & non recuperatur occiſione furis, contra damnationem.

22 Dico vltimo. Tam Propoſitio 32. quam 33. permittentes defenſionem occiſiuam obijcientis impedimentum iniuſtus ad rem, ad quam habetur opus, vel ius inchoatum, meritò atro lapillo ſignatæ ſunt, vt minimum tanquam in praxi perniciosæ.

Probatur. Quia doctrina his Propoſitionibus contenta aditum pandit frequentibus homicidiis in Reipublicæ perniciem: quare poteſt formari idem argumentum ex *Caramuele* deductum ſupra; de eaque doctrina facultas Louanienſis ibidem talem protulit cenſuram: *Non ſolum eſt falſa, ſed etiam toti Reipublicæ, ac Generi humano perniciosa, ac proinde omnibus modis ſupprimenda.* Et *Illſung in Arbore boni,& mali tr.4.d.3.q.2.ar.2.§.1.nu.69.* meritò exclamat. *Proh! Quot fierent cædas, quanta perturbatio, quot in propria cauſa iniuſta, & temeraria iudicia, ac iudiciorum iniuſtæ executiones, ſi relatæ ſententiæ tolerarentur.* Et infra aſſignans diſparitatem à caſibus ſupra relatis inquit: *Eſt valde diſpar ratio inter bona, quæ ſi auferantur, per ſe loquendo, facilè aut vnquam recuperari non poſſunt; & inter ea, in ordine ad quæ recuperanda ſuppetunt ordinaria media, etiamſi per accidens non ſint profuturæ. prioris generis ſunt bona corporis, & bona temporalia actu poſſeſſa mobilia. Vita enim, membrum, virginalis integritas, ſi per occiſionem, mutilationem, conſtrupationem auferantur, recuperari non poſſunt: bona etiam mobilia, actu poſſeſſa, fugitiuo raptori eripi officio Iudicis nequeunt, (vel ſi ſpes eſſet illa recipiendi, in eo caſu non liceret dicta defenſio) Iura autem, ſpes, & bona immobilia, fama, & honor bona ſunt poſterioris generis, quorum iniuſtus inuaſor coram Iudici conueniri poteſt, proſecutione iuris, vt læſus in antiquum ſtatum reſtituatur, honor, & fama per ſatisfactionem, & retractationem reparetur, &c. Quia ergo bonum commune præferendum eſt bono priuato, quando per accidens medijs ordinarijs bona poſterioris generis etiam recuperari non poſſent, & quia pertinet ad bonum commune, vt cum alia media ordinariè, & per ſe loquendo pro defenſione poſteriorum bonorum ſuppetant, non liceat etiam in caſibus extraordinarijs vti medio defenſionis per occiſionem inuaſoris: propter indicata damna Communitatis humanæ, ex huiuſmodi licentia oritura, ideò meritò negatur paritas, qua damnatæ Propoſitiones nituntur.* Hucuſque *Illſung*; cui potius acquieſco, quā *Hurtado De la Fuente hìc diſſer.20.c.6.n.61.* aſſerenti. Per accidens,& rarò poſſe contingere, vt ob bona tēporalia, quæ ſperamus liceat occiſio impedientis efficaciter aſſecutionem illorum, per vim, coactionemq; iniquam.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Verborum notabilium, quæ in hac Prima Parte continentur.

ACTVS indifferens.

Num proſcripiioni Propoſ.8. ſubiacet ſententia admittens actus indifferens in indiuiduo. Propoſ.8.§.2.n.24.

ADVOCATVS.

Num condemnatio Propoſitionis 2. comprehendat etiam Aduocatos, & Procuratores? Propoſ.2.§.3.n.23. *Quid ſi Aduocatus faciat officium Aſſeſſoris?* ibid.

Nequit Aduocatus defendere cauſam iniuſtam ſine lethali culpa, & onere reſtitutionis. ibid.n.24. *Tenetur quoque reſtituere Clienti expenſas, ſi hunc non admoneat de iniuſtitia cauſæ. Quid de pœna pecuniaria, à quo ſuo iniquo patrocinio reum liberauit?* ibid.n.25. *Et diſpoſitus ad quamcumque cauſam tuendam, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, eſt abſolutionis indignus.* ibid.n.26. *Et ſi in cauſæ proſecutione aduertat de illius iniuſtitia, tenetur eam deſerere, Clientem de iniuſtitia admonito.* ibid.n.27. *Nec ei licet patrocinari Clienti, qui habet bonum, ius in poſſeſſorio, & nullum in re ipſa.* ibid.n.28.

Si cauſa Clientis ſit magis probabilis, licet poſſit, non ipſum decipiendo, eam defendere; attamen non poteſt Iudicem pecunia inducere ad pronunciandum pro eo, & pecuniam tributam repetere non poteſt. Sed quid ſi Iudex eſſet alias iniuſtè iudicaturus? An ſi cauſa ſit, ſeù æquè dubia, vel probabilis, poſſit pro qua maluerit parte patrocinari? ibid. n.3. *Quid ſi cauſa ſui Clientis ſit minus probabilis? Quæue in hoc obſeruanda ſunt ab Aduocatis?* ib.n.32.

AMPHIBOLOGIA.

Quid ſit amphibologia, & unde dicta, in quoue differat ab æquiuocatione? Quot ſunt ſpecies amphibologiæ, dum vna Oratio plura ſignificat ſine addita: & ratione additi quando eſt formalis, ſeù mentalis, quando materialis? Propoſ.27.§.5.n.7. *Ex* Caramuele, *& alijs alia eſt amphibologia, per quam voces ſupponantur ſuppoſitione materiali.* ibid.n.8.

Propoſitio 26. Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, (fortè aliam diem) ab ea, in qua fecit, vel quoduis additum verum, reuera non mentitur, nec eſt periurus; *quæ erat* Nauar. Adriani, Valen. Toleti, Leſſij, Ant. à Spir. San. Leandri à Sacram, *& vt iacet* Sanchez *de amphibologia formali loquens*

LlI 2 me-

meritò damnatur. Prop.27.§.2.n 9. Idque euincitur tum ex Auguſtino, ac Innocentio III. ex eo, quod amphibologia formalis eſt locutio falſa, & difformis menti loquentis, tum ex eo, quod hominibus non loquimur, niſi loquutione humana, quæ conſtituitur ſola externa ſignificatione, tum denique, ex pluribus inconuenientibus. ibid.n.10.& ſeqq.

Rectè Caramuel contra formalem, ſeù puras reſtrictiones mentales calamum ſtrinxit, quod tollunt humanam ſocietatem, & ſecuritatem, ac tamquam peſtiferæ damnandæ ſunt. ibid.n.14. Non tamen approbatur Caramuelis modis amphibologiæ; eo tamen admiſſo, nullatenus Tamburini. ibid.n..15.

Excluditur vſus amphibologiæ formalis etiam affirmatiuæ, in quibuſcumque operationibus, & ſiue fiat voce, ſiue nutu, &c. ſiue operando, ſiue omittendo; & quomodo ſolus quis ea vti poteſt. ibid.n.16.

Explicatur quam culpam continet amphibologia formalis. ibid.n.17.

Amphibologia materialis, ſeù ſenſibilis, dicta alias primi, & ſecundi generis, non ſubeſt damnationi; & probatur. ibid.n.18. Vtens tamen æquiuocatione, aut amphibologia materiali debet intendere ſenſum, quem verba facere poſſunt, & explicatur pro praxi. ibid.n.34.

Propoſitio 27. Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt, ad ſalutem corporis; honorum, ſeù res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa, quæ etiam his verbis eſt Sanchez, & alij etiam docuerunt; quam etiam loquitur de amphibologia formali, meritò hoc Decreto reprobatur; nulla enim ex cauſa, quantumuis grauiſſima poſſe eſſe licitam amphibologiam formalem, multipliciter oſtenditur. ibid. n.35.

At ex iuſta cauſa licere amphibologiam materialem, oſtenditur multipliciter; ibid.n.36. Vide etiam §.3. n.46. poſt 14. caſum, vbi reijcitur Ginetus, ex Maldero. Sine cauſa iuſta, & rationabili non licet: licet communius aſſeratur peccari tantum venialiter. ibid §. 2.n.37.

Explicatur 1. quæ locutio amphibologica liceat circa ſolutionem gabellæ. ibid. §.3.n.38. Secundò, quid reſpondere poſſit occulta adultera interrogata à marito, vel à ſua famula fideliſſima. ibid.n.39. Tertiò, quaue vti pœnitens temerè interrogatus, an hoc, vel illud peccatum confeſſus ſit. ibid.n.40. Quartò, & confeſſarius interrogatus extra iudicium de peccato alterius, quod per Confeſſionem Sacramentalem nouit. ibid.n.41. Quintò. Et Secretarius Inquiſitionis, qui obſtrictus iuramento ſecreti ſeruandi, interrogatur de cauſa arcana cuiuſdam Rei. ibid.n.42. Sextò, & mulier obſtricta iurare ſe cum marito poſtea victuram, cum tamen id præſtare nequeat ob impedimentum dirimens. ibid.n.43. Septimò, & ficte promittens matrimonium, vel quid aliud. ibid.n.44. Octauò, & debitor, qui in iudicio nequit probare ſe totum debitum ſoluiſſe. ibid.n.45. Nonò, & qui mutuo centum recepit à Caio, & poſtea ſoluit totum, vel quinquaginta, Nec non ille, à quo petitur pecunia,

vel

vel aliquid aliud, quod non vult ei tradere. ibid.n.46. *Decimò, & qui tempore peſtis interrogatur à Cuſtodibus Ciuitatis, an veniat à certo loco, qui falsò creditur peſte infectus, vel locum illum ita velociter tranſiuit, vt certè nihil eum peſtis attigit.* ibid. *Vndecimò, Et vxor, quæ mortuo marito ſuam dotem, vel arrhas abſtrahit, & abſcondit, vt ſibi ſatisfaciat; & alius, qui habet iuſtam cauſam occultandi Fiſco, vel creditori aliqua.* ibid. *Duodecimò, & qui præ nimia paupertate excuſatur à ſoluendo, & abſcondit aliqua ſua bona, ad ſuam vitam ſubſtentandam.* ibid. *Decimotertiò, & hæres, qui abſque inuentario ſe immiſcuit hæreditati.* ibid. *Decimoquartò, & creditor, qui petit virtute inſtrumenti, quod ſibi ſolutum eſt, ſi ob aliam rationem tantumdem ei debeatur.* ibid.

Reus interrogatus à Iudice ſub iuramento, quando poteſt negare delictum cum amphibologia, quando non? Prop.28.§.1.n.3. *Quid ſi Reus, vel teſtis dubitet, iuridicè interrogari?* ibid.n.4. *Quid ſi factum aliquod criminoſum excuſetur à culpa ratione alicuius circũſtantiæ, vel interrogetur de aliqua ad ipsũ verè ſpectãte, ſed tamquam indicio alicuius delicti, quod ipſe non commiſit, vel interrogetur an fuerit cum alijs, qui vineam ingreſſi, vuam inde excerpſerint; ſed non ipſe, quia tantum fuerit cauſa transeundi, vel interrogetur de delicto, quod ipſe commiſit non per ſe, ſed per intermediam perſonam, vel ipſum fuerat confeſſus, & abſolutus,* ibid.n.5.

Quæ de Reo dicuntur proportione ſeruata procedũt in Teſte. Explicantur multi caſus. ibid.n.6.

Propoſitio 28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt; poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis de ſimilibus ſolet exigi, quia non tenetur fateri crimen occultum, *quam docuit* Leſſius, *meritò proſcribitur; quia interrogatus tenetur iurare iuxta intentionem exigentis, etiamſi ſubordinatio, vel commendatio ſit occulta.* ibid.§.2. n.7. *Oſtenditur hoc multipliciter.* ibid.n.8. *Quotuplex peccatum in dicto euentu committitur.* ibid.n.9.

Vt peccata euitet, ad quid iſte commendatus tenetur? ibid.n.10. *Ad quid etiam teneatur iſte qui aliquid egit, vt commendaretur, ſi res adhuc ſit integra.* ibid. n.11. *Vbi etiam reſoluitur. Quid ſi promiſiſti modo vetito, ſed tua promiſſio nullum habuit effectum.*

Reſoluitur etiam caſus de ſcholaſtico à Iudice interrogato, an loquutus fuerit cum aliquo ex oppoſitoribus ad Cathedram, vel illius domum ingreſſus, & verba, & ingreſſus non fuerint ſubornationis cauſa. ibid.n.12.

Damnatio huius Propoſ.28. *non extenditur ad caſum, de quo in* §.1.n.3. Ibid. §.2.n.13.

An quoties licitum eſt vti amphibologia aliqua, ex capta formali, adhuc liceat illa vti, quando vrget interrogans omnem excludendo amphibologiam, ibid.§.3.n.14.

An

Digitized by Google

An liceat amphibologia per additionem vocis alicuius ſubmiſsè prolatè, aut alicuius actionis externæ? ibid.n.15.

CHARITAS erga Deum.

Qui amor ſit amicitiæ, quæue creatura ſit eius capax? Prop.7.§.1.n.4. *Quodnam ſit obiectum formale Charitatis, quiue Charitatis actus primarius?* ibid.n.5. *An aſſignandum ſit diuerſum obiectum formaliter reſpectu Charitatis acquiſitæ, & infuſæ, ſintque diſtinguendi duo amores amicitiæ naturalis, & ſupernaturalis?* ibid.n.6.

Deus non neceſſariò ſub ratione trini, ſed vt auctor bonorum ſupernaturalium eſt obiectum charitatis. ibid.n.7. *Per infinitam Dei perfectionem quid intelligitur, vt fiat actus iuſtificatiuus?* ibid.n.8.

Datur habitus charitatis infuſus, & poteſt augeri in hac vita. ibid.n.9. *Habitus charitatis augetur per actus intenſiores ipſo habitu præexiſtente; Et inſuper actus remiſſi charitatis hominis iuſti merentur augmentum gloriæ.* ibid.n.10. *Et inſuper augmentum gratiæ.* ibid.n.12. *Iſtud gratiæ, & charitatis augmentum ſtatim confertur eodem ipſo inſtanti, quo elicitur actus meritorius etiam habitu remiſſior.* Ibid.n.13. *Aucta gratia, & charitate ſimul augentur omnes virtutes infuſæ.* ibid.n.14. *Quæ ſemper infunduntur, & augentur eadem proportione, qua gratia.* ibid.n.15. *Gratia, & charitas in via amitti poſſunt, idque per mortale; aut nequeunt de lege ordinaria directè diminui per peccata venialia.* ibid.n.16.

Præceptum de dilectione Dei poſſe in via impleri, contra ſectarios, de Fide eſſe oſtenditur. ibid.n.17. *Continet affirmationem principaliter, negationem ſecundariò. Quatenus affirmatiuum ſemper obligat, & ad ſemper. Quid cum graues tentationes inſurgunt odij Dei, vel iracundiæ contra Deum?* ibid.n.18. *Præceptum charitatis quatenus affirmatiuum quondo obligat per accidens, & indirectè.* ibid.n.19.

Propoſitio 7. *quæ attributa* Azorio, & Tamburino *de præcepto Charitatis hæc habet:* Tunc ſolum obligat quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus: *meritò proſcribitur; quia præceptum charitatis affirmatiuum per ſe in pluribus caſibus, & temporibus obligat, Idque oſtenditur, tum quia obligare non per ſe, ſed per accidens ſolum, ſit contra rationem charitatis, tum ex pluribus inconuenientibus.* ibid.§.2.n.20. & ſeqq. *Actus charitatis incluſus in contritione, non iuſtificat formaliter, ſed diſpoſitiuè.* ibid.n.23.

Propoſitio 5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus, *propoſita ab* Antonio Marchant. *in 7 heſibus Antuerpiæ propugnatis, meritò damnatur. Idque multipliciter oſtenditur.* ibid.n.24.& ſeqq. *Opinio contraria cum ſit improbabilis, à ſcrupulis non liberat; nec ſi ad ſpeculationem recurratur, hoc præceptum tantum in articulo mortis obligare eſſet dicendum.* ibid.n.31.

Propoſitio 6. *ab aliquibus* Antonio de Eſcobar *attributa:* Probabile eſt, nè,

ſin-

ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum, *meritò etiam abigitur. Et vt minimum quinto quoque anno per ſe oblig re præceptum charitatis erga Deum affirmatiuum multipli iter probatur,* ibid.n.32.

Communiter hæc dilatio quinque annorum videtur nimium prolixa. Et quidam ad tres, vel quatuor annos hanc obligationem contrahunt; nonnullis ad duos. Satis probabiliter, & communiter docetur, quod ſingulis annis hoc præceptum per ſe obligat. ibid.n.33. *Et ſatis etiam probabile eſt, hoc præceptum obligare per ſe etiam aliquoties intra annum.* ibid.n.34. *Oſtenditur per hanc doctrinam non imponi fidelibus onus importabile, ſed potius iugum ſuaue, & onus leue.* ibid n.35.

An hoc præceptum, quatenus affirmatiuum obliget, cum primum incipit vſus rationis? ibid. n.36. *Non obligat pro inſtanti vſus rationis, nec id D.Thomas docuit.* ibid. n.37. *Non ſequuntur inconuenientia, quæ afferuntur ab Aduerſarijs.* ibid.n.38. *Obligat tamen circa vſum rationis, nempè quando quis incipit habere notitiam Dei vt infinitè amabilis propter ſe, ſufficientem ad iſtum amorem eliciendum; & adhuc datur aliqua latitudo aliquarum hebdomadarum.* ibid.n.39. *Hæc ſententia ſit explicata obuiat ſcrupulis, & torſionibus conſcientiarum.* ibid.n.40.

Adeſt obligatio diligendi Deum in periculo, ac extremo vitæ eius, qui conſcius eſt peccati mortalis, etiam ſi Sacramentaliter confeſſus eſt. ibid.n.41. *Imò tutius, & probabilius docetur, quod etiam exiſtens in gratia, & qui ſuo tempore extra periculum elicuit actum dilectionis Dei, debet circa periculum, ac articulum mortis elicere actum dilectionis Dei.* ibid.n.42.

An ſint alia tempora, in quibus obliget præceptum charitatis erga Deum? ibid.n.43.

Quæ, & quot ſunt peccata commiſſionis contra præceptum dilectionis Dei? ibid.n.44. *Peccatum omiſſionis contra charitatem Dei, in quot ſpecies diſtinguitur?* ibid.n.45.

CHARITAS erga Proximum.

Definitur Charitas prout comprehendit etiam proximum. Propoſ 11.§.1.n.2. *Qualis amor in proximum ſit in eum charitas?* ibid. n.3. *Colliguntur amores à Diuina Charitate extranei.* ibid n.4. *Explicatur duplex charitatis actio, interna ſcilicet, & externa.* ibid.n.5. *Eodem ſpecie actu, quo diligitur Deus, diligitur proximus, quandocumque diligitur propter Deum: non tamen ſemper vno, & eodem numero actu diligitur Deus, & proximus.* ibid. n.6.

Quatuor diligenda ſunt ex charitate, nempè Deus, nos ipſi, proximus, & proprium corpus. idid.n.7.

Dari præceptum naturale dilectionis Proximi, oſtenditur. ibid.§.2.n.8.

Dari etiam præceptum ſupernaturale, diuinumque Charitatis erga Proximum, demonſtratur, ibid.n.9.

Digitized by Google

Propoſitio 11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos, *quæ eſt* Arriagæ *meritò Pontificiæ notæ ſubijcitur. Et actum charitatis erga proximum neceſſarium neceſſitate præcepti affirmatiui non eſſe præciſè beneficientiam externam, & in effectu, ſed etiam beneuolentiam internam, & in affectu, oſtenditur ex Sacra Scriptura, auctoritate Patrum, & rationibus ſatis efficacibus.* ibid.n.10. & ſeqq.

Præceptum hoc dilectionis non eſt præciſè de iure naturæ, ſed de iure Diuino poſitiuo, licet fundetur in illis principijs naturalibus: Quod tibi non vis fieri, &c. *Et explicatur hic* fieri, *& non* fieri. ibid.n.14.

Propoſitio 10. Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali, *quæ eſt eiuſdem* Arriagæ, *meritò hoc Decreto exciditur. Subindeque actum internum charitatis præceptum iure naturali, & diuino, eſſe formalem erga proximum, ſeù directum in ipſum, oſtenditur rationibus, & auctoritate D. Auguſtini, imò & S. Thomæ, cuius doctrina hoc Decreto nullum præiudicium accipit; conuinciturque error* Caſtropalai. ibid.n.15.& ſeqq.

Colligitur præceptum dilectionis proximi eſſe ſpeciale, & condiſtinctum à præcepto diligendi Deum, & ab alijs quibus benè erga proximum afficimur, quæ ſunt Secundæ Tabulæ. ibid.n.19.

Actum Charitatis proximi non poſſe eſſe ſine dilectione Dei, demonſtratur ibid.n.20. *Hinc conſequens, hoc præceptum Charitatis proximi impleri non poſſe ſine gratia ſanctificante.* ibid.n.21.

Præceptum Charitatis proximi ſe extendere ad omnes rationales creaturas, ſeù ad iuſtos, & peccatores; fideles, & infideles viatores; amicos, & inimicos, probatur, & explicatur. ibid.n.22. *Retunditur quoque error eorum, qui negarunt præceptum dilectionis proximi, vel ſimpliciter, aut ſaltem reſpectu imperfectorum.* ibid.n.23. *Peccatores etiam inimici, ex charitate ſunt diligibiles, & diligendi ſecundum naturam, non ſecundum culpam.* ibid.n.24. *Etiam extra occaſiones neceſſitatis quis tenetur diligere proximum per ſe per actum charitatis: & multipliciter oſtenditur.* ibid.n.25.

Hoc præceptum prout negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper, ſeù pro ſemper, & in quocumque tempore. ibid.n.26. *Probatur ex prohibitione excluſionis inimici ab amore erga alios in communi. Sed quid ſi experiaris te trepidare coram eo, qui te offendit, immò & expelleſcere, & cupere eum non videre?* ibid.n.27. *An ſemper quod velimus inimico, malum ſit peccatum?* ibid.n.28. *Obligaris iniurianti remittere ex corde offenſam, etiam ſi non putat; & inſuper hanc remiſſionem inimico palam facere.* ibid.n.29.

Hoc præceptum dilectionis proximi, quatenus affirmatiuum, reſpectu proximi in communi obligat per ſe ad diligendum illum actu interno, & formali initio morali vſus rationis, & ſaltem ſemel in anno, & probabiliter intra annum. ibid.n.30. *Obligat verò per accidens ratione neceſſitatis pro loco, & tempore ſuperuenientis.* ibid.n.31. *Reſpectu verò proximi in particulari, ſeù ſingulari non obligat per ſe, ſed ſolum in caſu neceſſitatis pro loco, ac tempore*

forte

fortè incidentis. ibid.n.32. *Enumerantur caſus, in quibus adeſt hæc obligatio per accidens.* ibid n.33.

An liceat inimicum excludere à communibus beneficijs? ibid.n.34. *An inimicis teneamur ſigna ſpecialis amoris exibere.* ibid.n.35. *An extet obligatio ſalutandi inimicum?* ibid.n.36. *An ſit obligatio reſalutandi?* ibid.n.37. *An adſit obligatio inimicum alloquendi. Et quis incipere debeat?* ibid.n.38. *An inimico veniam petenti iniuriam remittere teneamur, quantum ad damnum illatum in bonore, fama, aut bonis temporalibus, &c.* ibid.n.39. *An lædentem offerentem ſatisfactionem poſſit adhuc læſus apud Iudices accuſare, accuſationemque proſequi, nec velle remiſſionem per publicum inſtrumentum, ſeu Notarij ſcripturam exhibere?* ibid.n.40. *Inimicus, qui læſit, obligaturne ſemper à læſo veniam ſubmiſſo animo petere?* ibid.n.41.

CHARITATIS Ordo.

Ordinem Charitatis eſſe in præcepto, Scriptura, rationeſque validiſſimæ oſtendunt. Propoſ.11. §.3. n.42.

Bona ſpiritualia alia ſunt, quæ quis ſibi, & proximis velle debet; alia, quæ nec ſibi, & proximis velle tenetur. ibid.n.43. *Obligaris velle potius tibi gratiam, & gloriam, quam reliquis omnibus, etiam vniuerſo mundo. Excipitur Chriſtus Dominus, & probabiliter etiam Beatiſſima Virgo, licitum tamen, atque laudabile eſt, velle pro aliquo tempore pati dilationem beatitudinis in proximorum ſaluti prouidens,* ibid.n.44. *Si bona ſpiritualia ſint extra obligationem, poteris abſque peccato alios tibi præferre.* ibid.n.45.

Obligaris ſalutem ſpiritualem proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre, iuxta mora dicenda. ibid.n.46. *In extrema proximi neceſſitate debes non ſolum bona temporalia, ſed etiam vitam expendere, ſi tibi ſpes eſt fore profuturum, ſecus ſi non ſit certa ſpes in re.* ibid.n.47. *An caſus allati à Valentia comprehendantur ſub hac doctrina?* ibid.n.48. *Extra caſum extremæ neceſſitatis non teneris cum periculo morali propriæ vitæ, aut amiſſionis membrorum, aut graui iactura bonorum fortunæ ſuccurrere proximum in ſpiritualibus,* ibid.n.59.

Proximo tamen communi (hoc eſt Reipublicæ) in graui neceſſitate conſtituto teneris etiam cum periculo propriæ vitæ ſuccurrere. ibid.n.50. *Cuicumque proximo grauem neceſſitatem ſpiritualem patienti teneris ſuccurrere cum leui ſuo detrimento. Secus de leui.* ibid.n.51.

Quæ ſit obligatio Principis, Paſtoris, & Superioris. ibid.n.52. *Quæue obligatorum ex delicto?* ibid.n.53.

Verum in temporalibus bonis debeamus nos ipſos magis diligere, quàm proximum? ibid.n.54.

An poſſis, vel tenearis vnum proximum præ alio diligere? Vbi variæ fiunt comparationes. ibid.n.55.

CIRCVMLOCVTIO.

Num liceat reſpondere per circumlocutionem? Prop.28.§.3.n.47. & Prop.28. §.3.n.16.

CONFESSARIVS.

Confeſſarius in Propoſitione 2. proſcripta non continetur ſub verbo Iudex ; Propoſ.2.§.2.n.14.

Confeſſarius poteſt abſoluere pœnitentem iuxta ſententiam ipſius pœnitentis probabilem. Quid ſi ipſe Confeſſarius eam à principijs intrinſecis falſam iudicauerit? ibid.n.15. *An etiam teneatur Confeſſarius in eo caſu pœnitentem abſoluere. Et ſub qua culpa?* ibid.n.16.

Confeſſarius vt Doctor, Paſtor, & Medicus ſpiritualis pœnitentis in conſilijs dandis, ſecundum quam ſententiam conſulere debet? ibid.n.17.

CONSILIARIVS, CONSVLENS.

Conſiliarij in conſilijs dandis tenentur ſequi, quantum fieri poteſt, ſententias certas, vel probabiliores. Prop.2.§.3.n.23.

Licitumne ſit viro docto, à quo illiteratus aliquis conſilium petit, conſilium præbere contra ſuam ſententiam, ſequendo alienam, quam minus probabilem eſſe putat? Prop.3.§.5.n.82.

DELECTATIO. Vide Prop.8.13. & 15.

Propoſitio 13. Si cum debita moderatione facias; potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum, *quæ à* Caſtropalao *in terminis traditur, & à nonnullis probabilis exiſtimabatur, meritò ſaltem vt ſcandaloſa abſconditur. Oſtenditur.* Prop.13.§.2.n.5.6.& 7.

Quid ſi emolumentum non ipſi deſideranti, & petenti mortem, ſed alteri ſit obuentum? ibid.n.8. *Quid ſi temporale emolumentum ſit maximum, & exceſſiuum?* ibid.n.9.

Num caſus condemnationis loquatur de deſiderio conditionato? ibid.n.11.

Propoſitio 14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas, *vt peior præcedenti meritò cenſuræ eſt obnoxia. Oſtenditur.* Prop.14.§.2.n.5.& ſeq.

An in hac Propoſitione ſumatur abſolutum deſiderium, vt oppoſitum inefficaci, vel potius vt oppoſitum conditionali? ibid.§.1.n.2. *Quid ſi deſiderium ſit de effectu? An etiam liceat deſiderium conditionale. V.g.* Si moreretur meus Pater, Ego hæreditate potirer? ibid.n.3.

Quas perſonas, & res comprehendat damnatio huius Decreti. ibid.§.2.n.7. *Quid vbi agitur de damno vitando?* ibid.n.8.

Sitne peccatum velle proximo temporale malum, ob bonum ſpirituale ipſius? Prop.13.§.3.n.12. *Et quid ſi deſiderium ſit maioris mali proximo euenturi, ad euitandum temporale grauius?* ibid.n.13. *An liceat exoptare alteri mortem, &c. ob bonum ſpirituale ipſius exoptantis, vel aliorum?* ibid.n.14. *Num liceat optare malum Turcis, Hæreticis, & alijs hoſtibus Eccleſiæ, Reipublicæ, & Iuſtorum?* ibid.n.15. *Licitne, & ex quo motiuo mortem*

exoptare perſequutori, quem putamus ſimul æternam mortem ſubiturum. ibid.n.16. *An liceat matri optare mortem filiabus, quas nequit nuptui tradere, vel ratione quarum à viro durè tractatur?* ibid.n..17.

An, & quando liceat propriam mortem petere, & deſiderare, nempè ob beatitudinem, & alia lucra ſpiritualia. ibid.n.18. *Num ex ſolo affectu non diſplicendi Deo, ac nec venialiter peccandi? Vbi quid innoluitur in his affectibus.* ibid. n.19. *Quid de deſiderio mortis ex motino euitandi mala temporalia magna?* ibid.n.20. *Quid ſi leuia?* ibid.n.21. *Quid pro praxi?* ibid. n.22.

DOLOR pro Sacramento.

Pœnitens, qui acceſſit ad confitendum cum ſola attritione exiſtimata tali, aut qui dat pro materia peccatum vitæ præteritæ, ſine explicatione ſpeciei, nec indiuidui in confeſſione voluntaria non peccat, nec operatur contra condemnationem Propoſitionis primæ. Prop.1.§.3.n.25.

Si pœnitens obliuiſcitur alicuius peccati mortalis, & accedit ſecunda vice ad confitendum illud, non obſtringitur habere nouum actum doloris. ibid. *Poteſtque moribundus propter inſtans periculum mortis à Confeſſario abſolui, audito vno, alteroque peccato, & deinde ſi ſuperſit tempus, auditis per otium cæteris, iterato abſolui in virtute doloris præcedentis.* ibid.

Qui confitetur peccata vitæ præteritæ, (ſicut faciunt timorati, ad dandam materiam Sacramento) non obſtringitur in qualibet indiuidua confeſſione habere nouum doloris actum. ibid.

Non ſubijcitur damnationi eidem ſententia docens, dolorem non debere neceſſariò referri expreſsè, & formaliter ad confeſſionem. Nec ſententia docens, quod etiam dolor elicitus per longum tempus ante confeſſionem ſufficiat. Si non ſit retractatus. Fateor tamen hunc dolorem non ſufficere. Vbi quanto tempore præcedens ſufficit, & quando dicatur retractatus. ibid.

EBRIETAS.

Ebrietas, quaſi extra briam, *eſt* exceſſus in potando, cauſa voluptatis, vſque ad violentam vſus rationis priuationem. *Eſt peccatum mortiferum, ſi voluntaria ſit. Oſtenditur multipliciter, & occurritur inſtantijs.* Prop.8. §.1.n.7. *Si voluntaria non ſit, non eſt culpa, ſaltem mortalis, ſic excuſatur ebrietas Noe. Eſt autem voluntaria directè, vel indirectè.* ibid.n.8.

Si non fiat cauſa voluptatis, poteſt carere culpa; ſic non eſt peccatum inebriare ſe ex præſcripto medicorum, ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit. ibid.n.9. *Si quis cogatur bibere intento enſe, alioquin interficiendus, non peccat, ſi ebrietatem patiatur, loquendo de ebrietate, vt ſolum dicit priuationem vſus rationis ex potu, idque oſtenditur multipliciter.* ibid. n.10.

Si ebrietas non ſit plena, & perfecta, hoc eſt, ſi poſt potum adhuc diſcernere poſſit inter bonum, & malum, licet non nihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus: lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, &c. probabile eſt, eſſe tantum veniale ex grauioribus. ibid.n.11.

ELEEMOSYNA.

Eleemoſyna cur dicta Charitas. A qua virtute eliciatur? Quomodo meritoria? Quæ iuſtificet? Prop.12.§.1.n.2. *Aſſignatur duplex eleemoſyna, ſpiritualis ſcilicet, & corporalis, & præcellentia, ac opera vtriuſque enumerantur.* ibid.n.3.

Præcepto diuino naturali, & poſitiuo obligatur homo ad dandam eleemoſynam, concurrentibus mox afferendis, obligat fideles, & infideles: extenditurque ad omnem proximum etiam inimicum, ac ad pauperes laudabiliter voluntarios, ſeù Religioſos. Excipiuntur hoſtes, & quidam auari. ibid.n.4.

Ad incurrendam hanc obligationem requiritur, & quod accipiens in neceſſitate conſtitutus ſit, & quod dans habeat ſuperflua. Non tenetur regulariter quis inquirere egenos, niſi tempore peſtis, aut ſit Paſtor, vel Superior. Debet conſtare ſaltem probabiliter de neceſſitate alia via non auferenda. ibid.n.5.

Ex parte dantis explicantur bona neceſſaria, vel ſuperflua quoad naturam, ſeù vitam, & quo ad perſonam, ſeù ſtatum. Et ex parte accipientis explicatur neceſſitas extrema, grauis, & communis. ibid.n.6.

An habens ſola neceſſaria ſibi, quoad naturam, vel ſtatum, teneatur facere eleemoſynam pro ſimili neceſſitate proximo laboranti. ibid.§.2.n.7.

An habens tantum neceſſaria naturæ teneatur, vel poſſit facere eleemoſynam proximo etiam in extrema neceſſitate exiſtenti? Et quid vbi æqualis eſt neceſſitas grauis, vel ſtatus? ibid.n.8. *An proximo extremè egenti ſub mortali tenearis ſuccurrere non tantum de ſuperfluis, ſed etiam de aliquibus neceſſarijs ſtatui?* ibid.n.9. *An ſufficiat ſuccurrere, & iuuare notos? Quid ſi dubitet de alicuius extrema neceſſitate? Quid circa oſtentantes publicè ſigna extremæ neceſſitatis? An dum adeſt extrema neceſſitas, quomodo plures teneantur ſuccurrere?* ibid.n.10. *Habens tantum neceſſaria vitæ, & ſtatui, abſque ſuperfluo, ad quid teneatur pro extrema proximi neceſſitate ſubleuanda? an in aliquo caſu pro alicuius vita teneatur exponere magnas diuitias?* ibid. n.11. *An diſtinguendus ſit patiens extremam neceſſitatem à cauſa intrinſeca, vel extrinſeca iniuſta, à patiente à cauſa iuſta?* ibid.n.12. *An eleemoſyna extremè indigenti debeatur ex iuſtitia, vel ex ſola charitate?* ibid.n.13.

Pauper extremam neceſſitatem patiens quo iure poteſt auferre ſibi neceſſaria ad auferendam neceſſitatem? Ad pinguiorem fortunam rediens teneturne reſtituere? Quid ſi in extrema neceſſitate conſumpſit antea acceptum? ibid. n.14. *An eſto nemo teneatur rem pretioſiſſimam, aut ingentem ſummam expendere ad ſubleuandam extremam proximi neceſſitatem, tamen ipſe extremè egens poſſit ea à diuite auferre?* ibid.n.15.

Habens ſuperflua naturæ, & ſtatui, teneturne ſub mortali facere eleemoſynam grauiter egenti, ſi ipſe ſciat neceſſitatem, & alius non adſit, qui ſciat, & poſſit, ac velit ſuccurrere? ibid.n.15. *An peccent mortaliter diuites, qui non faciunt eleemoſynam extra extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem pauperum, Etiamſi intendant conſtruere templa, aut omnia relinquere pauperi.*

Digitized by Google

peribus poſt mortem? ibid. n. 17. *Vtrum Iudices poſſint compellere diuites ad elargiendam eleemoſynam in caſibus grauis neceſſitatis?* ibid. n. 18.

In quibus caſibus ſufficit diuiti egenti tantum accommodare, mutuare, vel vendere cum onere reſtitutionis? ibid. n. 19. *Quid de Medico, & Aduocato?* ibid. n. 20.

Plures adſunt diuites, quibus bona ſua ſuperfluunt, & qui ex illis eleemoſynam largiri debent, cum teneantur ex ſuperfluo ſtatui, nulla habita ratione aſcenſus ad altiorem ſtatum. ibid. n. 21. *Et* Propoſitio 12. *attributa*: Vix in ſæcularibus inuenies, etiam in Regibus ſuperflua ſtatui. Et ita vix aliquid tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui, *reſpiciens ſpem aſcendendi ad ſtatum altiorem ſcandaloſa eſt; & bonis moribus in praxi nocens*. ibid. n. 22. *Quod præſertim apparet ſi pauper conſtitutus ſit in graui neceſſitate ſubſtinendi infamiam, exilium, nuditatem, vel quid ſimile.* ibid. n. 23.

An habens tantum ſimpliciter ſuperflua naturæ, & ſtatui, ſub mortali teneatur facere eleemoſynam pauperibus communem tantum neceſſitatem patientibus? ibid. n. 24. *Quanta ſit hæc obligatio, & in quibus caſibus, ac reſpectu quorum?* ibid. n. 25.

Quanta ſtrictiori obligatione Epiſcopi, cæterique Beneficiati teneantur ad eleemoſynam? ibid. §. 3. n. 26.

De quibus bonis eleemoſyna facienda ſit? ibid. n. 27. *In quibus caſibus eleemoſynas vxores facere poſſint*, ibid. n. 28. *In quibus caſibus filij familias.* ibid. n. 29. *Quas poſſunt erogare Serui, Tutores, & Curatores, cæterique adminiſtratores?* ibid. n. 30.

ÆQVIVOCATIO.

Quid ſit Æquiuocatio, & in quo differat ab Amphibologia? Propoſ. 17. §. 1. num. 7.

Æquiuocatio non ſubeſt proſcriptioni huius Decreti, vt explicatur. ibid. §. 2. num. 19.

Oſtenditur abſolutè Æquiuocationem ex ſe non continere mendacium, & licitam eſſe, ſi ex iuſta, & rationabili cauſa vſurpatur. ibid. n. 20. *Si quis occidere hominem natione Gallum, quid poteſt dicere, quid ſi interrogetur, an Petrus eſt in domo, vel ex ea exiuit?* ibid. n. 21.

Oſtenditur nullam æquiuocationem licere ſine iuſta, & rationabili cauſa; & contra quod præceptum peccatur. ibid. n. 22.

Omnis ſpecies æquiuocationis, ſeu æquiuocorum eſt immunis à mendacio, vt quando Chriſtus dixit Ioannem eſſe Eliam, & Angelum; Iacob patri ſuo, ſe eſſe primogenitum: Raphael Tobiæ, ſe eſſe de filiabus Iſrael, Azariam, Ananiæ magni filium, quidam Minorita, ſepulchrum eſſe domum cuiuſdam viri ſæcularis. ibid. n. 23.

Quibus æquiuocationibus poteſt quis vti pro reſtitutione famæ oblatæ ob detectionem veri criminis occulti? ibid. n. 24. *Quomodo mortificationis cupidi ci-*

ſum

Digitized by Google

bum dicere poſſunt ſuæ valetudini nocere? ibid.n.25. *Et ægritudinis doloribus afflicti respondere, benè ſe valere?* ibid.n.26. *Et fœmina obſtricta ad laudandam potionem inſipidam, dicere, eſſe bonam?* ibid.n.27.

Sine cauſa non licere æquiuocationem iuramento firmare, oſtenditur ibid.n.28. *An ſit mortalis reus iurans ſine iuſta cauſa cum æquiuocatione?* ibid.n.29.

Ex iuſta verò, ac rationabili cauſa licere vti æquiuocatione quacumque, & iuramento firmare, demonſtratur. ibid.n.30. *Qua æquiuocatione poteſt, imò tenetur vti teſtis, qui crimen occultum Rei iniuſtè Iudici manifeſtauit?* ibid.n.31. *Quaque Reus, qui iniuſtè ſocios criminis detexit Iudici?* ibid n. 72. *Qua adultera rogata à marito an adulterium commiſerit occidenda, ſi fateatur?* ibid.n.33.

Vtens æquiuocatione, aut amphibologia materiali debet intendere ſenſum, quem verba facere poſſunt, & explicatur pro praxi. ibid.n.34.

EVIDENTIA credibilitatis.

Aliud eſt eſſe euidenter verum, aliud euidenter credibile: Myſteria Fidei Diuinæ ſunt euidenter credibilia; imò in ijs ſimul adeſt euidentia credenditatis. Prop.4.§.3.n.12. *Afferuntur motiua euidentiæ credibilitatis noſtræ Fidei.* ibid.n.13.

Euidentia credibilitatis eſt neceſſaria nedum in corpore Eccleſiæ, ſed & ſingulis ad credendum. Non tamen euidentia æqualis requiritur in omnibus. ibid. num.14.

Sententiam poſtulans euidentiam credibilitatis, vt Infidelis teneatur præcepto determinato credendi, non ſubiacet damnationi Propoſitionis quartæ. ibid. num.15.

Perueniet tamen ad eam euidentiam, ſi perſeueret, præſtando ſollicitè (vt debet) diligentiam neceſſariam ad eam aſſequendam. ibid.n.16. *Dum aſſequitur euidentiam credibilitatis habet etiam euidentiam credenditatis.* ibid.n.17.

EXTREMA Vnctio.

Sententia docens, quod Sacramentum extremæ vnctionis poſſit licitè, & validè conferri, etiamſi oleum non benedictum ſuperaddatur ſæpius, dummodo ſingulis vicibus fiat admixtio in minori quantitate non benedicti, non ſubiacet damnationi Primæ Propoſitionis. Prop.1.§.5.n 43.

Opinio docens: quod licitè in praxi poſſit adhiberi pro materia extremæ vnctionis Sacrum Chriſma ſubiacet præfatæ damnationi. ibid.n.44.

Opinio docens, non requiri vnctionem quinque ſenſuum, ſed ſufficere in vnico, & in qualibet parte corporis, ſubiacet eidem damnationi. ibid.n.45.

FIDES quo ad actum internum.

Actus Fidei formaliter ſumptus pertinet ad intellectum, eſtque in ſubſtantia ſua ſupernaturalis, & explicatur ſupernaturalitas ipſius. Prop.20.§.1.n.2. *Explicatur conſtitutiuum, & diſtinctiuum certitudinis ab opinione, à veritate, & neceſſitate aſſenſus, additumque ſupra illas, & quid ſit certitudo propriè, & impropriè talis.* ibid. n 3. *Certitudo abſolutè, & propriè talis ſuam latitudi-*

Digitized by Google

tudinem habet: atque adeo datis duobus aſſenſibus fieri poteſt, quod vnus ſit certior alio. ibid. n.4. *Aſſenſum Fidei Theologicæ eſſe certum oſtenditur.* ibid.n.5. *Et hæc certitudo Fidei Theologicæ excedit ſimpliciter certitudinem habituum intellectualium naturalium.* ibid.n.6.

Ad Aſſenſum Fidei requiritur pius affectus voluntatis mouentis, & captiuantis intellectum in obſequium Chriſti: qui eſt in ſua entitate ſupernaturalis, elicituręque à Charitate in Iuſtis, ſed ab auxilio tranſeunte in peccatoribus. ibid.n.7.

Ex tribus actibus quibus conſummatur Fides, præcipuus, in quo formaliter conſiſtit, eſt actus intellectus: hunc præcedit pia affectio voluntatis; & hunc alius actus intellectus, nempe iudicium de credibilitate obiectorum, in ſua entitate ſupernaturale. ibid.n.8.

Actus Fidei quædam ſibi vendicat propria lineæ intellectiuæ, vt certitudinem infallibilem: quædam verò participat propria lineæ voluntatis vt libertatem, & bonitatem, quam valde deprimunt negantes neceſſitatem motionis voluntatis ad credendum. ibid.n.9.

Propoſitio 19. Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus Fidei ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium, *quam defenderat* Arnoldus Marchant. *Antuerpiæ die* 16. *Aprilis* 1674, *theſ.*11. *pernicioſæ, imò maiori cenſuræ ſubijcitur. Oſtenditur* Ibid. §.2.n.10. & ſeqq. *Qui crederet propter rationes humanas, & non propter reuelationem diuinam, eſſet infidelis.* ibid.n.12.

Ad quid deſeruit iudicium credibilitatis? ibid.n.14. *Quomodo intellectus moueatur à veritate, & quomodo à voluntate?* ibid.n.15.

Propoſitio 20. *eiuſdem* Arnoldi cit. theſi 11. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem: *meritò ſubinde cenſura inuritur.* ibid.n.16. *Et quidem ſi repudiari poſſet prudenter aſſenſus Fidei, licitè quis apoſtatare poſſet à Fide iam voluntariè ſuſcepta.* ibid.n.17. *Oſtenditur etiam ex eo, quod qui credit habet teſtimonium Dei in ſe; & Fides eſt fundamentum, & petra fortis, & inuicta: Vnde caſus* Hurtadi *non obſtat.* ibid.n.18. *Item ex eo, quod aſſenſum Fidei neceſſariò debet præire iudicium credibilitatis.* ibid.n.19. *Et ex maioritate in certitudine ſupra aſſenſum cauſatum ex naturali demonſtratione.* ibid.n.20. *Et denique ex ratione meriti; quam rationem non tollit doctrina Thomiſtarum negans poſſe eſſe ſimul ſcientiam, & Fidem de eodem obiecto.* ibid.n.21.

Fidei diuinæ obiectum formale, ſeu ratio formalis credendi adæquatè eſt prima ſumma Dei veritas in dicendo. Propoſ. 21.§.1.n.2. *Obiectum formale principale, & vltimatum eſt prima veritas, & auctoritas Dei; obiectum verò formale proximum, & immediatum, & non vltimatum eſt ipſa diuina reuelatio, ſeu verbum Dei formale.* ibid.n.3. *Dei prima veritas, ſeu indefectibilis auctoritas in dicendo (obiectum formale principale Fidei) duas perfectiones diuinas includit, & connotat, Primò infallibilitatem Diuini intel-*

lectus

Digitized by Google

lectus in cognoſcendo verum. Secundò indefectibilitatem Diuinæ voluntatis in volendo dicere, & reuelare verum. ibid.n.4.

Duplex eſt certitudo obiectiua, & ſubiectiua. Illa eſt connexionis cum obiecto. Iſta eſt firmitas adhæſionis ad obiectum. Supponitur primam eſſe de conceptu Fidei ſupernaturalis. Iuxtà hoc Decretum determinatur an certitudo adhæſionis ad obiectum ſit etiam de conceptu eſſentiali actus Fidei. ibid.n.5.

Propoſitio ſiquidem 21. Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem, ſtat cum notititia ſolum probabili reuelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, an ſit locutus Deus, *meritò cenſuræ huius Decreti ſubijcitur. Et oſtenditur multipliciter.* ibid.§.2.n.6.& ſeqq.

Opinio aſſerens poſſe terminari aſſenſum Fidei ſupernaturalis ad ea obiecta, quæ probabiliter continentur ſub vera reuelatione vniuerſali, eſt falſa, & ſubiecta cenſuræ huius Decreti. Vtrumque oſtenditur, ſimulque ſoluitur obiectio, quæ fieri ſolet de Hoſtia conſecrata. ibid.n.13.& ſeqq.

Quandoque poteſt quis credere aſſenſu Fidei aliquod obiectum, quod ſibi certum eſt contineri ſub reuelatione vniuerſali: non tamen cæteri fideles, quibus non conſtat certò id obiectum contineri ſub reuelatione vniuerſali. ibid.n.17.

Quando datur certitudo moralis in gradu ſupremo, quod obiectum ſingulare continetur in vniuerſali reuelato, poteſt actus Fidei ſupernaturalis terminari ad obiectum ſingulare. ibid.n.18. *Secus ſi certitudo moralis non ſit in gradu ſupremo.* ibid.n.19.

Eo ipſo, quod Theologi cenſent eſſe de Fide aliquod obiectum, poſſunt, & debent id credere per aſſenſum Fidei ſupernaturalis, abſque vlla formidine, quod ſi formidant, non poſſunt id credere Fide ſupernaturali. ibid. n.29.

Fidei (vti & aliorum ad ſalutem neceſſariorum) neceſſitas eſt medij, & præcepti. Vtraque explicatur. Hic non loquimur de Fide habituali: hæc enim, & cæteri habitus infuſi Spes, Charitas, & Gratia certò neceſſitatem medij obtinent. Prop.17.§.1.n.3. *Fides actualis eſt implicita, vel explicita, vtraque explicatur. Sicut error eſt aſſerere ſufficere Fidem implicitam, ita requiri omnium explicitam.* ibid.n.4.

Obligatio eliciendi actum internum Fidei alia eſt per ſe, & directè, alia indirectè, & per accidens. Vtraque explicatur. ibid.n.5.

Propoſitio 16. *attributa eidem* Arnoldo: Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe; *meritò hoc ſicut, & Alexan. VII. Decreto cenſuratur.* ibid.§.2.n.6. *Eſſe ſpeciale præceptum Fidei per ſe quà negatiuum, obſtringens ad non diſſentiendum, & non formidandum circa veritates Fidei, oſtenditur.* ibid.n.7. *Dari pariter præceptum Fidei per ſe quatenus affirmatiuum, obligans ad actus Fidei exercendos dupliciter demonſtratur.* ibid.n.8. *Continetur ſub damnatione tam Alex. VII. quam Innocentij XI. Propoſitio hæc 16. etiamſi reſtringatur ad negationem neceſſitatis ſolius præcepti affirmatiui Fidei.* ibid.n.9.

Non ſufficit implicitè credere tantum, ſeù credere quidquid credit S. Mater Ecleſia;

cleſia. ſed vlterius oportet explicitè credere aliquos articulos. Et oppoſitum damnatur à Gregorio XI. ibid.n.10.

Ad rectè credendum, tenetur quilibet Fidelis in primis credere, & ſcire explicitè, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe. ibid.n.11. At de iſtis adſit etiam neceſſitas medij. Si quidem Propoſitio 22. Non niſi Fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris, quæ ſolet attribui Arriagæ, & alijs, meritò hoc Decreto abigitur. Et oſtenditur ex celebri loco Apoſtoli ad Hebr.11. ac ex Trid. ſeſſ.6.cap.6. Prop.22.§.2.n.5.6.& 7.Sermo eſt in hac Propoſitione de iuſtificatione adultorum, qui proprijs actibus ſe ad eam diſponunt: & de præſenti inſtitutione,ac prouidentia. ibid.§.1.n.2.& 3.

Et ſicut articulus Fidei neceſſarius neceſſitate medij de exiſtentia Dei, eſt de exiſtentia Dei ſupernaturalis, ſeù vt auctoris ſupernaturalis. ibid.n.24. Ità nomine Remuneratoris intelligitur Numen, quod habet prouidentiam de rebus humanis, remunerando non ſolum remuneratione naturali, ſed etiam ſupernaturali, præmiatiua bonorum, & punitiua malorum;& in hac, & potiſſimum in altera vita, vt oſtenditur ex eodem loco Apoſtoli, & Tridentini. ibid.§. 2. n.7. & 8. Quapropter opinio quorumdam aſſerentium Fidem requiſitam ad iuſtificationem eſſe de Deo, vt remunerante ex bonis temporalibus, & naturalibus huius vitæ; incurrit hanc denominationem. ibid.n.9.

Et Fides explicita Dei vt remuneratoris eſt neceſſaria neceſſitate medij etiam ad primam iuſtificationem non ſolum regulariter loquendo, & frequentius, ſed ſemper: vt oſtenditur tum ex eodem loco Apoſtoli, tum ex Trid.ſeſſ.6. c.7. & alibi. Et ſatiſfit caſui adducti ab Arriaga. ibid.n.10.& ſeqq.

Subit damnationem ſententia Filgueræ dicentis, poſſe iuſtificari hominem, qui nihil cogitans de Deo, vt remuneratore, & attendens ad Deum, vt amabilem ſuper omnia, eliceret actum charitatis, vt oſtenditur. Et quidem ſi non præcedat Fides Dei, vt remuneratoris, non ſit actus ſupernaturalis dilectionis Dei ſuper omnia in præſenti prouidentia. ibid.n.13.& ſeqq.

Subiacet quoque damnationi ſententia Ripaldæ, & Leandri negantium hanc neceſſitatem in iuſtificatione peccatoris fidelis,vt oſtenditur.ibid.n.16.& 17.

Sufficit tamen Fidei explicitæ Remunerationis actus virtualiter permanens, ſeù non retractatus, pro ſequentibus iuſtificationibus, vt oſtenditur tripliciter. ibid.n.18.& 19.

Eadem neceſſitate medij eſt neceſſaria Fides explicita immortalitatis animi, liberi eius arbitrij, ac capacitatis ad beatitudinem: nec non indigentiæ auxilij diuini, vt conſequatur præmia. ibid.n.20.

Secundò quilibet tenetur credere Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Ieſu Chriſti. Propoſ.17.§.2. n.12. An de iſtis adſit etiam neceſſitas medij, determinabitur par.2.in comment.ad pen.Propoſ.

Tertiò Articulos, qui in Symbolo Apoſtolorum continentur: non eſt eadem obligatio de contentis in Symbolo Niceno, & Athanaſij, quatenùs ſuperaddunt

ad Symbolum Apoſtolorum. ibid.n.13. *Sunt omnes explicitè, credendi ſine exceptione. Credi debet explicitè Chriſtum paſſum propter noſtram ſalutem: credere verò explicitè paſſum ſub Pontio Pilato non cenſetur circumſtantia grauis obligationis pro explicita Fide. Tenetur quilibet ſcire explicitè ſignare ſe ſigno Crucis, An ſub graui obligatione, diſcrepant Doctores. Explicatur breuiter quid fide explicita credi debet articulis* Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, & remiſſionem peccatorum. ibid.n.14. *Tutior ſententia cenſet, eandem obligationem extendi ad myſteria extra Symbolum, quæ ſolemniter celebrat Eccleſia.* ibid.n.15.

Ad debitè ſperandum. *Quæ obligatio ſit circa orationem? Vbi ſpecialiter circa Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, ac Antiphonam* Salue Regina. ibid.n.26.

Ad honeſtè viuendum. *An notitia, & Fides explicita Decalogi ſit neceſſaria ſub graui obligatione. Quid de notitia Operum Miſericordiæ, & præceptorum Eccleſiæ?* ibid.n.17.

Ad ſalutem conſequendam neceſſaria. *Quorum Sacramentorum Fides explicita eſt ſingulis neceſſaria? Quid de obligatione Fidei explicitè, quod Chriſtus Dominus offeratur in ſacrificium in Miſſa?* ibid.n.18.

Quanta obligatio ſit prædicta ſciendi explicitè quoad ordinem, & memoriam habendam ſuo ordine? An ſatisfaciat; qui ea addiſcit lingua, cuius ſignificationem non intelligit? Ad quid teneatur qui eſt habes, & impotens ea memoria retinere, vel addiſcere? Qui nedum explicitè, ſed etiam diſtinctè ea credere obſtringatur? ibid.n.19.

Propoſitio 17. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere, *meritò proſcribitur.* ibid.n.20.

Præceptum affirmatiuum ſciendi res Fidei incipit obligare ab eo tempore, quo incipit obligatio ſciendi res Fidei. ibid.n.21. *Præceptum de eliciendo actu Fidei obligat per ſe in principio morali vſus rationis in fine vitæ, & ſaltem ſemel in anno.* ibid. n.22. *Actu Fidei, vt neceſſarius eſt neceſſitate medij, per ſe non debetur tot vicibus, quot debetur quatenus neceſſarius ex præcepto.* ibid.n.23. *Quando præceptum affirmatiuum obligat per accidens?* ibid.n.24. *Negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper.* ibid.n.25.

FIDES quoad actum externum.

Adeſt non ſolum ad internum actum Fidei, ſed etiam ad externum præceptum affirmatiuum, & neceſſarium. Propoſ.18.§.1.n.2.

Ex præcepto negatiuo ſub mortali, nullo vnquam caſu, vel periculo licet Fidem negare, ſiue expreſsè, ſiue interpretatiuè, nimirum verbo, ſigno, vel facto aliam falſam ſectam ſimulando, etiamſi quis Fidem veram interius teneat. ibid.n.3. *Quando quis expreſsè, explicitè, ac poſitiuè Fidem negat. Quando interpretatiuè, ſeù implicitè. Ablegantur verba ambigua, & explicatur differentia exiſtens inter diſſimulare verum, & ſimulare falſum.* ibid.n. n.4. *Quæ verba, ſigna, facta, ac actiones ex præcepto negatiuo vitare quis* de-

Digitized by Google

debeat. ibid.n.5. *Quando quis negat exterius interpretatiuè verbis Fidem?* ibid.n.6. *Quando verò negat interpretatiuè ſignis?* ibid.n.7. *Quando denique factis, & actionibus?* ibid.n.8. *Is, qui quoque modo negauit Fidem exterius, cum graui detrimento Religionis, vel ſcandalo, tenetur, ſi poteſt, & prodeſſe videtur, ad reuocationem verbo, vel ſcripto ſub mortali.* ibid. n.9.

Propoſitio 18. *eiuſdem* Arnoldi: Si à Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, vt Deo & Fidei glorioſum conſulo; tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno, *meritò damnatur; ſubindeque aſſerendum, per ſe criminoſum eſſe, tacere, & non profiteri Fidem, dum à Poteſtate publica Fidelis de ſua Fide interrogatur, quicumque ille ſit, qui interrogat.* ibid.§.2.n.10. *Hæc veritas oſtenditur ex praxi, & vſu primitiuæ Eccleſiæ, Martyrum hiſtorijs comprobato, multiplici teſtimonio ſcripturæ, & Patrum, ac duplici ratione.* ibid.n.11.

Silentium coram Poteſtate publica per ſe eſt ſignum erubeſcentiæ, (ſecus reſpectu priuatæ perſonæ.) Et in quibuſdam caſibus eſt ſignum negatæ Fidei. ibid. n.12. *Si tamen tacendo videtur quis contemnere Tyrannum, aut in ſua Fide eſſe conſtans, illa eſt virtualis confeſſio, & reſponſio. Afferuntur exempla, in quibus qui tacet, virtualiter confitetur Fidem.* ibid.n.13.

Præcepto iſto Diuino tenetur Fidelis Fidem exterius confiteri, quoties ita exigit honor Deo, vel Chriſto debitus, Fidei confirmatio, propria, vel proximi ſalus. ibid.n.14. *Explicatur, quando Exterius confiteri exigit honor Dei, & Chriſti.* ibid.n.15. *Et ſimiliter quando Fidei firmitas, & auctoritas Catholicæ Eccleſiæ periclitatur.* ibid.n.16. *Quando item exigit propria ſalus.* ibid.n.17. *Et denique quando exigit ſalus proximi.* ibid.n.18.

Non ſubiacet damnationi huius Decreti, qui impetrat à Iudice non reſpondere, niſi adſit ſcandalum, vel opinio inconſtantiæ, vel defectus in Fide tenenda. ibid.n.19. *Nec ſubit damnationem opinio docens, quod cum Poteſtate publica per edictum Fideles vocantur, vt coram Tribunali declarent ſuam Fidem, non teneatur ire ad eam declarandam.* ibid.n.20. *Sic etiam iubente Tyranno, vt omnes Chriſtiani ſe prodant, non eſt obligatio ſe manifeſtandi.* ibid.n.21. *Longè quoque eſt ab hac damnatione ſententia docens, licitum eſſe Catholico, ſe occultare, & fugere, vt Iudex Tyrannus non interroget ipſum de Fide. Probatur multipliciter. Aliundè tamen ratione perſonæ, vel officij ſæpè non licebit fugere.* ibid.n.22.& ſeqq.

FIDES latè dicta.

Fides actualis eſt neceſſaria neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem, immo nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri poteſt, niſi procedat ex dictamine Fidei ſupernaturalis. Propoſ.23.§.1.n.2. *A* Ripalda *duplex adſtruitur Fides, & ſtrictè, & latè ſumpta. Itaque explicatur.* ibid.n.3.

Propoſitio 23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimiliue motiuo, ad iuſtificationem ſufficit, *quæ probabilior exiſtimata fuit à* Ripalda, *ſubiacet damnationi. Excuſatur* Pratelius. *Oſtenditur ex communiſſimo Do-*

ctorum ſenſu, ex Scriptura, Patribus, & Concilijs. ibid.§.2.n.4.*&* 5.

Nũm damnetur opinio eiuſdem Ripaldæ *docens poſſe Infidelis per Fidem latè ſumptam elicere actus ſupernaturales, quibus mereantur de congruo perueni-re ad Fidem ſtrictam.* ibid.n.6,

GAVDIVM.

Eodem modo philoſophandum eſt de gaudio de malo proximi, ac de triſtitia, & deſiderio, & poteſt eſſe bonum, & malum, vt dicitur de triſtitia, & deſi-derio. Propoſ. 13.§.1.n.3.& §.2.n.5. & ſeqq.

Non eſt diuerſa ſignificatio Propoſitionis 13. per hoc, quod in ea ponatur ver-bum Gaudere, *vel complacere, vel frui. &c.* ibid.§.2.n.7.

Propoſitio 15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes diuitias inde ex hæreditate con-ſequutas, *meritò cenſuratur. Quod quadrupliciter oſtenditur.* Prop 15.§.1. n.5. *An per particulam* Gaudere *ſignificatur, comprehendatur etiam dele-ctatio? Quine veniant nomine Parentis?* ibid.§.1.n.2.

Cur condemnatio iſta non loquatur de culpa, quam in cauſa potuit habere ex præuiſione parricidij ante ebrietatem, & ex defectu cautelæ in medijs, quæ po-terant influere in tale parricidium? & quare ſub nomine ebrietatis compre-hendatur quicumque ſtatus priuationis vſus rationis? ibid.n.4.

An quæ dicuntur de parricidio, ſeruata proportione dici debeant de adulterio, aut homicidio, inceſtu, duello, & alijs per ſe prauis operibus ebriorum, atque ſomniantium? Quidue in pollutione? ibid.§.2.n.6.

Quid in deſiderio, gaudio, delectatione ſcienter terminata ad quoduis opus pro-hibitum lege poſitiua, vel humana, dum opus excuſat carentia vſus rationis, inaduertentia, vel ignorantia? ibid n.7.

GVLA.

Gula, quæ opponitur virtuti abſtinentiæ ſtrictè acceptæ, definitur, quod ſit Vi-tium in appetitione, & vſu delectationis cibi, & potus, debitum mo-dum, ideſt præſcriptum rationis excedens. *Et fit quinque modis.* Præpro-perè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſe. *Differunt ſpecie.* Prop.8.§.1.n.2.

His quinque modis omnes ſpecies Gulæ continentur. Referuntur quidam alij modi, ſed conſtituunt ſpecies diuerſas a Gula, vel ad eaſdem quinque redu-cuntur. ibid.n.3.

Vitium Gulæ inter peccata capitalia rectè numeratur, eo quod plurium aliorum origo eſſe ſolent: & per ſe loquendo, & ex genere ſuo eſt peccatum veniale, & aſſignatur ratio. Eſt verò mortale, ſi quis in delectatione finem vltimum conſtituat, & ſcandaloſa, atque erronea eſt ratio octauæ Propoſitionis: Co-medere, & bibere vſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, (modo non obſit valetudini) quia licitè poteſt appetitus na-turalis ſuis actibus frui. *Tripliciter in delectatione cibi, & potus poteſt vlti-mus finis conſtitui.* ibid.n.4.

Gula mater plurium dicta vitiorum, quinque infelices gignit filias, quæ ſunt

Ha.

Habetudo mentis, immoderata lætitia, Multiloquium, Scurrilitas, & Spurcitia. *Explicantur. Et determinatur quando ſunt peccata mortalia, quando venialia.* ibid.n.5.

Gulæ ſpecies, crapula, & ebrietas. Crapula conſiſtit in cibo immoderato. Comedere vſque ad vomitum, aliquando veniale, aliquando mortale, aliquando nullum. ibid n.6. *De ebrietate Vide V.*Ebrietas.

Præfata Propoſitio, quæ eſt Sancij, *quoad primam partem continet pernicioſas doctrinas præcauendas ratione damnationis etiam, & ſunt: Prima* Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini. *Secunda eſt:* Comedere, & bibere propter ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini. ibid.n.12. *Quoad vtramque partem meritò damnationi ſubijcitur, & oſtenditur* §.3.n.13.& ſeqq. *Hic ſatietas ſumitur pro comeſtione cibi immoderati.* §.1.n.12.

Reus videtur huius Propoſitionis damnatæ etiam Matthæus de Moya. *Si verò ſentiatur voluptas, ſed non ob hanc ſolam quis comedat, vel bibat, ſed ad conſeruandam valetudinem, aut reſtaurandas vires, peccatum nullum committitur.* §.2.n.20.

Idem dicendum eſt de eo, qui ob ſolam delectationem res pulchras inſpicit, aromata odoratur, concentus muſicos audit. ibid.n.21.

Non tamen in omnibus his caſibus quis peccat mortaliter, ſed ſolum venialiter; niſi quis ponat vltimum finem in cibo, potu, odoratu aromatum, viſione rei pulchræ, & id genus. ibid.n.22. *Non licet ſumere ſine peccato veniali ſalſinſcula, aut alia ſapida, ad excitandum appetitum gulæ, vt delectetur in comeſtione.* ibid.n.23.

INFIDELITAS.

Infidelitas hic accepta ea, quæ eſt carentia Fidei Theologicæ, alia eſt negatiua, alia contraria; & hæc priuatiua, vel poſitiua. Prima non eſt peccatum contra Fidem, ſed pœna peccati. Contraria eſt ex genere ſuo peccatum mortale grauiſſimum, & ex ſola indeliberatione poteſt eſſe veniale. Prop.4 §.1.n.2.3.

Quid ſit Infidelitas poſitiua, & quotuplex? An ſit peccatum commiſſionis, & cur non omne peccatum contra Fidem ſit Infidelitas? ibid.n.4.

Oſtenditur adæquatè diuidi Infidelitatem poſitiuam formalem in Paganiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim. An Infidelitas Antichriſti pertineat ad Iudaiſmũ, vel Paganiſmum? Quid de Apoſtaſia à Fide quo ad culpã, & pœnas? ibid.n.5. *Quid de dubitante deliberatè de Fide dubio poſitiuo, vel negatiuo?* ib.n.6.

Dari nequit etiã in infideli vera probabilitas de veritate ſectæ erroneæ. ibid.n.7.

Prop.4. *quæ eſt* Sancij, *loquens de infidelitate contraria tam poſitiua, quam priuatiua:* Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili, *meritò tot minimum tanquam ſcandaloſa hoc Decreto exploditur. Oſtenditur aſſignando diſcrimen Probabilitatis circa myſteria Fidei Catholicæ, ab alia, quæ datur in alijs materijs moralibus.* §.2.n.8.& 9.

Infidelis habens maiorem probabilitatem circa myſteria Fidei, & minorem circa

obiecta ſua ſecta, ſi tunc præſtet omnem debitam diligentiam pro inueniendo certitudine, pro tunc non peccat; tenetur tamen maiorẽ, & maiorem diligẽtiã adhibere, vt aſſequatur euidentiam credibilitatis, nec in hoc poteſt habere ignorantiam inuincibilem. ibid.n.10. Si Infidelis habeat maiorem probabilitatem apparentem de rectitudine ſuæ ſectæ erroneæ, & minorem de veritate myſteriorum Catholicæ Fidei, non excuſabitur, ſi non præſtat omnem debitam diligentiam ad certitudinem. ibid.n.11.

IVDEX.

In Iudice ante actum iudicij requiritur ſcientia ſufficiens, & legitima iuriſdictio. Propoſ. 2.§.1.n.2. Multipliciter aliquis poteſt iuriſdictionem ſortiri. ib.n.2. Iudex in dubio tenetur magnam facere diligentiam pro inueſtiganda veritate. ibid. n.4. An Iudex debeat Iudicare ſecundum allegata, & probata, vel ſecundũ priuatã ſcientiã. ibi.n.5. Quando Iudex habet certã ſcientiã contra reũ, ſi tamen hic ſecundum allegata, & probata non appareat nocens, tenetur hunc abſoluere. ib.n.6. Quid quando Iudex habet certã ſcientiã priuatã pro reo, qui tamen ſecundum allegata, & probata oſtenditur nocens? ibid.n.7.

Prop.2 Probabiliter exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem; quæ vt iacet reperitur apud Bonacinam, meritò tamquam ſcandaloſa ablegatur, ſiue minor probabilitas ſe teneat ex parte facti, ſiue ex parte iuris; ſemper enim Iudex debet ſequi probabiliorem ſententiam, vt oſtenditur §.2.n.10.& ſeq. Hoc Decreto comprehenduntur deciſiones interlocutoriæ iudicij, in quibus agitur de præiudicio partis. ibid.n.12. Nomine Iudicij venit ordinarius, & delegatus, imò & arbiter. ibid.n.13.

Afferuntur aliqui caſus, in quibus Iudex poteſt iudicare ſecundum ſententiam minus probabilem, ſeù potius teneatur iudicare in fauorem cauſarum, aut perſonarum, quas leges impares faciunt. ibid.n.18. An pro eo, qui poſſidet Iudex poſſit ferre ſententiam ſecundum opinionem minus probabilem? ibid.n.19.

An Iudex poſſit ſuum iudicium alieno iudicio ſubijcere? §.3.n.30. An iuxta hoc Decretum Iudex ſequi debeat eam opinionem, quæ probabiliter eſt ab intrinſeco, an quæ ab extrinſeco? Et quæ ratio habeatur de opinione vſu recepta? ibid.n.21. An debeat parere Iudex inferior, ſi ei Superior præcipiat, vt dicat ius ſecundum minus probabilem. ibid.n.22.

IVRAMENTVM.

Quid eſt iuramentum; & an ſit idem in præſenti vocare Deum in teſtem, iurare per Deum, inuocare diuinum Nomen? Prop.25.§.1.n.3. Quæ requirantur ad eſſentialem rationem iuramenti? ib.n.4. Inuocatio diuini teſtimonij fit verbo, nutu, facto, mente tantum. ib.n.5. Explicantur diuiſiones iuramenti, nempe expliciti, & impliciti; aſſertorij, & promiſſorij, conteſtatorij, comminatorij, & execratorij, & quomodo promiſſorium includat aſſertorium. ibid.n.6.

Iuramentum debito modo factum licitum eſt, & aliquando obligatorium, ſi adſint comites, Veritas, Iuſtitia, & Iudiciũ; & ex defectu Iuſtitiæ, & Iudicij quale peccatum committitur, ibid.n.7. Quæ conſuetudo culpabilis iurãdi cõ-

Digitized by Google

ſtituat hominē in ſtatu peccati mortalis ſimplicis, vel multiplicis? ibid.n.8. Quid ſi conſuetudo quomodocumq; iurandi inculpabiliter retenta ſit? ib.n.9.

Prop.24. Vocare Deum in teſtem mendacij leuis, non eſt tanta irreuerentia, propter quā velit, aut poſſit damnare hominē, quæ erat Goffredi, & ab aliquibus attribuitur etiam Baunyo, meritò hoc Decreto proſcribitur. Probatur, ac traditur ratio, quare vocare Deum in teſtem mendacij, ſed indeliberatè, ex inaduertentia, ſubreptione, ſit peccatum veniale: ſemper verò mortale vocare Deum in teſtem mendacij, quantumuis leuiſſimi. §.2.n.10.

Doctrina damnata intelligitur tantum de mendacio verò, & formaliter tali: ſubijcitur verò damnationi tam, qui rem dubiam iurat, vt certam, quam qui rem certam iurat vt dubiam. ibid.n.13. Non habet locum damnatio in iuramento hyperbolico. ibid.n.14. Habet verò tam in iuramento aſſertorio, quam in promiſſorio carente præſenti veritate. ibid. num.15. Quid ſi iuretur promiſſio facta cum animo dubio implendi, vel promittatur res phyſicè; vel moraliter impoſſibilis, ſeriò tamen, & animo iurandi? ibid.n.16.

Minus malum eſt iurare rem indifferentem, vel oppoſitam conſilijs Euangelicis animo illam adimplendi, quam ſine animo adimplendi. E contra de re mortaliter mala. ibid.n.17.

Iuramentum promiſſorium carens veritatē futura tantum, ex materiæ leuitate probabiliter excuſatur à mortali, ex vna inter conditiones, quæ in iuramento, immo ex voto ſubintelliguntur. ibid.n.18. Nec docere, iuramentū promiſſoriū carens veritate futura, ex materiæ leuitate excuſari à mortali, damnatur. ibid.n.19. Quid de iuramentis illis, quæ vrbanitatis dicuntur? ibid.n.20.

Iuramentum imprecatorium, ſeù execratorium, quando comprehenditur in Propoſitione proſcripta. ibid.n.21.

Prop.25. Tamburini: Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit grauis, ſiue leuis, meritò cenſuratur. Oſtenditur ex eo, quod iurare ſine animo iurandi ſit intrinſecè, & de ſe malum. ibid.n.22.23. Quid de opinione dicentium, iurare ſine animo iurandi, & ſignificandi eam verbis, ſed aliud diſparatum, vacare culpa? ibid.n.24. Agit contra Decretum, & pœnas contrahit, qui aſſerit eſſe licitum, ex cauſa iurare verum, abſque intentione iurandi. ibid.n.25.

Scienter iurare falſum ſine intentione iurandi, ex quacumque cauſa fiat, lethale peccatum eſt, etiamſi, coactus quis iuret. Oſtenditur, & traditur diſparitas ex maledicto. ibid.n.26. & ſeq. Iurare verò verum ſine animo iurandi contra iudicium, & contractus, veniale dumtaxat eſt. ibid.n.28.

IVRISDICTIO.

Licet in Sacramentis vti opinione minus probabili circa iuriſdictionem, ſi verè ſit probabilis, & non tenuiter probabilis. Prop.1.§.2.n.26. Ex quibus capitibus prouenit, quod tunc miniſter miniſtrat cum iuriſdictione certa? Et primò an Eccleſia tunc certò tribuat iuriſdictionem? ibid.n.27. Refelluntur variæ opiniones circa iuriſdictionem, propter tenuem probabilitatem. ibi.n.28. Sententia

tentia docens in mortis articulo, vel periculo poſſe pœnitentem abſolui à quolibet Sacerdote, etiam in præſentia habentis iuriſdictionem, eſt tenuis probabilitatis, niſi habens iuriſdictionem nolit abſoluere. ibid. n. 29. *Si verò ob periculum inceperat pœnitens confeſſionem cum ſimplici Sacerdote, ob abſentiā legitimi, licet poſtea adueniat legitimus, poteſt continuari confeſſio cum primo.* ibid. n. 30. *Secundò Eccleſia ſupplet defectum iuriſdictionis per ratihabitionem præſenti.* ibid. n. 31. *Tertiò ex eo, quod omnes Sacerdotes habent certam iuriſdictionem in venialia, & in mortalia ritè confeſſa.* ibid. n. 32.

Sacerdotibus non approbatis rectè interdictus fuit vſus iuriſdictionis in venialia, & in mortalia ritè confeſſa. ibid. n. 33.

MALITIA.

An dētur cauſæ, ob quas operatio, vel omiſſio exuatur malitia obiectiua, vel ſaltem formali? An requiratur honeſtus finis, vt gaudium, quando aliunde non prohibetur, haberi poſſit? Quibus ex cauſis tollatur in operatione, vel omiſſione ſola malitia formalis, & à quibus etiam obiectiua? Prop. 15. §. 1. n. 3.

MATRIMONIVM. Vide V. SACRAMENTVM. MEDICVS.

Medicus, & Chirurgus, & alij ſimiles tenentur ab ijs muneribus abſtinere, ſi eā peritiā nō habēt, quæ requiritur nō benè, & vtiles ea exequēda. Pr. 2. §. 1. n. 2.

Quando Medicus poteſt applicare infirmo medicamentum certum, non poteſt eo relicto applicare probabile. Deficiente certo, tenetur adhibere illud, quod probabilius iudicat profuturum. Prop. 3. §. 3. n. 54. *Si ſit diſperatus de ſalute ægrotus, licitum ne ſit applicare illi aliquod remedium, de quo ſpes aliqua adſit, quod ſit profuturum? Quid ſi ſalus non ſit deſperata?* ibid n. 55. *Si in concilio Medicorum quis exiſtimaret aliquod medicamentum allaturum mortem, alio Medico contrarium putante, non poteſt illud applicare, niſi conuincatur rationibus contrariæ ſententiæ.* ibid. n. 56.

MENDACIVM.

Quid eſt mendacium: quæ ad ipſum requiruntur; & in quibus caſibus euitatur? Pr. 27. §. 1. n. 3. *Oſtenditur, non eſſe mendacia iocos, quoſdam hyperbolas, figuratiuas locutiones, ac parabolicas, quaſdā ironias, locutionē per ſinecdochen, ac per charentiſmos.* ib. n. 4. *Quid vocis nomine in definitione mendacij intelligatur; quando dicitur ſimulatio, & an veri celatio, ſeù diſſimulatio mendacij labe immunis ſit?* ibid. n. 5.

Traditur: omne mendacium eſſe intrinſecè malum, ac indiſpenſabile; licet aliquando ignorantia excuſet. ibid. n. 6. OCCISIO.

Quibus modis poteſt quis inuadi in Iudicio, & extra? Pr. 33. §. 1. n. 5. *Numquā licet dare mortē amenti, infanti, ebrio, qui cōtra ſe calumnias proferrēt.* ib. n. 6.

Prop. 33. *quoad primā partem:* Fas eſt viro honorato occidere inuaſorē; qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; *quæ eſt* Laym. Gaſp. Hurt. Lean. à Sacr. *& aliorū, meritò vt minimū tāquā ſcandaloſa abigitur, tamen ex parte, qua comprehendit calumniam in Iudicio, quam extra.* §. 2. n. 13. & 14. *Quomodo vim vi repellere licet propulſanti iniuriam verbalem?* ibid. n. 15.

Ea-

Eadem Propoſ. quoad ſecundam partem. Idem quoq; dicendum, ſi quis impingat alapā, vel fuſtè percutiat, & poſt impactā alapā, vel ictū fuſtis fugiat, *quæ eſt* Nau. Carafæ, Henriq. Dianæ, *& aliorum, meritò etiā proſcribitur.* ibid. n. 17. *Quid ſi non fugiat, vel perſiſtit defenſurus, quod perpetrarat?* ibid. n. 18. *Quid ante quam impingat honorē auferat contumeliam inferat? vbi etiam de defenſione honoris proximi, pudicitiæ, ac integritatis.* ib. §. 1. n. 8. & ſe. & §. 2. n. 15. *An aliquādo horū defenſio ſit præcepta?* §. 1. n. 10. 11.

Prop. 31. *Regulariter occiderere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei, quæ potius attribuenda eſt* Verde, *quam* Molinæ, *meritò quoq; damnatur.* §. 2 n. 19. *Quid pro conſeruatione duorū, aut triū aureorū?* ibid. *Quantus debeat eſſe valor rei, pro cuius cōſeruatione poſſit quis vti defenſione occiſiua?* §. 1. n. 7 & §. 2. n. 20. *Quid de opinione* Molin. *de furto aurei, vel minoris, reſiſtente domino?* ibid. n. 21.

Prop. 32. Non ſolū licitū eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus; ſed etiā ad quæ ius inuocatū habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. *Et* 33. Licitū eſt tā hæredi, quā legatario, contra iniuſtè impedientē, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluatur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in Cathedrā, vel Præbēdā, cōtra eorū poſſeſſionē iniuſtè impedientē: *quæ malè tribuuntur Amico meritò damnatur, & oſtēditur, nec rarò per accidens contrarium eſſe licitum.* §. 2. n. 22. *Quid de impediente alterum à conſecutione bonorū ad quæ habet ſpē, vel etiā ius inchoatū, quoad peccatū, & reſtitutionē.* §. 1. n. 12.

OPINIO probabilis.

Opinio quid ſit, & quotuplex? Prop. 3. §. 1. n. 2. *Opinio alia probabilis probabilitate intrinſeca, alia extrinſeca. Communis quæ ſequenda?* ibid. n. 3. *Quotuplex ſit opinio probabilis, quæ probabilior, & quæ tutior?* ibid. n. 4. *Opinio ſpeculatiuè verè probabilis, talis eſt etiam practicè.* ibid. n. 5. *Quæ eſt opinio tenuiter probabilis, an ei æquiualeat probabiliter probabilis?* ibid. n. 6.

Prop. 3. Generatim dum probabilitate ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quātumuis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus, *quæ attribuitur* Tamburino, *meritò ut ſcandaloſa abigitur. Et oſtenditur quod non imprudenter, & temerè agat; & non ſit vera probabilitas.* §. 2. n. 7. & ſeqq. *In caſu tamen neceſſitatis licitum eſt vti opinione tenuiter probabili.* ibid. n. 16. *Damnatæ manant hoc Decreto opiniones probabiliter probabiles.* ibid. n. 17. & 18.

Damnationi huius Propoſitionis non ſubijcitur ſententia, communis docens, poſſe deduci ad praxim opinionem probabilem relicta probabiliori, exceptis quibuſdam caſibus. ibid. n. 19. & ſeqq. *Sicut ex duabus æquè probabilibus, qualibet per ſe loquendo ſequi poteſt, licet per accidens ratione ſcandali nō liceat.* §. 3. n. 28. & ſeqq. *Poteſt quis ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, ac tutiori, quando controuerſia verſatur circa honeſtatem, actuum, ac obligationem: niſi aliud exigat natura actus, & materia, in qua eſt controuerſia. Oſtenditur fuſiſſimè.* ibid. n. 30. & ſeqq. *Et pleniſſimè ſatisfit obiectis à* Fagnano, *& alijs* §. 4 à n. 58.

Ac

Digitized by Google

Ad rectè operandum neceſſe eſt, & ſufficit iudicium practicum moraliter certum. Quando hæc certitudo moralis habetur, & ex quo? §.5.n.76.& ſeq.

Num is, qui probabilius reputat, non licere opinionem minus probabilem ſequi; adhuc poſſit noſtram ſententiam ad praxim deducere? ibid.n.78.

An poſſumus etiam in morte opinionem probabilem amplecti? ibid. n.79.

Num in vita, vel ſaltem in morte quis teneatur confiteri peccatum, quod probabili opinione credit eſſe mortale? ibid.n.80. Num vir doctus in publico docere poſſit opiniones probabiles, prætermiſſis probabilioribus? ibid.n.83.

POENITENTIA.

An incurrat damnationem Primæ Propoſitionis aſſerere, licitum eſſe excommunicato recipere Sacramentũ Pœnitentiæ in grauiſſima neceſſitate. Pr.1.§.5.n.34.

Peccat mortaliter excommunicatus, qui conſcius excõmunicationis accedit, vt abſoluatur ſacramentaliter antequam abſoluatur ab excommunicatione. ib.n.35.

Inualidũ eſt Sacramentũ Pœnitentiæ receptũ ab excommunicato antequã abſoluatur ab ea cẽſura, quãdo in eius poteſtate eſt, quod ab illa abſoluatur. n.36

Licitum eſt ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, vel aliud damnum grauiſſimum Excommunicato etiam excommunicatione reſeruata ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.n.37.

Non incurrit eam damnationem propoſitio, ſeu opinio docens, licitum eſſe excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ in caſu grauiſſimæ neceſſitatis. ibid.n.36. Quid autem dicendum ſit in alio caſu admiſſo à Io. de Cardenas remiſſiuè. ibid.n.39. An ſententia docens, quod licitè poſſit fidelis ex cauſa rationabili petere abſolutionem ſacramentalem ab excommunicato tolerato, ſubiaceat eidem damnationi? ibid.n.40. Sacramentũ Pœnitentiæ datũ ab excommunicato tolerato eſt validũ ſi concurrat cætera requiſita. ibid.n.41

POSSESSIO.

Regula illa: In dubio melior eſt conditio poſſidentis, habet locũ non ſolũ in materia iuſtitiæ, ſed etiã in alijs. Prop.3.§.3.n.48. Hinc quoties dubium eſt, an impoſitum ſit præceptum naturale, diuinum, vel humanum in aliqua re, eo non obligatur dubitans. ibid.n.49. Coniux dubitans de valore matrimonij poteſt poſt adhibitam diligentiam debitum petere, ratione poſſeſſionis ſuæ libertatis. ibid.n.50. Fagnanus oſtendit ſe non rectè calluiſſe hanc doctrinam. ibid.n.51. Fagnanus docet, multas ſequi ineptias, & abſurditates ex noſtra doctrina. At eius fundumentum eſt fictitium. ibid.n.52.

Ratione poſſeſſionis, multi actus ſunt, in quibus maior ſaltem probabilitas attenditur. Vt in primis eſt compenſatio. Nam qui exiſtimat tantum minus probabiliter, ſibi deberi centum à Caio, non poteſt per occultam compenſationem accipere. De qua re p.2. in comm. ad Prop.37. Secundus actus eſt ſpolij; nã nemo priuandus ſua neceſſitate extra iudicium ob ſentẽtiam minus imò æquè probabilem alterius. Quod in abſtinentijs clarè cognoſcitur. An autem ſi quis haberet opinionem probabiliorem, ſuam eſſe rem ab altero poſſeſſam, poſſit in hoc caſu occultè ſpoliari illum ſua poſſeſſione. Affirmant aliqui. Negant alij;

de

de quo in citato commentario. Et interim negantibus acquieſco, dum interuen't obedientia. Tertius caſus eſt iudicium, de quo V. Iudex. ibid.n.57.

PRINCEPS.

Quid in Principe indicente bellũ ex opinione minus probabili? Prop.2.§.3.n.33

SACRAMENTVM.

Ex quibus titulis poteſt conſiderari prohibitio exponendi Sacramentum fruſtrationi? An eſſet irreuerentia quando miniſter probabiliter operatur, & ſuſcipiens conſenſit Sacramenti miniſtrationi probabiliter valida? Pr.1.§.1.n.3.

In Baptiſmo, & ordine Sacerdotali, ac Epiſcopali ſemper eligenda eſt opinio tutior circa Sacramenti valorem. ibid.n.4. *Non poteſt ad praxim eligi opinio minus tuta circa valorem Sacramenti, quando id vetat lex conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi.* ibid.n.5.

In caſu neceſſitatis vrgentis eligi poteſt, & debet ad praxim opinio minus tuta, quando opinio tutior ad praxim deduci nequit. ibid.n.6. *Etiam opinio parum tuta, & parum probabilis in neceſſitate deduci poteſt ad praxim.* ibid.n.7. *Non ſolum in neceſſitate ſuſcipienti, ſed etiam miniſtrantis quis vti poteſt opinione minus tuta in adminiſtratione Sacramentorum.* ibid.n.8.

Quæ opinio dicatur minus tuta, & quæ tutior in præſenti materia? ibid.n.9.

Propoſ.1. *defenſa Antuerpiæ anno 1673. ab* Ignatio Maillor. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis, *meritò vt minimum tanquam ſcandaloſa damnatur. Vtitur enim exceptione diminuta, vt oſtenditur.* §.2.n.10.& ſeqq.

In Sacramentis conferendis extra caſum neceſſitatis non licet vti ſententia etiã probabiliori, omiſſa tutiori. Et contrarium eſt etiam damnatum. Oſtenditur, quia eadem eſt ratio proſcriptionis. ibid.n.18.& 19.

Pontifex diſpenſans, vt Epiſcopus ab vno conſecretur, non vtitur ſententia minus tuta. ibid.n.20.

Quid ſentiant Doctores ante, & poſt hoc Decretum circa vſum opinionis probabilis, relicta tutiori in receptione Sacramentorum? §.2.n.21. *Non eſt reiectum aſſerere, licitum eſſe vſum opinionis probabilis, relicta tutiori, in receptione Sacramentorum.* ibid.n.22. *Propoſitio damnata loquitur de adminiſtratione, non de receptione Sacramentorum.* ibid.n.23. *Quid diſtinguendum ſit in hac materia?* ibid.n. 24. *Adducuntur aliquæ illationes ex præcedenti doctrina.* ibid.n.25.

Quæ ſint materia damnationis in Sacramenti Matrimonij confeſſione? §.5. n. 46. *Non eſt materia damnationis Propoſitionis huius, quæ ſpectant ad matrimonium iam contractum, ſed ſolum ea, quæ ſpectant ad matrimonium contrahendum.* ibid.n.47. *Quando in quæſtione facti, & ex coniecturis vtrinque probabilibus reſultat purum dubium vincibile, non licet contrahere ma-*

matrimonium; benè verò, ſi reſultet dubium inuincibile. ibid.n.48. *In quæſtione iuris, ſi opinio ſit tenuis, vel dubiæ probabilitatis, ſi praxi exponatur, ſubiacet huius Propoſitionis damnationi.* ibid.n.49. *Quando circa valorem matrimonij ſunt opiniones verè probabiles, quæ verſantur circa valorem contractus pendentem à iure humano, ex Eccleſiæ approbatione reſultat valor certus matrimonij. Oſtenditur.* ibid.n.50.& ſeqq. *Deducuntur variæ opiniones, quæ non ſubiacent huic dãnationi.* ibid.n.53

Subijcitur huic damnationi opinio aſſerens, matrimonium inualidum poſſe reualidari, etiam ſi alter coniux ſit inſcius nullitatis. ibid.n.54. *Adducuntur aliquæ practicæ cautelæ ad reualidandum matrimonium in caſu neceſſitatis.* ibid,n.55.

An in dubio poſitiuo circa impedimenta iure diuino, & naturali dirimentia, certus ſit valor matrimonij ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici? ibid.n.56.& ſeqq.

SATISFACTIO.

An regula illa; quod quis non poſſit ſatiſfacere debito certo per ſatiſfactionem probabilem, quæ offertur à Doctoribus, ſit indiſtinctè vera? Prop.3.§.3.n.81.

SIMVLATIO.

Vndè ſimulatio dicta. Quid ſit largè ſumpta, quotuplex ſit licita? Strictè accepta quid ſit, & in quo ab Hypocriſi diſtincta? Prop.29.§.1.n.2. *Simulatio propriè dicta alia eſt formalis, quæ eſt intrinſecè mala. Alia eſt materialis, quæ ſi reſpiciat obiectum, aut circumſtantiam vitioſam, non poteſt excuſari à culpa: reſoluendum quid in adminiſtratione Sacramentorum.* ibid.n.3. *Licet ſimulatio ſemper ſit peccatum, non tamen ſemper diſſimulatio. Quod plenè explicatur.* ibid.n.4.

Propoſitio 29. *quæ attribuitur* Sancio, & Matthæo de Moya: Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi, *meritò cenſuræ ſubijcitur. Et oſtenditur. Vbi quid de ſimulatione D. Petri, & D. Pauli actu circumciſionis Timothei.* §.2.n.5.& ſeqq. *Proſcribitur, ſiue ſimulatio ſit formalis, ſiue materialis, & oſtenditur.* ibid.n.8.

Quid dicendum de Sacerdote, qui conſtitutus in mortali, & neceſſitate celebrandi, celebrat, ſuppreſſis verbis conſecrationis? Quid in caſu, quo hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, niſi conſecraret totum panem expoſitum venditioni in platea? ibid.n.10. *Num miniſtro non habenti Euchariſtiam repoſitam in Sacrario, liceat ad vitandum ſcandalum, fugiendamque pœnam, & palliandam ſuam incuriam dare hoſtiam non conſecratam communionem poſtulanti in extremis: Et quid ſi poſtulat euchariſtiam excommunicatus, aut peccator occultus, ad euitandam eius infamiam, & periculum mortis in miniſtro imminens:* ibid.n.11. *Quid ſi Sacerdos fingit præbere Hoſtiam conſecratam peccatori occulto, & nullam præbet?* ibid.n.12.

Quid in caſu, quo mulier indiſpoſita, ſi non abſoluatur ſubeat infamiam, vel periculum mortis à marito? ibid.n.13. *Quid ſi peccator indiſpoſitus minetur mortem Confeſſario, niſi abſoluat?* ibid.n.14.

Si metus grauis verſetur circa matrimonium, num ſimulatè poſſit contrahi; vel ſaltem conſenſu non abſoluto. ibid.n.15. *Qui in carcere detinetur, vt contrahat cum Berta, cum qua nequit contrahere ex impedimento dirimenti; num poſſit ſimulare contrahere matrimonium, vt contractus eſt?* ibid.n.17.

Num hoc Decreto damnetur etiam ſimulatio ſuſceptionis Sacramentorum? ibid.n.17.

TRISTITIA.

Triſtitiæ ſpecies, Timor, Æmulatio, Indignatio, & Inuidia, quid ſint, quando, & quale peccatum? Prop.13.§.1.n.2. *Propoſitionem de triſtitia vitæ alicuius, vide* V. Deſiderium. *Quæ veniant ſub voce emolumenti in ea Propoſitione?* ibid.n.4. *Meritò damnatur, & oſtenditur* §.3.n.5.& 6. *Quid ſi in ea Propoſitione loco triſtari* ponatur dolere, diſplicere, affligi, moleſtari? ibid.n.7.

Tædet Indicem texere de Opere coniugali. Vide Summarium in Propoſitione 9. de eo.

FINIS.

1319030

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google